4ª = 5804

Digitized by Google

FCC
1169

33. 3.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
Digitized by Google




*Vera Effigies Doloroſæ Matris Monachij in Bavariæ Metropoli Thaumaturgæ.*

Digitized by Google

# MATER
## AMORIS ET DOLORIS,
*QUAM*
## CHRISTUS
IN CRUCE MORIENS OMNIBUS AC SINGULIS SUIS FIDELIBUS IN MATREM LEGAVIT:
## ECCE MATER TUA
*Nunc*

Explicata per Sacra Emblemata, Figuras Scripturæ quàm plurimas, Conceptus varios Prædicabiles, SS. Patrum Sententias, raras Hiſtorias, &

PIOS AD JESUM PATIENTEM, AC SANCTISSIMAM MATREM EJUS COMPATIENTEM AFFECTUS.

## OPUS
OMNIBUS JESUM ET MARIAM AMANTIBUS, PRÆDICANTIBUS, AUT MEDITANTIBUS PERUTILE

Cum triplici Indice Conſiderationum, Rerum memorabilium, & Concionatorio, formandis per annum Concionibus opportuno.

AUCTORE

A. R. D. ANTONIO GINTHER,

SS. Theol. Lic. Camer. ac Parocho ad SS. Crucem in Biberbach.

*EDITIO TERTIA.*

CUM FACULTATE SUPERIORUM.




AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ. 1741.


242
1169
G450
BIBLIOTECA
Digitized by Google

## Vaticinium S. Simeonis.

Hic poſitus eſt in Signum, cui contradicetur; & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. *Luc. 2. 35.*

## S. Ambroſius in hunc locum.

*Iſtum Gladium Cor & Anima Virginis profundè immerſum habuit, quia DEI Myſteria cæteris profundiùs penetravit, & Verba DEI de Chriſti Paſsione ac cæteris Operibus ſemper in Corde medullitus portavit juxta illud: MARIA autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in Corde ſuo.* Luc. 2. 19.

Digitized by Google

AD

# MATREM DOLOROSAM

## MONACHII IN BAVARIA

*IN*

*ECCLESIA DUCALIS HOSPITALIS*

## S. ELISABETHÆ VIDUÆ

QUOTIDIANIS BENEFICIIS

IN MORTALES CONSPICUAM

HUMILLIMA SUPPLICATIO ET DEDICATIO

AUCTORIS.

## EX VOTO.

RUth pauperrima illa Moabitis in agro quondam opulentiſſimi Booz relictas metentium ſpicas collegit, quas in manipulos congerens virgâ excuſſit, ut ſic non duntaxat extremæ ſuæ conſuleret inopiæ, quàm & meliorem fructuum illorum partem pulcherrimæ Noëmi benefactrici ſuæ omnium maximæ conſecraret, quæ tamen non Noëmi, hoc eſt pulchra & decora, ſed Mara, quod idem eſt quàm Amara, appellari voluit: *Ne vocetis me Noëmi, id eſt pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt Amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens: Cur ergo vocatis me Noëmi, quam Dominus humiliavit, & afflixit Omnipotens?* Ruth.2.17. Ruth.1.19.

DOMINA totius univerſi! VIRGO & MATER DOLOROSA! Collegi & ego Scriptorum pauperrimus, ac Servorum tuorum minimus cum Ruth egentiſſima in fertiliſſimo agro S. Scripturæ poſt toties à Doctoribus demeſſam & excuſſam ſegetem adhuc aliquas ſuperſtites & deciduas de laudibus tuis ſpicas, ac præſertim de Amore &

 Dolore

Digitized by Google

Dolore affliĉtiſſimi Cordis tui non jejunas ariſtas, quas pro mea ſublevanda inopia in unum Faſciculum, ſeu compendium in notatis meis ligavi, ut in promptu ſemper haberem, quod fructuosè meditarer, & quem ſtatutis temporibus parvulis de Cathedra panem frangerem. Verùm cui nunc meliorem hanc fructuum, laborúmque meorum partem offero?

Tibi, ô DOMINA! ſub Cruce Unigeniti ac dilectiſſimi Filii tui ſtanti, & mundo perdito ſuccurrenti, quidquid ſum, quidquid habeo, tanquam Benefactrici omnium maximæ humiliter defero, conſecro, ac ſubmitto. O pulcherrima Noëmi! quantùm in hac vita mortali humiliavit Te Dominus, & quanta amaritudine replevit Cor Tuum Omnipotens, dum non ſolùm Crucem ſub Cruce, omnésque tunc patientis Filii Tui Dolores in Corde perpeſſa es, ſed jam ab illa hora, quâ Tibi Simeon prædixit: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, usque ad vitæ tuæ terminum non ampliùs à Te receſſit *Perpetuus Doloris gladius*. *Luc. 2. 35.*

Et hoc eſt ô DOMINA! quod non abs longè per Statuam Tuam Thaumaturgam Monachii in Templo Ducalis Hoſpitalis S. Eliſabethæ Viduæ Anno à Partu tuo Virgineo 1690. die 21. Januarii Chriſtiano populo volebas inſinuare, dum in præſentia etiam Illuſtrium Perſonarum ſub Litaniis Lauretanis, publicè in honorem tuum decantatis miſericordes oculos tuos primò ad dulciſſimum Infantulum tuum JEſum in præſepio ibidem reclinatum, & exinde ad patientem & in cruce morientem Filium tuum, ac demum ad populum Monacen-

*Ex Litteris publicis & authenticis Reverendiſ. Ordinarii Friſingenſis anno 1691. typis publicis impreſſis.*

nacenſem Tibi ſingulariter devotum miro ac materno planè affectu convertiſti, per quem oculorum motum à præſepio ad crucem, meo judicio, non obſcurè inſinuare voluiſti, quòd, ſicut Chriſtus Filius Tuus à primo incarnationis inſtanti Sacrificium crucis acceptavit; ita Tu quoque jam tunc temporis in eandem conſenſeris crucis victimam: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Luc. 1. 38. Proinde ad omnia cum Filio perpetienda ſemper Te paratam exhibuiſti: *Ego*, inquis ipſa ad D. Birgittam, *plena fui tribulatione à nativitate Filii mei usque ad mortem ejus; tribulationem & dolorem cordis ſupra omnem creaturam patiebar &c.* Revel. S. Birg. l. 6. cap. 24. melius enim, quàm Prophetæ, præſcivit ſui Filii paſſionem &c.

O DOMINA mundi! *quis mortalium dignè valeat jura gratiarum, laudúmque præconia tibi rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito?* S. Aug. ſer. 18. de SS. in medio. Ita Africanum Eccleſiæ Lumen S. Auguſtinus.

Olim cives Bethulienſes ad liberatricem ſuam, fortiſſimam Judith, unanimi voce ſucclamabant: *Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos noſtros*, Judith. 13. 22. ad quorum clamorem elevavit & vocem ſuam Ozias Princeps populi Iſraël: *Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat Laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non peperciſti animæ tuæ, propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubveniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri.* Quantò magis de Te hoc dicere poſſumus, ô Pientiſſima! dum non peperciſti animæ tuæ propter anguſtias & tribulationem generis noſtri, ſed ſubveniſti

ruinæ ante conſpectum Dei noſtri, Te ipſam in Filio tuo Crucifixo immolando: *Quid aliud*, ait S. Petrus Chryſologus, *Abraham, quàm Corpus ſuum immolabat in filio?* Plus feciſti, ô afflictiſſima Mater! Ille in ſolo voto, Tu re ipſâ carnem tuam in dulciſſimo Unigenito tuo Æterno Patri in cruentum & gratiſſimum im̃olâſti Sacrificium. Quapropter *non recedet Laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini & tuæ in æternum.*

*S. Petr. Chryſol. ſerm. 108.*

In quem finem tibi, ô pretioſiſſima VIRGO! humiliter ſupplex fio: accipe ab indigniſſimo ſervo tuo has, quaſcunque exiles, quaſcunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & ne ſpernas, obſecro, hoc levidenſe Opuſculum, quod horis ſubſecivis de tuis Laudibus ac SS. Cordis tui Doloribus compoſui; Erubeſco ſolummodo, ô MATER AMORIS & DOLORIS! quòd non omnes iſti apices & caracteres meo ſanguine rubeant, quem pro tuo honore & amore omni momento paratus ſum profundere. Et quia pro tot à Te receptis Beneficiis plus dare non poſſum, nec valeo, quàm me ipſum: En habes ô DOMINA! hîc viliſſimum mancipium, & peccatorum coriphæum ad tuos ſacratiſſimos pedes humiliter proſtratum. Audi me ô Benigna! & fave, ac tunc præſertim, quando ſuprema illa mortis imminet hora. *Amen.* Ita fiat ô DOMINA.

*Servorum ac Sodalium Tuorum minimus*

ANTONIUS GINTHER,

Sacerdos indignus.

Cen-

Digitized by Google

# CENSURA ORDINARII.

PRæſens Opus ſecundum ſub Titulo: MATER AMORIS ET DOLORIS, Auctore Adm. Rev. ac Clariſſimo D. ANTONIO GINTHER SS. Theol. Licent. Camerario ac Parocho ad SS. Crucem in Biberbach, ex primo Opere jam Celeberrimo, ob Styli gratiam, varietatem rariſſimorum Conceptuum, Copiam allegatorum SS. Patrum, ſuaviſſimam pariter ac genuinam Sacræ Scripturæ interpretationem allegoricam, nulli ſecundum; ab omni errore Fidei immune, quin & tam Aſceticis, quàm Verbi DEI Præconibus commodiſſimum ac gratiſſimum, ideóque aureo prælo dignum cenſet, Auguſtæ 10. Maji Anno 1710.

Imprimatur H. S. Ex Officio Vicariatûs
Auguſtæ die 21. Maji 1710.

JOAN. CASIMIRUS ROELS, D.
Epiſcopus Amyclenſis, Suffraganeus, & Vicarius Generalis, mppr.

JOAN MICHAEL SEMBLER,
SS. Theolog. Doctor, Reverendiſſ. ac Sereniſſ. Epiſc. Aug. Conſil. Eccleſ. & major Pœnitentiarius, nec non Inſign. Collegiat. Eccl. ad S. Mauritium Auguſtæ Canon. Librorum Cenſor.

# PRÆFATIO
## AD
## BENEVOLUM ET MARIANUM
## LECTOREM.

PAUci, & non niſi pauca de DOLOROSA MATRE ſcripſerunt; habes hîc plura, Mariane Lector, Cultor & Amator! pro tuo aliorúmque commodo ſingulis diebus Sabbatinis, vel Quadrageſimalibus, vel diebus Divæ Virgini per annum Feſtivis applicanda, meditanda, imitanda & prædicanda. Placuit autem in hoc Tractatu ſcribendo (prout nuper in Tractatu de SS. CORDE JESU feci) humili, ac facili, ſed tamen terſis auribus non indigno Stylo incedere, atque Chriſtianam æmulari potiùs ſimplicitatem, quàm Romanæ eloquentiæ nitori anxiè inſiſtere, non enim auribus ſed animis pabulum apponere ſtudui. Et quia omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci, ſingulis Conſiderationibus aliquod Emblema æri inciſum præfigere placuit, ut ſic ſtatim ex primo Conſiderationis intuitu, quidnam materiarum illic tractetur, intelligas; atque ut facilem reperires concionandi methodum, en Manuductionem pro pluribus formandis Conceptibus annexam? plura impoſterum, & ſi ita DEO placuerit, CURRUM ISRAEL, ET AURIGAM EJUS tibi ſubminiſtraturus. De reliquo omnia, quæ in hoc Opuſculo continentur, cumprimis Cenſuræ S. MATRIS ECCLESIÆ, ac gratioſo DD. Superiorum meorum, doctorúmque Virorum judicio humiliter ſubjicio, paratus, ſi in aliquo erráſſem, corrigi & corrigere. Tu interim optime Lector vale, ac fruere, memor ſemper illius Eccleſiaſtici:

*Et gemitus Matris tuæ ne oblivìſcàris.*

Eccl. 7. 29.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX
## Conſiderationum & Emblematum.

PARÆNESIS.

AD Sodales Parthenios, eximios Beatiſſimæ Virginis & Matris Doloroſæ cultores & amatores.

EMBLEMA.

Stella maris navem, littora linquentem, per fluctus pelagi dirigens, cum inſcripto: *Hac monſtrante viam.*

CONSIDERATIO I.

B. Virgo & Mater Doloroſa liber eſt, ex cujus lectione & conſideratione omnes poſſunt fieri docibiles DEI.

EMBLEMA.

Liber apertus, in quo SS. Nomen & COR MARIÆ gladio transfixum exhibetur, cum inſcripto: *Omnibus in omnibus.*

CONSIDERATIO II.

B. Virgo ideò ab omni peccato Originali immunis, quia Mater Doloroſa erat futura.

EMBLEMA.

Clava Herculis (Crucis typus) ſeptem Hydræ capita confringens, cum epigrapha. *In virtute tua.*

CONSIDERATIO III.

Doloroſa Virgo, quia Doloroſa, non ab Originali tantùm, ſed etiam ab omni actuali labe immuniſſima.

EMBLEMA.

Porta ſignata & clauſa, cui Angelus percutiens non poterat nocere, cum inſcripto: *Signatur, ne perdatur.*

CONSIDERATIO IV.

Doloroſa Virgo in aurora, & juxta piſcinam probaticam (futuræ Paſſionis typum) in lucem naſcitur.

EMBLEMA.

Aurora diem orbi prænuntians & terram rore ſuo fæcundans, cum inſcripto lemmate: *Aurora ab lacrymis.*

CONSIDERATIO. V.

B. Virgini Doloroſæ nomen imponitur MARIA, quod dulce & amarum eſt, quia amarum mare.

EMBLEMA.

Aurantium, ſeu pomum aureum dulcis quidem ſaporis, ſed amari corticis, cum lemmate: *Dulce amarum*

CONSIDERATIO VI.

B. Virgo nunc trimula in templo præſentata, Cor ſuum SS. Trinitati in perfectiſſimum amoris & doloris holocauſtum conſecrat.

EMBLEMA.

Altare holocauſti, in quo Cor B. Virginis DEO in odorem ſuavem offertur, cum inſcripto: *In odorem ſuavitatis.*

CONSIDERATIO VII.

Conſideratur puritas Doloroſæ Virginis, primæ inter omnes votum Virginitatis DEO emittentis.

EMBLEMA.

Candidiſſimum Lilium in areola horti ex-



Digitized by Google

urgens, cum lemmate: *Virginei laus prima pudoris.*

CONSIDERATIO VIII.

B. Virgo Doloroſa à SS. Trinitate ob ſummamCordis humilitatem in dignam Deiparentem eligitur.

EMBLEMA.

Genius triticum cribrans, & ventilans, cum epigrapha: *Dimittit inanes.*

CONSIDERATIO IX.

B. Virgo Doloroſa nunc nubilis ex ſingulari providentia DEI cum S. Joſepho deſponſatur.

EMBLEMA

Annulus in menſa, cui ſuperiùs à manu immittitur gemma, cum inſcripto: *Honori invicem.*

CONSIDERATIO X.

B. Virgo Doloroſa ab Angelo gratia plena denuntiatur, unde & nobis à DEO gratiam poterit impetrare.

EMBLEMA.

Luna plena Orbem illuminans, cum lemmate: *Plenà ſibi & aliis.*

CONSIDERATIO XI.

Filius DEI deſcendit de Cœlis, ut Filius Hominis & Doloroſæ Matris fieret, in Cruce pro nobis immolandus.

EMBLEMA.

Scala Jacob à terra usque ad Cœlum pertingens, cum lemmate: *Deſcendendo, aſcendendo.*

CONSIDERATIO XII.

B. Virgo jam ab illo inſtanti, quo Mater DEI eſſe cœpit, in Corde Crucem & Doloris gladium portavit.

EMBLEMA.

Horologium ſolare Regis Achaz, cum epigrapha: *Altiſſimus obumbrat.*

CONSIDERATIO XIII.

Mater Amoris & Doloris VERBO gravida mirum in modum iratum Numen peccatoribus placavit.

EMBLEMA.

Sol in Zodiaco ſignum Virginis pertranſiens, cum inſcripto: *Jam mitius ardet.*

CONSIDERATIO XIV.

Expenditur charitas Matris Amoris & Doloris, dum DEO gravida Eliſabetham cognatam viſitavit.

EMBLEMA.

Duæ palmæ ad ſe invicem incurvatæ, & ſe mutuò ſalutantes, cum lemmate: *Blanda ſe pace ſalutant.*

CONSIDERATIO XV.

Virgo Doloroſa Filium ſuum parit, quem reclinat in Præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.

EMBLEMA.

Gallina in alieno & lacerato ſtabulo ova ſua parturiens, cum lemmate: *Parit in alieno.*

CONSIDERATIO XVI.

Quomodo B. Virgo & Mater Doloroſa in Circumciſione Chriſti dulciſſimi Filii ſe habuerit?

EMBLEMA.

Vitis cultro adunco usque ad lacrymas ſciſſa, cum epigrapha: *Ut gaudeas mero.*

CONSIDERATIO XVII.

Ex tribus muneribus Magorum Mater Amoris & Doloris deligit ſibi ſolam Myrrham.

EMBLEMA.

Myrrha planta aromatica, cum inſcripto lemmate: *Amara, ſed ſalubris.*

CONSIDERATIO XVIII.

B. Virgo & Mater Doloroſa Chriſtum Filium in templo præſentat, cui Simeon Doloris gladium prædicit.

EM-

Digitized by Google

EMBLEMA.

Cor MARIÆ gladio transfixum, cum lemmate: *Usque ad diviſionem animæ.*

CONSIDERATIO XIX.

Doloroſa Mater in fuga in Ægyptum, & in aliis perferendis difficultatibus Divinæ voluntati ſe penitiſſimè committit.

EMBLEMA.

Tela candida ad picturam expanſa, & ad omnes parata recipiendos colores, cum lemmate: *Qua forma placebit.*

CONSIDERATIO XX.

Expenditur Dolor & Amor afflictiſſimæ Matris DEI, dum Filium ſuum duodennem perdidit.

EMBLEMA.

Columba conſortem roſtro mordens, cum inſcripto: *Amat, & caſtigat.*

CONSIDERATIO XXI.

Omne gaudium Doloroſæ Virginis in hac mortali vita triſti abſynthio permiſtum erat.

EMBLEMA.

Granadilla, ſeu flos Paſſionis, cum lemmate: *Delectat, & cruciat.*

CONSIDERATIO XXII.

B. Virgo etiam in nuptiis Cananæis Doloroſa, quæ non rogata neoſponſis benignè ſuccurrit.

EMBLEMA.

Sol oriens, & univerſis, tum bonis, tum malis lumen ſuum impertiens, cum epigrapha: *Non poſcentibus offert.*

CONSIDERATIO XXIII.

Ex viſis tot injuriis & perſecutionibus Chriſto Filio à Judæis illatis, augetur dolor doloroſæ Matris.

EMBLEMA.

Carduelis inter pungentes ſpinas in carduo ſedens, cum lemmate: *His ego ſuſtentor.*

CONSIDERATIO XXIV.

Perpenditur Amor & Dolor SS. CORDIS JESU & MARIÆ, dum ante paſſionem unum alteri peramanter valedicit.

EMBLEMA.

Hedera arborem aridam peramicè amplexans, cum inſcripto: *Nec mors ſeparabit.*

CONSIDERATIO XXV.

Mater Doloroſa cum Chriſto in horto orante orabat, cum agonizante agonizabat.

EMBLEMA.

Torcular, in quo SS. Cor JESU & MARIÆ ſimul torquentur, cum lemmate: *Cogit in unum.*

CONSIDERATIO XXVI.

B. Virgo intelligit Filium JESUM à Juda in mortem eſſe venditum, & perfido oſculo inimicis traditum.

EMBLEMA.

Crocodilus hominem ad Nili ripam usque ad Calvariam devorans, cum lemmate: *Plorat, & devorat.*

CONSIDERATIO XXVII.

B. Virgo quærit de nocte Filium ſuum captivum, & nunc velut Agnum manſuetum furori luporum traditum.

EMBLEMA.

Lupus rapax agnum ad lanienam aſportans cum inſcripto: *Non eſt, qui redimat.*

CONSIDERATIO XXVIII.

B. Virgo omnes cruciatus & opprobria, quos de nocte perpeſſus eſt Filius, velut præſens animo intuebatur.

EMBLEMA.

Tulipa flos, ſole ad occaſum vergente, languida, cum lemate: *Langueſcit in umbra.*

CONSIDERATIO XXIX.

Doloroſa Mater coràm intuetur miſerabilem dulciſſimi Filii ſui flagellationem.

)**( 3 EM-

Digitized by Google

EMBLEMA.

Duæ citharæ æqualiter intenſæ, quarum una pulſatur, cum lemmate: *Unam tetigiſſe ſat eſt.*

CONSIDERATIO XXX.

Doloroſa Mater quanto cum dolore ſpectârit Filium ſuum ſpinis coronari, atque illudi.

EMBLEMA.

Lilium candidiſſimum ſpinis ubique circumdatum, cum lemmate: *Transfixum ſuavius.*

CONSIDERATIO XXXI.

Quanto dolore & compaſſione Doloroſa Mater audierit & viderit Filium ſuum damnari ad mortem.

EMBLEMA.

Jonas Propheta in mare miſſus iratum, cum lemmate: *Mergor, ne mergantur.*

CONSIDERATIO XXXII.

Mater Doloroſa Chriſtum Filium crucis pondere onuſtum usque ad mortem fidelis comes ſequitur.

EMBLEMA.

Stella veſpertina ſola ſolem occumbentem ſequens, cum inſcripto. *Sequitur deſerta cadentem.*

CONSIDERATIO XXXIII.

In conſpectu afflictiſſimæ Matris Filius JESUS infami crucis patibulo affigitur.

EMBLEMA.

Serpens in palo in deſerto exaltatus, cum epigrapha: *Pharmacum non venenum.*

CONSIDERATIO XXXIV.

Expenditur Dolor & Amor afflictiſſimæ Matris, Filium ſuum in Cruce affixum contemplantis.

EMBLEMA.

Aquila deficientem & eclipſatum ſolem conſiderans, cum lemmate: *Ad te levavi oculos.*

CONSIDERATIO XXXV.

Mater Doloroſa inter Filium Crucifixum & latronem, alióſque peccatores juxta Crucem mediatrix facta eſt.

EMBLEMA.

Sciurus notum animal in ligno & bacillo navigans, cum lemmate: *Ne mergar.*

CONSIDERATIO XXXVI.

B. Virgo & Mater Doloroſa peccatorum & miſerorum ſingulare refugium ac ſolamen.

EMBLEMA.

Pharus in littore maris periclitanti navi tutum monſtrans portum, cum lemmate: *Errantibus una micat.*

CONSIDERATIO XXXVII.

Cur B. Virgo & Mater Doloroſa à Chriſto in Cruce non Mater, ſed mulier fuerit appellata?

EMBLEMA.

Rupes in mari à ventis & procellis petita ac percuſſa, cum lemmate: *Non commovebitur.*

CONSIDERATIO XXXVIII.

Virgo Doloroſa S. Joanni Virgini à Chriſto in Cruce moriente ſpeciali modo commendatur.

EMBLEMA.

Adamas, gemma puriſſima, in menſa expoſitus, cum lemmate: *In puritate pretium.*

CONSIDERATIO XXXIX.

B. Virgo & Mater Doloroſa non tantùm S. Joanni, ſed & nobis à Chriſto in Matrem legata fuit.

EMBLEMA.

Surculus tenellus trunco implantatus, cum epigrapha: *Accipit in ſua.*

CONSIDERATIO XL.

Doloroſa Virgo ſtans ſub umbra Crucis Mater omnium efficitur, ad quam umbram omnes invitat Chriſtianos.

EM-

Digitized by Google

EMBLEMA.

Chriſtus in arbore pendens, & oves ſub umbra ſua fovens, cum inſcripto: *Non eſt hac tutior umbra.*

CONSIDERATIO XLI.

Maria Mater Doloroſa ſtans ſub Cruce Filii omnibus Chriſtianis admirandum patientiæ ſpeculum.

EMBLEMA.

Ovis inter omnes mitis Littera T. ſignata, cum inſcripto: *Non habet redargutionem.*

CONSIDERATIO XLII.

Doloroſa Virgo Filio in Cruce agonizanti aſſiſtens, omnium fidelium agonizantium fideliſſima Patrona.

EMBLEMA.

Candelabrum ſeptemfidum perpetuo ardens lumine, cum inſcripto: *Non extinguetur.*

CONSIDERATIO XLIII.

Quanto mœrore Doloroſa Mater Filium ſuum in Cruce pendentem viderit expirare.

EMBLEMA.

Eclipſis Solis, in qua luminare majus totum obſcuratur, cum lemmate: *Morientis ſideris umbra.*

CONSIDERATIO XLIV.

Exponitur commiſeratio & amor Doloroſæ Matris, Filium ſuum in Cruce mortuum tontemplantis.

EMBLEMA.

Iris ad occumbentem ſolem lacrymans, cum Epigrapha: *Definit in lacrymas.*

CONSIDERATIO XLV.

B. Virgo & Mater Doloroſa etiam poſt cruentam Filii ſui mortem ſub Cruce conſtantiſſimè perſeverat.

EMBLEMA.

Cypreſſus ventorum turbine agitata, & tamen conſtans perſeverans, cum lemmate: *Concuſſio firmat.*

CONSIDERATIO XLVI.

Expenditur Dolor & Amor afflictiſſimæ Matris, dum SS. Cor JESU crudeli lanceâ vulneratum vidit.

EMBLEMA.

Cor JESU lanceâ & Cor MARIÆ Simeonis gladio transfixum, cum lemmate: *Vulneratum vulnerat.*

CONSIDERATIO XLVII.

B. Virgo & Mater Doloroſa rectè ab Eccleſia Regina Martyrum appellatur.

EMBLEMA.

SS. Cor MARIÆ gladio Doloris transfixum, & præ omnibus aliis perpeſſionis SS. Martyrum inſtrumentis exaltatum, cum lemmate: *Supereminet omnes.*

CONSIDERATIO XLVIII.

B. Virgo & Mater Doloroſa prima cultrix SS. Vulnerum Chriſti JESU dilectiſſimi Filii ſui extitit.

EMBLEMA.

Apis flores & roſas quærit, ex quibus paſcatur, cum lemmate: *Currit in odorem.*

CONSIDERATIO XLIX.

B. Virgo & Mater Doloroſa Filium de Cruce depoſitum gremio excipit, & amaris deplorat lacrymis.

EMBLEMA.

Furnus Chymicus, ex cujus ſyphunculis lacrymæ vi ignis intus agentis emanant, cum inſcripto: *Calor elicit imbres.*

CONSIDERATIO L.

Doloroſa Mater curat, ut Filius mortuus & de Cruce depoſitus honeſtæ ſepulturæ mandetur.

EMBLEMA.

Granum frumenti ſeritur in agrum, cum lemmate: *ut ſurgat in ortum.*

CONSIDERATIO LI.

Doloroſæ Matri in paſſione Filii comes indivulſa Maria Magdalena, Crucifixum Amorem ſuum deplorans.

EM.

Digitized by Google

EMBLEMA.

Tela in campo expoſita, & deſuper aquis rigata, cum inſcripto: *A lacrymis candor.*

CONSIDERATIO LII.

Perpenduntur rationes, quare B. Virgo & Mater Doloroſa non unà cum Filio fuerit immolata?

EMBLEMA.

Mergula avis inter aquarum fluctus non merſa, ſed ſemper emergens, cum lemmate: *Merſa non mergitur.*

CONSIDERATIO LIII.

SS. Cor MARIÆ, conſummatâ paſſione, per Chriſtum Filium à mortuis reſurgentem, mirè conſolatur.

EMBLEMA.

Columba Noëmica, olivæ ramum ad arcam roſtro deportans, cum lemmate: *Emergere nuntiat orbem.*

CONSIDERATIO LIV.

B. Virgo Filium in monte Olivario, ubi prius paſſioni initium datum, nunc ad cœlos aſcendentem contemplatur.

EMBLEMA.

Aquila volitans, & ſecum prædam lepuſculum aſportans in aëra, cum lemmate: *Tulit prædam tartari.*

CONSIDERATIO LV.

Secundùm multitudinem dolorum conſolationes Spiritûs Sancti lætificant SS. Cor Virginis.

EMBLEMA.

Ros de cœlo deſcendens, & languentes erigens floſculos, cum inſcripto: *Dulce refrigerium.*

CONSIDERATIO LVI.

Matris Doloroſæ exemplo docemur, quomodo rectè & cum fructu ad DEUM orare debeamus.

EMBLEMA.

Regula, ſeu amuſſis, juxta quam architecti ſua extruunt, & dirigunt ædificia, cum lemmate: *Recta à Recto.*

CONSIDERATIO LVII.

B. Virgo & Mater Doloroſa aſſiduâ virtutum exercitatione ſingulare nobis præbuit ſpecimen temporis bene locandi.

EMBLEMA.

Ferrum ſuper incudem locatum malleo tunditur, cum lemmate: *Dum calet.*

CONSIDERATIO LVIII.

B. Virgo etiam poſt Filii in cœlum aſcenſionem ſedulò amariſſimam ejus paſſionem meditabatur.

EMBLEMA.

Turtur ſedens ſolitaria in ſpelunca, & conſortem ſuum deplorans, cum lemmate: *Gemit dilectum ſuum.*

CONSIDERATIO LIX.

B. Virgo & Mater Doloroſa docet modum, qualiter nos oporteat Chriſti Filii paſſionem meditari.

EMBLEMA.

Elephas ad oſtenſionem ſanguinis uvæ, aut mori, ad certamen animatur, cum lemmate: *Acuitur in prælium*

CONSIDERATIO LX.

Mater Amoris & Doloris inſtruit nos, quomodo ſemper in præſentia DEI ambulare debeamus.

EMBLEMA.

Sol altiſſimus Cor adamantinum intimè penetrans, & radiis ſuis pervadens, cum lemmate: *Intima luſtrat.*

CONSIDERATIO LXI.

B. Virgo & Mater Amoris & Doloris docet nos terrena deſpicere, & ſolùm cœleſtia deſiderare.

EMBLEMA.

Avicula, aliis ſub reticulo hærentibus, ad Cœlum curſum ſuum accelerans, cum inſcripto: *Ad ſidera ſurſum.*

CON.

CONSIDERATIO LXII.

De feliciſſimo obitu, funeralibus, & ſepultura Doloroſæ Virginis ac Matris DEI MARIA.

EMBLEMA.

Avicula tenui filo alligata, & ad Cœlum ſuſpirans, cum lemmate: *Cupio diſſolvi.*

CONSIDERATIO LXIII.

B. Virgo non amplius Doloroſa, ſed Glorioſa à dilecto Filio ad cœleſtem gloriam aſſumitur.

EMBLEMA.

Avis Paradiſiaca compari ſuo innixa ad Cœlum evehitur, cum epigrapha: *Innixa aſcendit.*

CONSIDERATIO LXIV.

B. Virgo olim Doloroſiſſima, nunc Glorioſiſſima triplici corona à SS. Trinitate coronatur.

EMBLEMA.

Corona argentea, ferrea & aurea B. Virgini legitimè certanti offertur, cum lemmate: *Curſu completo.*

CONSIDERATIO LXV.

De cultu, quem Magnæ DEI Matri debemus, ejusque potentiſſimo in Cœlis patrocinio.

EMBLEMA.

Ad præſentiam Arcæ fœderis immundus Dagon à ſede & ſolio ſuo dejicitur, cum lemmate: *Cui honorem, honorem.*

CONSIDERATIO LXVI.

Præcipuus cultus B. Virgini ac Matri Doloroſæ impenſus, eſt ſedula ejus virtutum imitatio.

EMBLEMA.

Virga Moſaica populo per mare rubrum ac deſertum viam in Palæſtinam monſtrans, cum lemmate; *Illuc iter, quò oſtendam.*

CONSIDERATIO LXVII.

In B. Virginis Patrocinio in SS. Roſario omnibus Chriſtianis magna fiducia collocanda eſt.

EMBLEMA.

Labyrinthus, ex quo manus de Cœlo miſſa animam errantem ad viam ſalutis filo dato reducit, cum lemmate: *Hac duce tuta via eſt.*

CONSIDERATIO LXVIII.

B. Virgo in SS. Scapulari clientibus ſuis in hac & in altera vita benigna Mater eſt.

EMBLEMA.

Clypeus Joſuę in caſtris elevatus, per quem urbem Hai expugnavit, cum inſcripto: *Præſidium & decus.*

CONSIDERATIO LXIX.

Mater Amoris & Doloris ſingulariter invocanda eſt, ut in hora mortis nobis aſſiſtere dignetur.

EMBLEMA.

Horologium, ubi Index digitus horam ſecundam monſtrat, cum epigrapha: *Utinam ſecundâ.*

CONSIDERATIO LXX.

Matris Amoris & Doloris, verè Matris miſericordiæ Amor beneficus in animas purgantes declaratur.

EMBLEMA.

Piſces de nocte ad expoſitum in navicula lumen natantes, cum lemmate: *Veniunt ad lucem.*

EPILOGUS.

Cum Matre Doloroſa per multas cruces & tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI.

EMBLEMA.

Arca Noëmica poſt exantlatos diluvii fluctus reſidens, & quieſcens, cum lemmate: *Non mergitur, ſed extollitur.*

# INDEX CONCIONATORIUS.
## Per Dominicas & Feſta, ac per Ferias Quadrageſimæ.

Dominica I. Adventûs.

*Scitote, quoniam propè eſt regnum DEI. Luc. 21. 31.*

Regnum DEI quærendum eſt, mundana & terrena omnia deſpicienda. Vide Conſiderationem 61. totam, & ſic de ſequentibus hîc annotatis.

Dominica II. Adventûs.

*Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Matth. 21. 3.*

De Adventu Chriſti in carne, & ſummo hujus Incarnationis beneficio. Vide Conſiderat. 11.

Dominica III. Adventûs.

*Ego vox clamantis in deſerto. Joan. 1. 23.*

De virtute veræ & ſinceræ humilitatis ſummè nobis neceſſaria. Vide Conſiderat. 8.

Dominica IV. Adventûs.

*Et videbit omnis caro ſalutare DEI. Luc. 1. 6.*

Chriſtus in utero B. Virginis mirè peccatoribus placatus eſt. Vide Conſ. 13.

Dominica infra Octav. Nat. Chriſti.

*Ecce, poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur; & tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Luc. 2. 34.*

De gladio Simeonis, quomodo animam & Cor Doloroſæ Matris fauciârit. Vide Conſid. 18.

Dominica I. poſt Epiphaniam.

*Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Luc. 2. 48.*

De Dolore & Amore afflictiſſimæ Matris per triduum Filium duodennem perditum quærentis. Conſid. 20.

Dominica II. poſt Epiph.

*Dicit Mater JESU ad eum: vinum non habent. Joan. 2. 3.*

De ſolicita Matre JESU, quæ non rogata egenis ſponſis ſuccurrit. Conſid. 22.

Dominica III. poſt Epiph.

*Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Matth. 8. 6.*

Ægrotantium & agonizantium ſingularem curam gerit Mater Amoris & Doloris. Vid. Conſid. 42. & Conſid. 69.

Dominica IV. poſt Epiph.

*Ecce, motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. 8. 24.*

Omne gaudium in hoc mundo triſti abſynthio permiſtum eſt. Conſid. 21.

Dominica V. poſt Epiph.

*Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit Zizania. Matth. 11. 25.*

Non hîc nobis inter tot pericula dormiendum eſt, ſed dum habemus tempus, operemur bonum. Conſid. 57.

Dominica VI. poſt Epiph.

*Cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor. Matth. 13. 32.*

Arbor iſta Crux Dominica eſt, in cujus ramis volucres Cœli, id eſt, piæ animæ nidificant. Conſid. 40.

Domi-

Digitized by Google

Dominica Septuageſimæ.

***Ite & vos in vineam meam. Matth. 20. 7.***

Non hîc otiandum eſt, ſed per multos labores & ſudores oportet nos ex hac Eccleſiæ vinea intrare in regnum DEI. Conſid. 45. & Epilogus.

Dominica Sexageſimæ.

***Fructum afferunt in patientia. Luc. 8. 16.***

Patientia juxta exemplar Doloroſæ Matris nobis neceſſaria eſt, ut reportemus repromiſſiones. Vid. Conſid. 41.

Dominica Quinquageſimæ.

***Ecce, aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Luc. 18. 31.***

De injuriis & perſecutionibus Chriſto ante paſſionem illatis, ex quibus viſis augetur Dolor pientiſſimæ Matris. Vid. Conſ. 23.

Feria IV. Cinerum.

***Fecit Tobias vale Matri ſuæ. Tob. 5. 22.***

De Valedictione Chriſti à SS. Matre ſua, nunc ad cruentam abeuntis paſſionem. Conſid. 24.

Feria VI. poſt Cineres.

***Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Luc. 22. 44.***

De Chriſto in horto agonizante, cujus cruenti agonis non ignara fuit Doloroſa Mater ejus. Conſid. 25.

Sabbato poſt Cineres.

***Confeſtim accedens ad JESUM dixit: Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum. Matt. 26. 49.***

Doloroſa Mater inaudit Filium in mortem venditum, & Judæis traditum. Conſ. 26.

Dominica I. Quadrageſimæ.

***Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris. Thren. 4. 20.***

Doloroſa Mater quærit de nocte dilectum Filium captivum nunc ad Pontifices raptatum. Conſid. 27.

Feria IV. poſt Dom. I. Quadr.

***Plorans ploravit in nocte, & lacryma ejus in maxillis ejus. Thren. 1. 2.***

Doloroſa Mater Filii cruciatus, quos de nocte paſſus eſt, præſens animo intuebatur. Conſid. 28.

Feria VI. poſt Dom. I. Quadr.

***E ſui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Pſalm. 72. 14.***

Doloroſa Mater præſens intuetur miſerabilem Chriſti Filii ſui flagellationem. Conſider. 29.

Sabbato poſt Dom. I. Quadr.

***Imponunt ei plectentes ſpineam coronam, & cœperunt ſalutare eum: Ave Rex Judæorum. Marc. 15. 17.***

Doloroſa Mater Filium ſuum ſpineâ redimitum coronâ contemplatur. Conſ. 30.

Dominica II. Quadrageſimæ.

***Dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Joan. 19. 5.***

Doloroſa Mater præſens audit mortis ſententiam à Præſide Romano in Filium latam. Conſid. 31.

Feria IV. poſt Dom. II. Quadr.

***Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. Joan. 19. 17.***

Doloroſa Mater Filium crucem bajulantem ad Calvariæ montem comitatur. Conſid. 32.

Feria VI. poſt Dom. II. Quadr.

***Poſtquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. Luc. 23. 33.***

Doloroſa Mater cruentæ Filii crucifixioni præſens adſtat, heu quanto cum mœrore! Conſid. 33.

Sabbato poſt Dom. II. Quadr.

***Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum. Iſa. 38. 14.***



Digitized by Google

Doloroſa Mater quo materno affectu Crucifixum Filium fuerit contemplata. Conſider. 34.

Dominica III. Quadrageſimæ.

*Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiſo. Luc. 23. 43.*

Doloroſa Mater inter Filium crucifixum & latronem in patibulo pendentem optima mediatrix facta eſt. Conſid. 35.

Feria IV. poſt Dom. III. Quadr.

*Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. Cant. 8. 10.*

Doloroſa Mater ſtans ſub Cruce non ſolùm Diſmæ latroni, ſed & omnibus miſeris ac peccatoribus ſingulare refugium facta eſt. Conſid. 36.

Feria VI. poſt Dom. III. Quadr.

*Mulier, ecce Filius tuus. Joan. 19. 26.*

Quare Doloroſa Mater ſtans juxta Crucem à Filio Crucifixo non Mater ſed Mulier vocata ſit. Conſid. 37.

Sabbato poſt Dom. III. Quadr.

*Deinde dicit diſcipulo: Ecce Mater tua. Joan. 19. 27.*

Quare Doloroſa Virgo & Mater S. Joanni ſpeciali modo à Chriſto patiente fuerit commendata. Conſid. 38.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

*Ecce Mater tua. Joan. 19. 27.*

Doloroſa Mater non tantùm S. Joanni, ſed & omnibus Chriſtianis à Chriſto patiente in Matrem data, & conſignata eſt. Conſider. 39.

Feria IV. poſt Dom. IV. Quadr.

*In umbra tua vivemus. Thren. 4. 10.*

Mater Doloroſa omnes clientes ſuos ad umbram S. Crucis materno affectu invitat. Conſid. 40.

Feria VI. poſt Dom. IV. Quadr.

*Tu es patientia mea Domine. Pſal. 70. 5.*

Mater Doloroſa ſtans juxta crucem Filii omnibus in tribulatione exiſtentibus admirandum patientiæ ſpeculum. Conſ. 41.

Sabbato poſt Dom. IV. Quadr.

*Non relinquam vos orphanos. Joan. 14. 18.*

Mater Doloroſa Filio in cruce agonizanti aſſiſtit, & ideò clientum ſuorum agonizantium fideliſſima Mater. Conſid. 42.

Dominica Paſſionis.

*Vidit ſuum dulcem natum, morientem, deſolatum, dum emiſit ſpiritum. Eccl. in hym.*

Doloroſa Mater, quo cum dolore ac mœrore dulciſſimum Filium ſuum viderit in crucis patibulo expirantem. Conſid. 43.

Feria IV. poſt Dom. Paſs.

*Doleo ſuper te frater mi Jonatha decore nimis, & ſicut mater unicum amat Filium ſuum, ita ego te diligebam. 2. Reg. 1. 26.*

De Commiſeratione & materno animi affectu, quo Mater amoris & doloris Filium in cruce mortuum contemplata eſt. Conſid. 44.

Feria VI. poſt Dom. Paſs.

*Mulierem fortem quis inveniet? Prov. 31. 10.*

De conſtantia & inexplicabili fortitudine Matris Doloroſæ poſt tam cruentam Filii mortẽ ſub cruce perſeverantis. Conſ. 45.

Sabbato poſt Dom. Paſſ.

*Vulneraſti Cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti cor meum. Cant. 4. 9.*

Non ſolùm SS. Cor JESU, ſed & Doloroſæ Matris per militis lanceam crudeliter vulneratum eſt. Conſid. 46.

Dominica Palmarum.

*Tu ſupergreſſa es univerſas. Prov. 31. 29.*

Doloroſa Mater verè Martyrum Regina, quorum omnium dolores dolore ſuo longiſſimè ſupergreſſa eſt. Conſid. 47.

Feria II. poſt Dom. Palmarum.

*Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*

Digitized by Google

*rum: & dicit: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Zach.* 13. 6.

DoloroſaMater quomodo, & quo materno affectu quinque SS. Chriſti JEſu, dilectiſſimi Filii ſui Vulnera venerata ſit. Conſid. 48.

Feria III. poſt Dom. Palmar.

*Poſuit* Filium *illa ſuper genua ſua usque ad meridiem. 4. Reg.* 4. 20.

Mater Doloroſa dulciſſimum natum de ligno depoſitum ſinu ſuo excipit, & amariſſimis deflet lacrymis. Conſid. 49.

Feria IV. poſt Dom. Palmar.

*Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum: ibi ergo poſuerunt JEſum. Joan.* 19. 41.

Mater Doloroſa anxiè curat, ut dilectiſſimus Filius in Crucis patibulo mortuus, & abinde depoſitus honeſtæ mandetur ſepulturæ. Conſid. 50.

Feria V. in Cœna Dom.

*Plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum; ut doleri ſolet in morte primogeniti, Zach.* 12. 10.

De ferventiſſimis lacrymis Doloroſæ Matris & Mar. Magdalenæ, quibus Chriſto Amori ſuo ad ſepulchrum parentârunt. Conſid. 51.

Feria VI. Paraſceves.

*Non moriar, ſed vivam; & narrabo opera Domini. Pſal.* 117. 17.

Quare unà cum Filio afflictiſſima Mater non mortua, & imolata fuerit? Conſ. 52.

Sabbato Sancto.

*Aſpicientes in Auctorem fidei, & conſummatorem JEſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ. Hebr.* 12. 1.

MaterDoloroſa modum edocet, quomodo cum fructu Chriſti Filii paſſionem poſſimus meditari. Conſid. 59.

Dominica Reſurrectionis.

*Et ſiluerunt fluctus ejus. Pſal.* 106. 29.

Doloroſa Mater à Chriſto à mortuis reſurgente, primò viſitatur, & conſolatur. Conſid. 53.

Feria II. Paſchæ.

*Nonne hac oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc.* 24. 26.

Ad regnum DEI non per voluptates, ſed per crucem & paſſionem cum Chriſto & DoloroſaMatre pervenitur. Vid. Epilog.

Dominica in Albis.

*Oſtendit eis manus & latus. Joan.* 20. 20.

Mater Doloroſa meritò prima cultrix quinque SS. Chriſti Vulnerum dici debet, de quibus plura Conſid. 48.

Dominica II. poſt Paſcha.

*Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Joan.* 10. 11.

Quomodo cum Matre Doloroſa etiam poſt reſurrectionem aut aſcenſionem Filii, ejus paſſionem debeamus cum fructu ſummo meditari. Conſid. 58.

Dominica III. poſt Paſcha.

*Quid eſt, quod dicit modicum? Joan.* 16. 18.

Omnia ſunt modicum, omnia vana & inania præter cum Doloroſa Matre amare DEUM & illi ſoli inſervire. Vid. Conſider. 61.

Dominica IV. poſt Paſcha.

*Vado ad eum, qui miſit me. Joan.* 16. 5.

Cum Doloroſa Matre ſemper oportet nos in præſentia DEI ambulare, ut ſecurè ad Patrem veniamus. Conſid. 60.

Dominica V. poſt Paſcha.

*Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. Joan,* 16. 23.

Exemplo Doloroſæ Matris inſtruimur, quomodo cum optato fructu obtinendo ad DEUM orare debeamus. Conſid. 56.



Digitized by Google

In Feſto Aſcenſionis Domini.

*Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem. Epheſ.* 4. 8.

Quo animi cum gaudio ac ſolatio Beata Virgo Filium ſuum in Cœlum aſcendentem, & prædam tartari auferentem, ſit contemplata. Conſid. 54.

Dominica VI. poſt Paſcha.

*Hæc locutus ſum vobis, ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini. Joan.* 16. 4.

Nunquam immemores vivamus Chriſti paſſi & Doloroſæ Matris compatientis, per cujus interceſſionem Spiritum S. & omnia bona faciliùs poſſumus impetrare. Vide, ſi placet, Paræneſ. vel Conſ. 65.

Dominica Pentecoſtes.

*Et repleti ſunt omnes Spiritu S. Actor.* 2. 4.

De miſſione Spiritûs Sancti, & qualiter Cor B. Virginis ac Matris DEI ómni conſolatione repleverit. Conſid. 55.

# INDEX CONCIONATORIUS

## Pro Feſtis per Annum.

In Feſto Circumciſionis Domini.

*Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer. Luc.* 2. 21.

Quomodo B. Virgo in Circumciſione Chriſti Filii ſe habuerit. Item de SS. Nomine JESU, quod Doloroſa Mater Filio tunc impoſuit. Vide Conſid. 16.

Feſto Epiphaniæ Domini.

*Obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham. Matth* 2. 11.

Mater JESU ex tribus oblatis muneribus ſibi Myrrham reſervat. Conſid. 17.

Feſto Deſponſationis B. V.

*Cùm eſſet deſponſata Mater ejus Maria Joſeph. Matth.* 1. 18.

Quomodo, & quare B. Virgo cum S. Joſepho fuerit deſponſata? Conſid. 9.

Feſto Purificationis B. V.

*Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam* &c. *Luc.* 2. 34.

B. Virgini in templo Filium ſuum Patri cœleſti præſentanti, Simeon doloris gladium præſagit. Conſid. 18.

Feſto S. Matthiæ Apoſt.

*Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Matth.* 11. 29.

Vide de SS. Corde JESU crudeli lancea, & Corde MARIÆ doloris gladio transfixis Conſid. 46.

Feſto S. Joſephi.

*Joſeph Fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam. Matth.* 1. 20.

Vide pro hoc Feſto Conſ. 9. Item 19. & 20.

Feſto Annuntiationis B. V.

*Ave gratiâ plena. Luc.* 1. 28.

MARIA, quia gratiâ plena eſt, poteſt & nobis à DEO gratiam impetrare. Conſ. 10.

Feſto eodem.

*Deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & Homo factus eſt*, Symb. Nicen.

Vide de hoc altiſſimo Incarnationis myſterio Conſid. 11.

Feſto eodem.

*Cuncti dies ejus Doloribus & ærumnis pleni ſunt. Eccleſ.* 2. 23.

B. Virgo ab illo momento, quo Mater DEI facta eſt, crucem & gladium doloris in animo geſtavit. Conſid. 12.

Feſto Inventionis S. Crucis.

*Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant.* 2. 3.

Ad

Digitized by Google

Ad umbram S. Crucis omnes hodie invitantur Chriſtiani. Vide Conſid. 40.

Feſto Viſitationis B. V.

*Benedictus fructus ventris tui. Luc.* 1. 42.

B. Virgo VERBO gravida mirè iratum Numen placavit. Vide Conſid. 13.

Feſto eodem.

*Intravit in domum Zacharia, & ſalutavit Eliſabeth. Luc.* 1. 40.

De hac viſitatione & ſalutatione Eliſabeth Vide Conſid. 14.

Feſto S. M. Magdalenæ.

*Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc.* 7. 38.

B. M. Magdalena doloroſæ Matri in Paſſione fidelis ſocia amariſſimis lacrimis Crucifixum Amorem ſuum deplorat. Conſ. 51

Feſto Aſſumptionis B. V.

*Optimam partem elegit MARIA, quæ non auferetur ab ea. Luc.* 10. 42.

De feliciſſimo obitu & pretioſa morte B. V. MARIÆ. Conſid. 62.

Feſto eodem & per Triceſimum.

*Intravit in quoddam caſtellum. Luc.* 10. 38.

B. Virgo & Mater Amoris & Doloris à Filio ſummo omnium cœlitum cum jubilo ad cœleſte regnum aſſumitur. Conſid. 63.

Feſto eodem & per Triceſimum.

*Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis. Cant.* 4. 8.

Quâ cum pompâ B. Virgo à SS. Trinitate in Cœlo fuerit coronata. Conſid. 64.

Feſto eodem & per Triceſ.

*Et ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat Matrem ſuam. Eccl.* 3. 5.

De cultu & veneratione, quem Magnæ Cœli Reginæ debemus. Conſid. 65.

Feſto eodem & per Triceſ.

*Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. 1. Cor.* 4. 16.

Qui B. Virginem verè colit, ejus virtutes debet imitari. Conſid. 66.

Feſto eodem & per Triceſ.

*Tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.* Eccleſiâ in hymn. B. V.

Quomodo B. Virgo in hora mortis ſuis ſuccurrat clientibus. Conſid. 69.

Feſto Nativitatis B. V.

*Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens? Cant.* 6. 9.

Quare B. Virgo in aurora & juxta piſcinam probaticam in lucem nata ſit? Conſ. 4.

Feſto eodem.

*Liber generationis JESU Chriſti. Matth.* 1. 1.

B. Virgo MARIA liber eſt generationis JESU Chriſti. Conſid. 1.

Feſto Nominis MARIÆ.

*Et Nomen Virginis MARIA. Luc.* 1. 27.

Quare B. Virgini hoc Nomen MARIA fuerit impoſitum? Conſid. 5.

Feſto S. Matthæi Apoſt.

*Miſericordiam volo, & non Sacrificium. Matth.* 9. 13.

Vide de converſione peccatorum & miſericordia Crucifixi Conſid. 35. & 36.

Feſto S. Michaëlis.

*Quicunque ergo humiliaverit ſe, ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno cœlorum. Matth.* 18. 4.

Quò humilior, eò DEO charior ac gratior es. Conſid. 8.

Feſto Simonis & Judæ Apoſt.

*Odio habuerunt me gratis. Joan.* 15. 25.

De injuriis & perſecutionibus à Judæis ante paſſionem Chriſto illatis. Conſ. 23.

Feſto Omnium Sanctorum.

*Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Matth* 5. 10.

Per crucem ad lucem, & per labores ac tribulationes venitur in cœlum. Vid. Epil.

In Commemoratione Fidelium Animarum.

*Reſpice in nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum. Eccl.* 26. 1.

Amor

Digitized by Google

## *Index Concionatorius pro Feſtis per Annum.*

Amor Beneficus B. Virginis erga animas purgantes. Conſid. 70.

Feſto Præſentationis B. V.

*Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis. Gen.* 8. 21.

B. Virgo in templo ut trimula præſentata cor ſuum SS. Triadi in holocauſtum amoris conſecrat. Conſid. 6.

Feſto eodem.

*Adducentur Regi Virgines poſt eam. Pſ.* 44. 16.

B. Virgo prima inter omnes votum virginitatis emittit. Conſid. 7.

Feſto eodem.

*Cùm eſſem parvula, placui Altiſſimo.* Eccleſia in Offic. B. V.

B. Virgo quia humillima, ideò nunc altiſſima & Mater Chriſti digniſſima. Conſ. 8.

Feſto S. Andreæ Apoſt.

*Salve Crux pretioſa.* Eccleſia in Offic.

Vide de cruce plura Conſid. 32. item 33. & 40. &c.

Feſto Conceptionis B. V.

*Ipſa conteret caput tuum. Gen.* 3. 15.

Quare B. Virgo ab omni originali labe immunis? Conſid. 2.

Feſto eodem.

*Quæretur peccatum illius, & non invenietur. Pſal.* 10. 15.

B. Virgo ab omni quoque labe actuali immunis extitit. Conſid. 3.

Feſto S. Thomæ Apoſt.

*Inſer digitum tuum huc, & vide manus meas. Joan.* 20. 27.

De Quinque SS. Chriſti Vulneribus devotè colendis. Conſid. 48.

Feſto eodem.

*Affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan.* 20. 27.

De latere & SS. Corde JESU vulnerato. Vide Conſid. 46.

Feſto Nativitatis Chriſti.

*Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in Præſepio, quia non erat eis locus in diverſorio. Luc.* 2. 7.

Vide de hac admirabili Chriſti Nativitate Conſid. 15.

Feſto S. Stephani Protomartyris.

*Ecce, video cælos apertos, & JESUM ſtantem à dextris virtutis Dei. Act.* 7. 55.

Præſentia Dei omnia videntis animavit Stephanum ad tam cruentum certamen alacri animo ſuſtinendum. Vid. Conſ. 60.

Feſto S. Joannis Evangeliſtæ.

*Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua. Joan.* 19. 27.

Quare S. Joanni Chriſtus in cruce moriens SS. Matrem ſuam commendaverit? Vide Conſid. 38. & 39.

Feſto SS. Innocentûm.

*Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Matth.* 2. 13.

De hac fuga & incommodis per ſeptem annos in Ægypto à Chriſto, B. Virgine & S. Joſepho exantlatis. Vide Conſid. 19.

Feſto SS. Roſarii.

*Funiculus triplex difficilè rumpitur. Eccl.* 4. 12.

De potentiſſimo B. Virginis patrocinio in SS. Roſario. Conſid. 67.

Feſto SS. Scapularis.

*Clypeus eſt ſperantibus in ſe. Prov.* 30. 5.

Quàm forte ſit ſcutum SS. Scapulare B. V. monſtrat Conſid. 68.

Feſto VII. Dolorum B. V.

*Gemitûs Matris tuæ ne obliviſcaris. Eccl.* 7. 29.

Vide hac de re Paræneſin, & omnes reliquas de Paſſione Chriſti & compaſſione Doloroſæ Matris Conſiderationes.

PARÆ-

Digitized by Google

# PARÆNESIS

## Ad Sodales Parthenios, eximios Beatiſſimæ Virginis ac Matris Doloroſæ cultores & amatores.




Iter para tutum, ut videntes JEſum, ſemper collætemur. *Eccleſ. in hym. B. V.*

1. QUi in Palæſtinam & ſanctam urbem Jeruſalem, olim Chriſti Sanguine purpuratam, migrare diſcupit, is neceſſariò ſe mari Mediterraneo debet committere, cui inter vitæ mortiſque vias incedenti unica ſpes ac perfugium illud lignum ſeu navis, à qua portatur, & Cy noſura ſeu ſtella Polaris, à qua regitur, eſſe ſolet, cui ſtellæ nunquam occiduæ pro lemmate rectè inſcribes: *Monſtrat iter, tutúmque facit*; vel potius:

Hac monſtrante viam.

DD. Sodales, Deo & SS. Deiparæ dilectiſſimi! nullus dubito, quin vehementi deſiderio ad terram illam deſiderabilem & Palæſtinam, cœleſti lacte & melle perpetuò manantem, atque ad illam civitatem ſanctam & novam Jeruſalem aſpiretis, quam pretioſiſſimus orbis Redemptor Chriſtus ſibi & omnibus Electis ſuis immenſo ſanguinis ſui pretio paravit: proinde neceſſe erit, quia pedeſtri itinere illuc pervenire non poteſtis, ut periculoſi maris fluctibus vos committatis. Et quid dico? Si hanc veritatem attentiore mentis oculo perpendo, jamjam in mari eſtis, in quo plenis & laxatis velis ad æternitatis portum navigatis: & quid, obſecro, hic mundus immundus aliud eſt, quàm *mare magnum & ſpatioſum*, (Pſal. 103. 25.) in quo aſſiduis tentationum, concupiſcentiarum, curarum, laborum, anxietatum, morborum, perſecutionum ac variarum paſſionum jactamini fluctibus? oportet ergo, ut inter tot animæ corporiſque diſcrimina, inter tot æſtus ac naufragii pericula, inter tot Scyllas & Charybdes de ligno, ſeu navi, in qua tuti ad ſalutis æternæ portum provehamini, atque de fida Cynoſura, quæ vobis ſecuram ad cœleſtem illam Jeruſalem demonſtret viam, maturè & dum adhuc gratiarum aſpirat Favonius, vobis provideatis. Verùm quod illud ſalutis lignum, & quæ illa felix Cynoſura? audite Doctorem Seraphicum: (S. Bonav. in Spec. c. 3.) *Quibus auxiliis*, inquit, *poſſunt naves inter tot pericula tranſire usque ad littus? certè per duo, per lignum & ſtellam, id eſt, per fidem crucis & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maris Stella MARIA*, quæ duo divinus ille amor tam arcto & ſacro nexu conjunxit, ut ſeparari, aut disjungi non poſſint.

Et ecce utrumque hic vobis exhibeo: navis ſeu lignum, in quo tuti per varios caſus & per diſcrimina rerum tenditis ad cœlum, crux eſt, ita S. Antonius Paduanus, (S. Antonius Pad. Serm. 5. Dom. 4. poſt Epiph.) *Crux Chriſti*, inquit, *navis eſt & triumphale lignum*, &c. Cynoſura autem, ſeu Stella maris & Polaris MARIA Virgo & Mater Doloroſa eſt, nunquam ſuis occidens, unde lemma: *Non occidit unquam*: dum relicto JESU omnes fugerunt, ipſa tamen *ſtabat*, & ſub cruce ſtabat, (Jo. 19. 25.) cùm viderentur omnia ſusque deque verti: *Oportet*, ſunt verba S. Fulberti Epiſcopi, (S. Fulb. Ep. Serm. de Nat. Virg. P. Guil. Cumpp. S. J. Ded. Item Had. Lyr. de Chriſto Pat. & plures alii.) *univerſos Chriſticolas inter fluctus hujus ſæculi remigantes attendere Matris Stellam hanc, id eſt, MARIAM, quæ ſupremo rerum cardini Deo proxima eſt, & reſpectu exempli ejus vitæ curſum dirigere.*

2. Et hoc eſt, ad quod peculiari modo reſpexit Magnus ille Patriarcha & Eccleſiæ columen S. Ignatius Loyola, Societatis JEſu Fundator glorioſiſſimus, juxta ac digniſſimus, qui, ubi militiæ ſanctiori in monte Serrato initium dedit, ab eo tempore aſſiduo palmarem Chriſti Crucifixi effigiem & B. Virginis ac Matris Doloroſæ imaginem in tabella coloribus expreſſam, pectori ſuo applicitam usque ad beatiſſimam mortem ſuam circumgeſtare ſolitus fuit, quorum ope mirè protectus, ſperatis tot vitæ hujus diſcriminibus ac difficultatibus, tandem feliciſſimè ad æternæ beatitudinis portum appli-

applicuit; in cujus rei memoriam etiamnum prædictam Crucifixi JESU effigiem Barcinone nobiliſſima Familia Paſqualina inter pretioſa cymelia religioſè aſſervat, imaginem verò B. Virginis Doloroſæ ſub cruce ſedentis & gladio doloris in pectore transfixæ Collegium Cæſarauguſtanum Soc. JESU poſſidet, ac pio cultu veneratur, & quia à ſanctiſſimo illo Fundatore jugiter ad COR in pectore geſtata eſt, ideo nomen obtinuit.

# Sancta MARIA à Corde.

En Clientes Mariani hic finem & ſcopum ſuſcepti à me laboris; præſentavi nuper DD. Confratribus SS. Cordis JESU hoc Diviniſſimum COR Incarnati, Eucharistici & Crucifixi JESU ad meditandum, prædicandum, colendum, amandum & imitandum, nunc pari affectu vobis offero Sanctam MARIAM à Corde, ſeu Matrem Doloroſam, cujus SS. Cor & animam in hac mortali vita perpetuus doloris gladius pertranſivit, ut cum ſancto Ignatio eandem doloroſiſſimam Deiparentem pari affectu & totis medullis cordium diligatis, ejusque honorem ac cultum in omnium cordibus
propagare ſtudeatis: *Attendite me, qui ſequimini, quod juſtum eſt, & quæritis* Iſa. 51. 1.
*Dominum: Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam laci, de qua præciſi eſtis: Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Pater veſter & petra, de qua præciſi eſtis, juxta D. Hieronymum & alios,
Chriſtus JEſus & hic crucifixus eſt: *Petra autem erat Chriſtus*, de cujus perfoſ- S. Hier. hic
ſo latere & ſacratiſſimo Corde in novam vitam eſtis progeniti: *Qui ſecun-* apud Cor-
*dùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam*; Sara autem (quod nel.
nomen *Dominam odoris* ſignificat) in typo B. Virginem ac Matrem Dolorro- 1. Cor. 10. 2. 1. Pet. 1. 3.
ſam exprimit, dum ſub cruce cunctorum viventium Mater effecta eſt:
*Ecce mater tua*, heu quanto dolore illic nos peperit: *Ibi dolores ut parturientis* Jo. 19. 27.
ô pientiſſima: *In dolore paries filios tuos*! Pſ. 47. 7.
3. Mirantur, cauſámque inveſtigant ſacri Doctores, quare Nobilis Gen. 3. 16.
ille Decurio Joſephus ab Arimathæa, ubi intellexit JESUM inter latrones in ligno ſuſpenſum nunc expirâſſe, & vitam in cruce eſſe mortuam, poſthabito omni vitæ & honoris periculo, tam audacter ad Romanum Judi-
cem Pilatum ingreſſus ſit, ut ab illo exanime Corpus JESU ſibi depoſceret: Marc. 15.
*Audacter introivit ad Pilatum, & petiit Corpus JEſu*, quod & feliciter à Judice obtinuit, acceptumque de fatali ligno mundâ ſindone involvit, & in proprio monumento, recens in petra viva exciſo, ſepelivit. O virum ineffabilem, cui ſe meritò omnibus modis obſtrictam debet mortalitas humana! & quid, obſecro, hunc Nobiliſſimum Decurionem eo commovit, ut tam audacter & confidenter pendentis poſtularet cadaver, illudque tanta cum ſedulitate ac pietate tumulo mandaret?

Sim. Metaph. hic S. Anſel Dial. de paſſ. Dom. & Fineti in Reflex. Spir. f. 668.

Reſpondet Simeon Metaphraſtes author antiquiſſimus, Joſephum ad id piiſſimi officii genus, Crucifixo JESU deferendum, Doloroſiſſimæ Virginis ac Matris afflictiſſimæ lacrymis & precibus inductum; S. Anſelmus verò à cœlo edoctus docet, Joſephum peculiari quodam modo ex conſiderarione & commiſeratione erga hanc mœſtiſſimam Deiparentem eſſe commotum, ut, ſepoſito omni metu, ad Pilatum introiret, cui inter alia etiam hoc & principaliſſimum argumentum objectavit: Non eſſe Legi & rationi conveniens, ut Mater innocens unâ cum Filio innocuo unâ ſimul die immoletur; perſeverare illam adhuc in ſtatione ſua ſub cruce penè exanimem, aſpiciendo doloroſiſſimum & exangue Unigeniti ſui Corpus adhuc inſepultum, & quâ ratione ſuo ſatisfaceret amori, ignorantem; neque hanc derelictam & pauperrimam Viduam in tam immenſo afflictionum & dolorum pelago aliud deſiderare ſolamen, quàm ut filius ſuus de infami trabe depoſitus inter materna collocaretur brachia, ut illius cruorem ac livorem pientiſſimis ablueret lacrymis, corpusque emortuum convenienti traderet ſepulturæ, &c. *Tunc Pilatus juſſit reddi corpus*, &c.

Matth. 27. 58.

O Clientes Mariani! videte & conſiderate in viro & genere & virtute nobili pulcherrimum exemplum, quod ſtupeant poſteri, imitentur omnes; & quis, obſecro, non amet, non æſtimet, non colat hanc afflictiſſimam Deiparentem? *Quis digne valeat*, ut cum S. Auguſtino loquar, *tibi, ô Virgo, juſta gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito*? Et ſi de Patre æterno dilectus Chriſti Diſcipulus & MARIÆ Filius dicit: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*; ſic & de hac Doloroſiſſima Matre jure merito dicere poſſumus: Sic Sacratiſſimum COR B. Virginis MARIÆ dilexit nos, ut Filium ſuum Unigenitum ipſa in loco tormentorum præſens daret pro nobis in ara crucis immolandum, ut omnis, qui in ejus ſperat interceſſionem, eamque tenere ut Matrem amat, non æternùm pereat; ſed vitam conſequatur ſempiternam. Audis hoc, homo Chriſtiane, & Mariophile!

S. Auguſt. Serm. 18. de San. in medio. Joan. 3. 16.

4. Neque dubitandum, quin cultus ille & amor, qui Doloroſæ Matri defertur, DEO ſit gratiſſimus: ſicut enim Chriſto nil magis placet, quàm devota ac grata hominis Chriſtiani de amariſſima paſſione ſua memoria, ſic SS. Deiparæ nullum obſequium gratius accidere poteſt, quàm ſi dulciſſimi Cordis ſui dolores & anguſtias, quas in paſſione Filii, imò per omnem vitæ curſum ſuſtinuit, devotâ menre recolamus; ſed eheu! admodùm pauci nunc reperiuntur in mundo, qui huic afflictiſſimæ Virgini ac Matri ſincerè compatiuntur, de qua ingratitudine ipſa ſanctiſſima Domina aliquando apud ſanctam Birgittam peramanter conqueſta eſt: *Reſpicie ad omnes*, inquiebat, *qui in mundo ſunt, ſi fortè ſint aliqui, qui compa-*

Revel. S. Birg. lib. 2. c. 24.



Digitized by Google

*tiantur mihi, & recogitent dolorem meum, & valde paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum; ideo Filia, licet à multis oblita, & neglecta ſim, tu tamen non obliviſcaris mei, vide dolorem meum, & imitare, quantum potes, conſidera dolores meos & lacrymas, & dole, quòd amici DEI pauci ſint*, &c. O Sodales Mariani, nunquid & vos inter paucos illos eritis, quia tota cordis & omnium viſcerum latitudine poſt JESUM Crucifixum ament & colant hanc SS. & afflictiſſimam Matrem, quæ tantùm vos diligit, & jam olim in hac mortali vita dilexit, dum pariter ſanguinem ſuum, quem in Incarnatione ſuo Filio obtulit, in paſſione per Chriſtum pro veſtra ſalute effudit? Audite ipſam iterum ad S. Birgittam loquentem: *Propterea dico, quod dolor ejus erat dolor meus, quia Cor ejus erat cor meum.* Juvat etiam hìc audire Divum Hieronymum: *Quot læſiones*, inquit, *in corpore Filii, tot vulnera in Corde Matris, clavi, quibus Corpus Chriſti pendebat in cruce, & Cor Virginis confixum habebant; nullum ictum recipiebat Corpus, cui non triſtis echo reſpondebat in corde Matris.* O afflictiſſimum Cor Matris Doloroſæ, quis ſatis amet te? Ah quis?

Lib. 1. Revel. c. 10.
S. Hier. de Aſſumpt. Virg.

5. De duobus illis Cherubinis aureis ſupra arcam fœderis quondam DEI juſſu collocatis referunt ſacræ Paginæ; quòd unus alterum ſe mutuò verſis in propitiatorium vultibus reſpexerit: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte Oraculi; Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero, reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium.* Per unum Cherubim Chriſtum Crucifixum, *qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, & per alterum ſanctiſſimam ejus & afflictiſſimam Matrem ſub crucis patibulo conſiſtentem, & Filio compatientem rectè ſubaudimus; heu quam lugubris erat utriusque hujus myſtici Cherubini aſpectus: *Gemebat Filius*, ſubintrat hìc Sanctus Laurentius Juſtinianus, *quod Mater in tam horrendo eſſet ſpectaculo, & ad Cor Virginis loquebatur, dicens: ut quid veniſti columba mea, formoſa mea? dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit me*, &c. Cui adjungo Doctorem Seraphicum Divum Bonaventuram: *Aſpicio Domina*, inquit, *cor tuum, & id, non cor, ſed myrrham & abſynthium & fel video; quæro Matrem DEI, & ecce invenio ſputa, flagella & vulnera, quia tota converſa es in iſta; ô mira res, tota es in vulneribus Chriſti, totus Chriſtus Crucifixus eſt in intimis viſceribus Cordis tui*, &c.

Exod. 25. 18.
1. Joan. 2. 2
S. Laurent. Juſt. de Triumph. Chriſti agone cap. 15.
S. Bonav. in Stim. Amor. p. 1. cap. 3.

De B. Clara de Montefalcone recenſet Mallonius, ac plures alii, quòd Cor ejus abſolutiſſimum ſpeculum extiterit, in quo tota Chriſti Paſſio quodammodo ad vivum exhibebatur, dum in parte dextera illus Cordis poſt beatum ejus obitum quædam imago Chriſti JESU Crucifixi magnitudine pollicis, recentem adhuc ſanguinem de vulneribus emittens, cum cæteris paſſionis Dominicæ inſtrumentis inventa fuit. O quanto magìs, ſi introſpexiſſetis Sacratiſſimum & afflictiſſimum COR intemeratæ Virgi-

Mallon. in Edit. Veneta apud me. f. 228.



Digitized by Google

nis ac Matris Doloroſæ, totam in eo paſſionis Unigeniti & dilectiſſimi Filii ſui ſupellectilem, velut in lucidiſſimo ſpeculo obſervaſſetis velut in centro ſuo recollectam? proinde haud immeritò præfactus S. Laurentius Juſtinianus illud ipſum Sacratiſſimum COR MARIÆ cuidam lucidiſſimo ſpeculo comparavit: *Cor Virginis* inquit, *clariſſimum ſpeculum paſſionis Chriſti fuit, & perfecta mortis ejus imago* &c. Sicut enim ſpeculum paſſionis, ac præſertim concavum omnes ſolares radios intra ſinum ſuum colligit, & exinde mira reverberatione in unum cogit, ac reflectit punctum; ita in afflictiſſimo Corde Doloroſæ Virginis MARIÆ omnia tormenta & dolores, quos pientiſſimus Filius in paſſione ac præſertim in cruce ſuſtinuit, erant quodamodo in unum recollecti, qui dein rurſus ad amariſſimum COR JESU patientis, tanquam ad punctum & centrum amoris ſui reverberabantur; proinde non abs re ſanctus Bonaventura ſupra illa verba: *Stabat autem juxta crucem JEſu Mater ejus*, ita hanc deſolatiſſimam Deiparentem alloquitur: *O Domina ubi ſtas nunquid juxta crucem? imò in cruce cum Filio cruciaris, ibi enim crucifixa es ſecum. Hoc ſolum reſtat, quòd ipſe in corpore, tu verò in corde es paſſa, nec non ſingula vulnera per ejus corpus diſperſa, in tuo corde generaliter ſunt unita, quia nempe tuam ipſius animam gladius pertranſivit*, &c.

S. Laurent. Juſt. lib de Chr. ag.

Jo 19. 25.

S. Bonav. in Opuſc. de paſſ. Dom.

6. O Clientes Mariani! quis tali ac tantæ Matri non ex intimis cordis medullis compatiatur, quæ quodammodo (ſanis loquor) plus paſſa eſt, quàm ipſe Chriſtus, ſiquidem Chriſti paſſio in morte ejus finita eſt, Matris autem paſſio & compaſſio non deſiit, ſed crevit, ac tunc peculiariter, quando Longinus immitti lanceâ latus & COR JESU aperuit: *Et quidem*, ait Mellifluus, *poſteaquam emiſit ſpiritum tuus ille JESUS, ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipſius aperuit latus, ſed tuam utique animam pertranſivit, ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat avelli*, &c. Et quis dicet, quas cordis anguſtias exantlârit, ubi examine Corpus JESU de infami ligno depoſitum ſummo doloris ſenſu excepit? imò, quod plus eſt, per omnem vitam usque ad aſſumptionem in cœlum doloris gladius ita altè ejus Sacratiſſimo Cordi inhæſit, ut paſſionem & mortem dulciſſimi Nati ſui non tam præteritam meminiſſe, quàm præſentem videtur intueri; hinc ipſa ad Sanctam Birgittam dixit: *Paſſio Filii mei, ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.*

S. Berno. ſerm. 12. de ſtellis.

Revel. S. Birg lib. 1. cap. 77.

Convenit igitur, ut hujus amantiſſimæ Matris noſtræ afflictiſſimi Cordis dolores, pios gemitus & lacrymas, inter quas, teſte Sancto Germano (prout inferiùs dabimus) multæ fuerunt ſanguineæ, frequenti memoriâ & ſingulari devotione recolamus. O Filii Mariani! O Benneni! quos tanto cum dolore pepetit, intueamini hanc dolentiſſimam Matrem veſtram,

Bari in Bland. c. 2. exerc. 46.

Digitized by Google

veſtram, & cogitate, quâ ratione practicè illi & Filio ejus Crucifixo poſſitis ex animo ſincero compati: *Memento*, inquit Siracides, *Patris & Matris tuæ, in medio enim magnatorum conſiſtis, ne quando obliviſcatur te DEUS.* En Pater veſter DEUS & HOMO CHRISTUS eſt, pro omnium veſtra ſalute in cruce mortuus: *Si ergo Pater ego ſum, ubi amor meus?* Mater veſtra, quæ ſub arbore crucis reparavit, quod quondam Eva in Paradiſo ſub arbore ſcientiæ boni & mali deſtruxit, MARIA Virgo & Mater Doloroſa eſt: Mementote ergo hujus Patris & Matris veſtræ, quia Filii Sanctorum eſtis, ne quando obliviſcatur veſtri & DEUS.

Coronidem huic noſtræ Paræneſi imponat Tobias ſenior, qui, cùm brevi ſe crederet moriturum, filio ſuo Tobiæ juniori varia ac piiſſima ſalutis & virtutis monita inculcavit, inter quæ & illud non poſtremo loco numerandum, dum ei præcepit, *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus, memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te.* Hoc & vobis in duriſſimo crucis lectulo moriens JESUS inculcat, Sodales & Clientes Mariani: *Ecce Mater veſtra*, honorem habebitis huic Matri veſtræ omnibus diebus vitæ veſtræ, memores ſemper, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter vos: *Gemitus Matris veſtræ ne obliviſcamini*; ô quàm felices tunc eritis, ſi in agone veſtro & judicio illam habebitis propitiam, ô quàm felices!

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO I.

## B. Virgo & Mater Doloroſa liber eſt, ex cujus lectione & conſideratione omnes poſſunt fieri docibiles DEI.




### Liber generationis JESU Chriſti.

*Matth.* 1. 1.

Cornel. hic. 1. NOn abſque peculiari cauſa Sacri inveſtigant Scriptores, quisnam ſit ille liber, de quo S. Matthæus in principio Evangelii ſui teſtimonium perhibet: *Liber generationis JESU Chriſti*? volunt plures, quòd per hunc librum nil aliud intelligatur, quàm genealogia Chriſti, ſeu catalogus avorum & proavorum, à quibus Menoch. hic. Chriſtus ſecundùm carnem originem ſuam duxit. Alii per hunc librum generationis Hiſtoriam vitæ Chriſti ſubaudiunt, hoc enim ſignificare videtur verbum Hebraicum *Tholdach*, quaſi dicat Evangeliſta: *Liber de vita Chriſti.* Alii per eundem librum ad propoſitum noſtrum SS. Deiparentem MARIAM pulcher-

pulcherrimè adumbratam eſſe aſſerunt: *Sola Virgo*, S. Gregorius Nazianzenus, *Liber eſt generationis JESU Chriſti*, de cujus puriſſimis ſanguinis cordialis guttulis Spiritus Sanctus, tanquam ſcriptor hujus Virginei libri optimus ac ſapientiſſimus, diviniſſimum corpus JESU formavit, quod exinde ſuo tempore tradidit pro ſalute univerſorum in ara crucis immolandum. Eſt autem COR ſedes amoris & miſericordiæ; hinc Chriſtus non potuit non eſſe quàm *Cordialis*, quia de ſuaviſſimis SS. Cordis materni ſanguinis guttulis à Spiritu Sancto ſecùndùm humanitatem formatus eſt: *Quippe quæ ſtillavit*, ait Seraphicus Doctor, *è cordis venulis puriſſimi ſanguinis guttas, ex quibus formaretur Chriſtus ad miſericordiam eximiè propenſus*, &c. S. Gregor. Nazianz. Sap. 8. Salmeron. tom. 3. c. 9. Abulenſ. in cap. 11. Lev. S. Bonavent. in Pſalt. B. V.

Verumenimverò quid audio? imò quid video? ergone liber ille generationis JESU Chriſti à Spiritu Sancto ſcriptus eſt ſtylo ferreo: *Sume tibi librum grandem & ſcribe in eo ſtylo hominis*? Vis videre, anima Chriſtiana, hunc myſticum librum? intuere præfixum Emblema, & in eo conſpicaberis SacratiſſimumCOR VirginisMARIÆ gladio doloris transfixum: ita Jechonias Rex librum Jeremiæ, quia ingrata, amara & triſtia in ſe continebat, indignabundus pugione transfixit, & conſciſſum in ardentes prunas conjecit: *Scidit illum ſcapello ſcribæ, & projecit in ignem*. Pari pugione SS. COR MARIÆ transfixum cernitur, & cur hoc? audi anime mi! non ignorabis, credo, quomodo Eccleſia DEI SS. Martyribus varia perpeſſionis eorum inſtrumenta appingere ſoleat, ſed ſi SS. B. Virginis ac Matris Dolores Chriſtiano populo vult intimare, cor acutâ rhompheâ perforatum proponit in peculiare ſignum illorum cruciatuum, quos SS. COR Deiparæ non duntaxat in cruenta Filii paſſione, quàm etiam per omnem hujus mortalis vitæ curſum perpeſſum eſt; hinc meritò innocentiſſimum illud & afflictiſſimum COR MARIÆ omnibus Chriſticolis pro libro inſervire poteſt, ex cujus lectione & pia conſideratione *omnes poſſunt fieri docibiles DEI*, proinde pro lemmate inſcribere placuit: Iſa. 8. 1. Ier. 36. 23. Io. 6. 45.

## Omnibus in omnibus.

2. Mirandum, quòd Sacri Scriptores tam pauca de hoc myſtico libro Doloroſa Matre conſcripſerint; Solus dilectus ille Chriſti Diſcipulus & filius adoptativus MARIÆ, cui à moriente orbis Redemptore pretioſiſſima hæc Mater impensè commendata fuerat, paucis verbis quaſi per tranſennam de ejus cordis doloribus mentionem fecit: *Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus*; & Lucas: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; cæterorum autem Evangeliſtarum de hac dolentiſſima Matre altum eſt ſilentium; ad quid, obſecro, omnes Sacri Scriptores in enarrandis acerbiſſimis Virginis doloribus tam parci, tam elingues extiterunt? Joan. 19. 25. Luc. 2. 35.

Eccl. 1. 2. Deſine mirari anima Chriſtiana: *Profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Quis urinator profunditatem Oceani ſuâ bolide hactenus dimetiri potuit? proinde perſpicuè etiam tacendo ipſi Sacri Scriptores fatentur, ſe tantis ac talibus recenſendis cruciatibus, quos pientiſſimum COR MARIÆ perpeſſum eſt, eſſe omnino impares; unde D. Anſelmus: *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ paſſionis*; hinc haud immeritò ab Eccleſia appellatur *Regina Martyrum*, dum plus dolorum in animo, quàm cæteri Martyres in corpore, paſſa eſt: *Sola ergo anima MARIÆ*, ait Euſebius Nierenbergius, in Regia Univerſitate Madritenſi quondam Sacrarum litterarum Profeſſor eximius, *Supergreſſa eſt Martyrum cruciatus & tormenta univerſa*; ratio eſt, quia juxta S. Auguſtinus *tantum neceſſe eſt, urat dolor, quantùm hæſerat amor*; amor autem hujus SS. Cordis Mariani in Filium major erat quàm cunctorum mortalium, imò & Angelorum, proinde & dolor ejus juxta menſuram amoris commenſurandus erit. Accedit, quòd ipſa hæc Excellentiſſima Virgo & Mater doloris & amoris liber fuerit *ſcriptus intus & foris, & ſignatus ſigillis ſeptem*; Scriptus intus per virtutes altiſſimas, foris per alias dotes incomparabiles, unde ab Andreâ Cretenſi appellari ſolet: *Liber vivus Verbi paterni calamo Spiritus ſancti inſcriptus*: eſt autem ille liber ſignatus Sigillis ſeptem, per quæ non incongruè Septem Dolores SS. Deiparæ poſſumus ſubaudire, quibus pientiſſimum COR ejus à patiente Filio, veluti ſeptem ſignaculis ſignatum fuit, unde illud Sponſi in Epithalamio: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, &c.*

S. Anſelm. lib de Excell. Virg. cap. 5.

Nierenb. de Amore B.V. cap. 15.

S. Auguſt. lib. 21. de Civit. c. 26.

Apoc. 5. 1.

Andr. Cret. Orat. 2. de Aſſumpt.

Cant. 8. 6.

3. Sed quomodo, dices, legendus eſt iſte liber? quomodo conſiderandus? *Felix ille* ait Richardus à S. Laurentio, *qui de libro iſto quantulamcunque lectionem quotidie memoriæ mandabit*; audi, quid S. Joanni ad Inſulam Pathmos ob fidei Orthodoxæ conſtantiam à Trajano Imperatore relegato, & tunc ad littus maris moranti, accidit, cui apparuit Angelus ille Apocalypticus, dextro pede mari & ſiniſtro terræ inſiſtens, qui Joannem ad mirabile invitaverat convivium, in quo loco ciborum librum grandem illi propoſuit ſine mora devorandum; *Accipe librum, & devora illum*; quem librum ubi Divus ille ad hortatum Angeli avidè comedit, in ore quidem ejus melleus, ſed in ventre felleus & amarus factus eſt: *Et accepi librum de manu Angeli & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cùm devoráſſem eum amaricatus eſt venter meus.* O quàm Paradoxa ſunt iſta! dulcis & amarus erat ille liber; & quomodo hoc?

Rich. à S. Laur. l. 12.

Apoc. 10. 9.

O pientiſſima Virgo & Mater amoris & doloris (ignoſce, quod dicam) Tu, inquam, vel adumbrata es per hunc librum Apocalypticum, vel non incongruè aſſimilari poteris huic libro dulci & amaro: Dulcis eras 1. Quia *quaſi vitis fructificaſti ſuavitatem odoris*, dùm DEUM & hominem nobis genui-

Eccl. 24. 23.

Digitized by Google

genuiſti, dulcem illum Cypri Botrum, de quo Sponſa in Epithalamio: *Botrus Cypri Dilectus meus mihi*; ſed & amara fuiſti, dum ſuperiori lumine illuſtrata magis quàm Prophetæ præcognoveras, botrum illum dilectum poſt aliquot annorum tractum ad ultimam usque ſanguinis ſtillam in torculari crucis pro mundi redemptione exprimendum: *Poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur*. 2. Dulcis eras, quia, dum Eva, prima, ſed eheu! nimis infida *cunctorum viventium Mater* pomum acerbum & malum, à quo omne malum in orbem venit, nobis porrexit, de quo fructu etiamnum *dentes filiorum obſtupeſcunt*: tu econtra dulciſſimum ac benedictum ventris tui fructum JESUM ex ulnis pendentem nobis benigniſſimè offers, in quo Solo omnis noſtra conſolatio, omnis pax, omnis ſuavitas & omne bonum invenitur; ſed & amara extitiſti, hoc enim ſignificat SS. Nomen tuum *Mare amarum*, ideò in typo pulcherrimæ illius Noëmi noluiſti appellari Pulchra, ſed Amara: *Ne vocetis me Noemi, id eſt Pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt Amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* 3. Dulcis eras, & etiamnum es miſeris mortalibus dulce aſylum ac perfugium, unde Eccleſia te ſalutat: *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve*! O quot peccatorum pondere gravati, & exulceratâ cruciati conſcientia per te, ô pientiſſima Domina! incredibile accipiunt ſolamen, quia facta es *refugium peccatorum*, neque à ſæculo auditum eſt, illum à te fuiſſe derelictum, qui ſeriò opem & interceſſionem tuam imploravit, unde S. Auguſtinus: *Tu es ſpes unica peccatorum, quia per te ſperamus veniam omnium delictorum, & in te noſtrorum eſt expectatio præmiorum*: ſed & amara es, quia *faſciculus myrrhæ dilectus tuus* JESUS per omnem vitam inter ubera tua, imò & in SS. corde tuo, tanquam Crucifixus commoratus eſt: *Virgo*, inquit Taulerus, Theologiæ Myſticæ Doctor egregius, *cum Chriſto crucifixa eſt in hora conceptionis, quando Mater Filii DEI eſſe conſenſit*, neque unquam dum vixit, de cruce depoſita eſt. O mortales omnes inſpicite hunc librum SS. COR MARIÆ) legite, & conſiderate, ſi tantis, ac tam immenſis affecta eſt cruciatibus ipſa innocentiſſima DEI Mater, quomodo vos ſine doloribus ac cruciatibus ſalvandos eſſe putatis? quale cœlum vobis pinget DEUS, ô delicatuli! ô mollicelli! ô mundani!

Cant. 1. 13. Lucæ 2. 35. Gen. 3. 20. Ezech. 18. 2. B. Albert. Magn in cap. 1. Luc. Ruth. 1. 19. S. Auguſt. Serm. de Annunt. B. Virg. Cant. 1. 12. Taulerus Exercit. vitæ Chriſti. c. 18.

4. De libro illo legis, qui regnante Joſia pientiſſimo Iſraëlitarum Rege, cùm ſarta tecta Templi Solymæi inſtaurarentur, per Helciam Sacerdotem Magnum non ſine peculiari Numinis diſpoſitione inter muros abſconditus inventus eſt, recenſent Sacri Regum Annales, quòd præfato Regi, cum à Saphan publicè legeretur, ob comminationes in eo contentas, ingentem terrorem incuſſerit: *Perterritum eſt cor regis*, &c.

4. Reg. 2. 19.

Anima Chriſtiana, ne terrearis, neque concidat cor tuum, ſi in hoc libro myſtico SS. Cordis MARIÆ non videas niſi gladium, crucem, flagella,

 ſpinas,

ſpinas, injurias paſſiones, mœrores, dolores, amaritudines &c. ſed potiùs hic te oportet imitari naturam apum, quæ etiam ex amariſſimis floſculis & herbis ſaporis amarulentiſſimi dulciſſimum mel ſibi parant, unde lemma: *Ex amaro dulce*; vel age adinſtar ovium in Inſula Ponto, quæ, licet quotidie abſynthio & myrrhâ paſcantur, illis tamen ejusmodi felleæ & amaræ herbæ, velut ſuccus melleus, ambroſius, ac palatui gratiſſimus videatur, unde iterum lemma: *Dulceſcit amaror.* Ita, inquam, oportet te facere, anima Chriſtiana, ſi doloresSacratiſſimi ac Diviniſſimi Cordis JESU Crucifixi & afflictiſſimæ Matris ejus ſedulo & attentè ſcruteris, atque meditando rumines, tibi in gratiſſimam vertentur dulcedinem; & quemadmodùm olim lignum illud amarum, cui Adelpha nomen, ſalſam Mare aquam populo Iſraëlitico in

Exod. 15. 25. dulcem convertit: *Qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſæ ſunt*; & ſicut ſal acre tempore Eliſæi Prophetæ peſſimas aquas

4. Reg. 2. 22. in Jericho ſanavit: *Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc*: & ſicut parum fa-

4. Reg. 4. 41. rinæ ollam mortis, amariſſimis colocynthidis impletam, indulcoravit: *Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla*: ita Patiens JESUS & SS. Mater ejus Compatiens, ſi ad memoriam eorum paſſiones revocaveris, omnes tuas miſerias, anguſtias, tribulationes, perſecutiones, ægritudines, ipſámque denique mortem mirum in modum indulcorabunt: *Nihil adeò grave eſt*,

S. Greg. M. in Epiſt. ait S. Gregorius Magnus, *quod non æquanimiter feratur, ſi Chriſti paſſio* (addo ego: & Doloroſæ Matris ejus compaſſio) *in memoriam revocetur.*

De libro illo legis, ex pretioſo lapide Angelicâ manu elaborato, in quo ipſe DEUS propria manu majoribus litteris, ut à populo videri poſſent, & eminus legi, ex utraque parte tabularum integrum Decalogum ſcribere

Exod. 15. 16. dignatus eſt: *Scriptura quoque DEI erat ſculpta in tabulis*; refert Sacer Codex, quòd eum Moyſes, videns ingratiſſimum populum tripudiantem, & idololatrantem, ad radices Sinæi montis confregit: *Projecit de manu tabulas, & confregit eas*; ita lugendum in modum petiit, & confractus eſt pretioſiſſimus ille liber ipſo Omnipotentis DEI digito ſcriptus, de quo nec ulla littera ampliùs in orbe haberi poteſt; O jacturam incomparabilem!

Verùm alium ac longè pretioſiorem tibi oſtendo librum, Anima

S. Joan. Damaſcen. orat. 2. de aſſumpt. Chriſtiana, ipſâ DEI manu & digito Spiritus Sancti exaratum; liber hic SS. COR integerrimæ Virginis ac Matris Doloroſæ eſt: *Liber novus*, inquit S. Joannes Damaſcenus, *in quo modo mirabili DEUS VERBUM inſcriptum eſt*, &

S. Antonin. 4. p. Tit. 15. cap. 5. Divus Antoninus: *MARIA*, ait *liber fuit, quia continuit in ſe Divinam ſapientiam, id eſt Filium DEI, & ex hoc innuitur totalis ejus puritas, ſcilicet in anima & corpore; Scriptor autem hujus libri fuit optimus, quoniam Spiritus Sanctus, qui omnium eſt artifex, & omnium habet ſapientiam* &c. Quibus annecto

Hugo Card. in cap. 23. Eccl. Eminentiſſimum Hugonem S. R. E. Cardinalem: *Beata Virgo*, inquit, *liber eſt vitæ, in quo tot ſunt virtutes, quot literæ*: ô librum pretioſum SS. COR

MA-

Digitized by Google

MARIÆ, in quo omnia poſſumus habere in uno, dum inſervit *omnibus in omnibus.*

Vis probam, anime mi? virtutum omnium ſtabile fundamentum eſt humilitas, vis illam addiſcere? inſpice, & lege hunc librum, & quid primâ fronte occurrit; hoc SS. nomen MARIA, quod idem eſt, ait Hadrianus Lyræus, quam *ſtilla vel gutta maris*; quid quæſo humilius? audi ipſam loquentem: *Ecce ancilla Domini*, ſupra hoc S. Ambroſius: *Vide humilitatem*, inquit, *ancillam ſe dicit Domini, quæ DEI Mater eligitur, nec repentino exaltata promiſſo eſt*; ubi noſtra humilitas, cùm punctum tangitur honoris? vis diſcere verecundiam? *Turbata eſt in Sermone ejus*; ſi caſtimoniam? *Virum non cognoſco*; ſi obedientiam? *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; ſi paupertatem? *Non erat eis locus in diverſorio*: ſi charitatem DEI? *Exultavit ſpiritus meus in DEo ſalutari meo*; ſi dilectionem proximi? *Vinum non habent*; ſi orationem mentalem? *MARIA autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo*, ſi orationem vocalem? *Magnificat anima mea Dominum*; ſi manſuetudinem? *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*; ſi patientiam? *Nonne hic eſt fabri filius? nonne Mater eius dicitur MARIA*; ſi perſeverantiam? *Hi omnes erant perſeverantes in oratione cum MARIA Matre JESU*; ſi animi fortitudinem? *Et dixit* (Simeon) *ad MARIAM Matrem ejus, ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius*; nec fuit hic animi dolor, quem ex vaticinio Simeonis hauſerat, in corde B. Virginis tranſiens, ſed per omnem vitam permanens, unde ſic aliquando ad B. Birgittam locuta eſt: *Quoties aſpiciebam Filium meum, toties animus meus quaſi novo dolore abſorptus cogitabat, quomodo crucifigendus, atque ei contradicendum eſſet*; an non (obſecro te prudens Lector) ſi hanc veritatem attentiore mente conſideras, SS. COR MARIÆ liber eſt, inſerviens, prout lemma fert:

(Marginal notes: Lyræus de Nom. Mar. — S. Ambroſ. l. 2. in Luc. — Luc. 1. 29. — Luc. 2. 7. — Joan. 2. 3. — Luc. 2. 19. — Luc. 1. 46. — Luc. 2. 48. — Matth. 13. 55. — Actor. 1. 14. — Luc. 2. 34. — Revel. lib. 6. c. 57.)

## Omnibus in omnibus.

6. Vis exempla? Franciſcum Suarezium è Societate JESU, ſapientiſſimum Theologum conſule, qui eminentem ſuam ſcientiam ac pietatem nulli alii in acceptis refert, quàm SS. Matri Doloroſæ, quam impenſiſſimo affectu & filiali ſemper amore veneratus eſt, unde & illi liberum acceſſum ad Crucifixum Filium paravit, de cujus SS. Latere ac vulneribus promicantes radii Suarezium, aliquando in cubili ſuo à terra duobus ferè cubitis ſublevatum, mirè illuſtrat.

(Marginal note: P. Caſp. Tauſch de Matr. Dol. lib. 3. pr. 5. §. 8.)

Eidem Sacratiſſimæ ac Doloroſæ Virgini B. Albertus Magnus, qui tardiſſimi & ferè plumbei ingenii fuerat, ſuam Philoſophicam doctrinam debet, dum ſui ſæculi prodigium Philoſophorum & orbis portentum factus eſt.

(Marginal note: Idem loco citato.)



Digitized by Google

Cornel. à Lapid. in Prov. in Dedic.

Ab hac pretioſiſſima Deiparente Divus Gregorius, dictus ob ſtupenda patrata miracula Thaumaturgus, & ſui ævi alter Moyſes, mirè eruditus & illuſtratus eſt, & ne in errores Origenis Magiſtri ſui impingeret, ei S. Joannem Evangeliſtam, filium ſibi à Chriſto in cruce ſurrogatum, in novum Magiſtrum & Doctorem aſſignavit, qui eidem Symbolum Orthodoxæ fidei, & veræ ſapientiæ ac theoriæ tradidit methodum.

Idem ibi.

Lud. de Ponte in vita V. P. Balth. Alvarez cap 43.

Quid dico de Ruperto Abbate Tuitienſi, cui B. Virgo & Mater pulchræ dilectionis tantam divinarum litterarum cognitionem indidit, ut tunc temporum intervallo nullus ei ſimilis in orbe reperiretur? Et nunquid eadem dolentiſſima Virgo S. Ignatio Soc. JEſu Fundatori non tam in ſcribendis ſacris Conſtitutionibus, quàm in adornandis, & faciendis Exercitiis Spiritualibus peculiarem opem tulit? proinde meritò & Patrona & Fundatrix illorum Societatis Exercitiorum dici poterit. O ſi omnes, præſertim illi, quibus animarum cura commiſſa eſt, hæc probarent, & facerent Exercitia!

Eccl. 15. 2.

En pie Lector! prædicti Viri illuminatiſſimi Doloroſam hanc Matrem non tam impenſo Studio & amore coluerunt, quàm etiam in rebus dubiis, adverſis & difficillimis, ut librum ac Magiſtrum conſuluerunt. Tu, ſi prudens es, & ſalutem tuam amas, ad hanc Sapientiæ Sedem & Thronum gratiæ pari affectu & amore accede: *Et obviabit tibi quaſi Mater honorificata*, &c.

CON-

# CONSIDERATIO II.

## B. Virgo ideò ab omni peccato originali immunis, quia Mater Doloroſa erat futura.




Ipſa conteret caput tuum.
*Gen.* 3. 15.

1. SAmſon mortalium omnium facilè fortiſſimus, cùm quondam in Thamnata ſe conferret, ibidem inter gentiles & alienigenas de Sponſa ſibi proviſurus, per vineam intermediam pertranſiens immanem leonem, ex ſpecu erumpentem, ſibi obvium habuit, qui rugitu geſtuque corporis eum ad ſingulare certamen ac duellum provocavit. Quid agit in arena robuſtiſſimus athleta, cùm res moram non pateretur? citò ſe reſolvit, & fortiter cum hoc ferociſſimo leonis catulo congreditur, cujus utrâque manu apprehendens fauces, inſolitâ fortitudine eas diſrupit, atque leonē in fruſtra diſcerpſit: *Et dilaceravit leonem, quaſi hædum in fruſta diſcerperet.* Simile Jud. 14. 5.
quid

quid de Hercule legitur, qui clavâ ſuâ ferratâ (crucis typo) leones & hydras domuit, aliaque Lernæ monſtra extirpavit; proinde non incongruè ejuſmodi clavæ pro lemmate inſcribes: *Rugientem exanimat*: vel potiùs ad noſtrum propoſitum:

## In virtute tua.

Quæres hìc, Prudens Lector, quid Samſonem ad tantam audaciam commoverit, ut cum leone beſtiarum ferociſſimo, *qui ad nullius pavet occurſum*, non dubitaverit in arenam deſcendere? Obſerva hìc attentiore mentis oculo Scripturam, & invenies, quòd non minimam ad hanc primam luctam Samſoni anſam dederit propria parens, hunc filium ſuum ponè per vineam ſequens, ne ergò huic leoni in prædam crederet, aut lethali morſu ab eo ſauciaretur, ipſe Samſon, utpote non ingratus filius, priùs hanc feram aggreſſus eſt, & ſtupenda animi corporiſque fortitudine eam in fruſtra dilaceravit: *Deſcendit itaque cum patre ſuo & matre ſua in Thamnata* &c.

Prov. 30. 30.

Jud. 14. 5.

Adverte, anima Chriſtiana, hìc ſingulare myſterium. Samſon juxta S. Auguſtinum alioſque SS. Patres, Chriſtum, leo verò dæmonem, *qui tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret*, præſignavit. Intenderat quidem hic inſenſiſſimus humani generis hoſtis etiam puriſſimæ DEI Matri ſtatim in primo conceptionis ſuæ inſtanti crudelem infigere morſum, & communi labe ac veneno peccati originalis illam quoque, prout cæteros mortales omnes, inficere, ſed benigniſſimus Filius ejus ac Redemptor noſter (*plus quàm Samſon*) priùs Tartarei illius leonis fauces dilaceravit, quàm Virgo Mater vineam hujus mundi immundi ingrederetur; non enim ignorabis, prudens Lector, duplex redemptionis genus eſſe, reparativæ videlicet & præſervativæ genus, quia in majorem redimentis cedit gloriam, & ampliorem in præſervante requirit virtutem, atque *major gratia*, teſte S. Auguſtino, *impenditur illi, cui conſervatur innocentia, quàm cui remittitur culpa*; proinde Chriſtus DEUS ſingulari prorſus modo reſpectu SS. Matris ſuæ Redemptor extitit, dum fauces rugientis propriâ virtute, ne lædere eam poſſet, deſcripſit, & caput antiqui Serpentis baculo ſuæ crucis ita contudit, ut nullum electiſſimæ Matri ſuæ labem per omnem vitam potuerit afflare, hinc ipſa ait in Magnificat: *Fecit potentiam in brachio ſuo*, & in eodem Cantico: *Fecit mihi magna qui potens eſt*, quid verò non poſſit Omnipotens? Quid non poſſit virtus Crucis *in virtute tua*.

1. Petr. 5. 8.

S. Auguſt. ſuper Geneſ. ad litt.

Luc. 1. 51.

2. Vis alium de hac veritate conceptum? Aſſuerum in medium produco, potentiſſimum illum Perſarum Regem, qui, cùm de ruina & exterminio totius populi Iſraelitici, nec exceptis quidem parvulis, ageretur, ſoli Reginæ ſuæ Eſther in ſignum peculiaris gratiæ & exemptionis virgam ſuam regiam ſuper collum ejus poſuit: *Noli metuere Eſther: non morieris, non enim*

Eſth. 15. 12.

*pro*

Digitized by Google

*pro te ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt. Tulit ergo auream virgam, & poſuit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eam.* Ad quid, obſecro, Rex virgam ſuam regiam ſolùm ſuper Eſther extendit? & ad quid eandem virgam in ſignum ſingularis exemptionis ſuper collum ejus poſuit?

Adverte: per hanc virgam, per quam Rex Aſſuerus Reginam Eſther ab omni lege mortis immunem declaravit. D. Bonaventura, Petrus Damianus & plures alii Doctorum virgam Dominicæ Crucis ſubaudiunt, per quam Filius DEI SS. Matrem ſuam ab omni actualis & originalis peccati macula ante omnem lapſum exemit; ſi enim *Angeli*, juxta Mellifluum Bernhardum, *ſunt redempti ſanguine Chriſti, non à peccato, quod commiſerunt, ſed ab eo, quod poſſent committere*, quantò magis Regina Angelorum à dulciſſimo Filio ſuo per merita crucis & ſanguinis ſui olim in paſſione fundendi ab omni peccati ſorde, imò & à debito proximo contrahendi peccatum originale præſervata eſt, quia ita decebat tantum Filium, ut Matrem tantam & adeò dilectam, quantùm potuit, & decuit, etiam à minimo dedecore præſervaret, quia talis redemptio præſervativa multò nobilior atque perfectior eſt, quàm ſi poſt lapſum, ut cæteri hominum, per crucem & paſſionem Filii DEI fuiſſet redempta: *Non enim pro te ſed pro omnibus hac lex conſtituta aſt.* Quam veritatem perelegantèr inſinuavit Jeremias Propheta, dum de Chriſto patiente vaticinatus eſt: *Torcular calcavit Dominus Virgini filia Judæ*; quod cruentum Crucis torcular Chriſtus etiam pro hac ſua innocentiſſima Matre & Virgine calcavit, *non ut à peccato mundaretur*, prout pulcherrimè obſervat Eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Sfondrati, *ſed ne peccatum incurreret; ergo quòd ſine macula ſit, & concepta & nata, debet torculari & cruci*, &c.

S. Bonav. in 3. Sent. ep. 3. a 2. S. Bernh. Serm. 21. ſup. Cantica

Eſther 15. 13.

Thren. 1. 15.

De Innocentia Vindicata fol. 16.

## In virtute tua.

3. Progredior ulteriùs. Inſignem ſibi laudem quondam in Sacra Scriptura commerita eſt Rahab Jerichontina, dum duos exploratores à Joſue duce ad explorandum Jericho dimiſſos, non tam hoſpitio excepit, quàm & benignè fovit, ac in domo ſua muro & urbis portæ vicina ne in hoſtium manus devenirent, ſollicitè occultavit, ac tandem in fune coccineo per mœnia civitatis demiſit; ob quam cauſam dicti Exploratores, ut ſe beneficio gratos exhiberent, & officium officio redderent, huic liberatrici ſuæ ſuasêre, ut in aſſaltu, urbisque & incolarum communi interitu eundem funem rubeum feneſtræ ſuæ appenderet, ex quo ſigno domum illius inter reliquas omnes unicam eſſe conſervandam dignoſcerent: *Et illa reſpondit, ſicut locuti eſtis ita fiat dimittensque eos, ut pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtra*; cui pro interim pro lemmate inſcribimus: *In cocco una ſalus.*

Joſue 2. 21

Per hunc coccineum funiculum, per quem ſalus domui Rahab facta eſt, haud immeritò SS. Patres Chriſtum JESUM & hunc Crucifixum, ejusque SS.

S. Ambroſ. lib. 5. de fide cap. 5.

cruorem in ara crucis pro ſalute mundi effuſum ſubaudiunt; ita S. Ambroſius: *Signa fidei* inquit de Rahab, *atque vexilla Dominicæ paſſionis attollens, coccum in feneſtra ligavit, ut ſpecies cruoris myſtici, qua foret mundum redemptura, vernaret. Ita foris JESU nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus ſpecies Dominicæ paſſionis periclitantibus ad ſalutem: unde quia intellexit Rahab cæleſte myſterium, dicit Dominus in Pſalmo: Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me* &c.

Pſal. 86. 4.

Hìc rogo, obſerves, Anima Chriſtiana! in civitate Jerichontina ſola domus Rahab ab incendio & communi devaſtatione fuit libera & magno ſtudio à JOSUE ab interitu conſervata: & JESUS SS. Matrem ſuam non ſimili privilegio donaſſet, atque per coccineum funiculum SS. Crucis & ſanguinis ſui à communi generis humani ruina, per noxam originalem immiſſà, non conſervaſſet immunem? Si Angeli, imò & Protoplaſti ſine delicto originali in prima juſtitia fuerunt creati, & cur Regina cœlorum non eodem digna cenſenda erit privilegio? abſit à vobis hæc periculoſa cogitatio: *Sanctificavit enim Dominus tabernaculum ſuum*, puriſſimumque effecit COR illud, quod futurum aliquando foret SS. Trinitatis digniſſimum habitaculum, porta ſemper clauſa, hortus concluſus, lilium inter ſpinas, roſa ſine ſentibus, ſpeculum ſine macula, fons ſignatus, virga ſemper florida &c. Audi S. Ildephonſum: *Ab omni preſſura maledictionis non ex ſe ſe, ſed ex virtute Altiſſimi immunis & aliena fuit* &c. Et S. Laurentius: *Ab omni originali delicto nullus excipitur præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem*, quia ſic nequaquam caput draconis, hoc eſt, initium peccati contriviſſet, ſed potiùs ſerpens prius Virginis caput attriviſſet, quod contra Scripturam eſt: *Ipſa conteret caput tuum.*

Pſal. 45. 5.

S. Ildeph. de Virg. B. Mariæ pag. 448.

S. Laurent. Juſt. p. 2. de perfect. gradibus. cap. 1.

Gen. 3. 15.

4. Recordor hìc illius Arca fœderis, per quam DEUS tot quondam fecit, ac patravit miracula. Cùm Joſue Hebræorum populum in Palæſtinam traducturus, nec pontem, nec naves haberet, quibus tam ingentem exercitum per Jordanem, tunc temporum intervallo ob nives in vicinis montibus liquatas, ſummoperè exundantem, trajiceret, prædictam Arcam à Sacerdotibus applicari juſſit, ad cujus conſpectum mox Jordanis retrorſum converſus eſt, immotusque in ſuo curſu ſtetit: *Steterunt aquæ deſcendentes in loco uno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant.* Quis, obſecro, ad tam inſolitum prodigium non obſtupeſcat? quis non hæreat attonitus? quid eſt, non immeritò cum Pſalte Regio exclamo, quod *tu Jordanis converſus es retrorſum?* Quid eſt? Dic.

Joſue. 3. 15.

Pſal. 113. 5.

S. Damaſc. de Nat. Virg. Serm. 2.

Rom. 5. 12.

Audi S. Damaſcenum: *Sacra*, inquit, *& animata arca DEI viventis MARIA eſt*, Jordanis verò *Rivus Judicii* interpretatur, ubi ergò in judicio Divino ſententia mortis ob originale delictum in omnes poſteros Adami lata fuit: *Et in omnes homines mors pertranſiit*; hæc tamen ſola animata DEi Arca, quia Virgam illam prodigioſam Aaronicam, & cœleſte Manna, hoc eſt, Chriſtum

JEſum,

Digitized by Google

JEſum, pro ſalute mundi in ara Crucis olim im̄olandum, in ſuo utere ſuo
tempore erat geſtatura, ob ſingulare privilegium & gratiam, nulli mortalium
conceſſam, excepta fuit: *Hic ſteterunt aquæ deſcendentes* à primo peccati ori-
ginalis diluvio & Arca DEI viventis innoxiè pertranſiit; de qua Arca ulteri-
ùs referunt Sacræ Paginæ, quòd caput ſmmundi illius Dagonis generosè
contriverit, ac longè à ſe illud Acheronticum idolum projecerit: *PorroDa-* 1. Reg. 5. 5.
*gon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* Sic B. Virgo, utpote Arca *Sacramentorum*
*DEI*, ita illam S. Ildephonſus appellat, ſtatim in primo inſtanti animatio-
nis ſuæ impium Dagonis infernalis caput contrivit, & infernale hoc mon-
ſtrum longè à ſe projecit: *MARIA Virgo*, ait Origenes, *neque perſuaſione ſer-* Orig. hom.
*pentis decepta eſt, neque ejus afflatibus infecta*, non enim idonea Mater DEI fuiſſet, 1. in diverſ.
ſi aliquando peccaſſet, quia honor parentum in prolem redundat, juxta il- Prov. 17. 8.
lud: *Gloria filiorum patres eorum.*

5. Sola Virga Aaronis in tabernaculo floruit, cæteris omnibus ſiccis, Num. 17. 8.
& aridis permanentibus: *Invenit germinaſſe virgam Aaronis, & turgentibus gem-* S. Bernh.
*mis eruperant flores.* Virga hæc incontaminata DEI Genitricis fuit: *Hæc ſa-* Serm. in
*cerdotalis virga*, ait Mellifluus, *dum ſine radice floruit* &c. cap 12 Apoc

Sola illa Oliva ex cæteris arboribus in univerſali diluvio intacta perman-
ſit, ex qua columba florentem ſurculum decerpſit: *Venit ad eum ad veſperam,* Gen. 8. 11.
*portans ramum olivæ virentibus foliis.* Oliva hæc immaculata Virgo fuit: *Oliva* Eccl. 4. 19.
*ſpecioſa in campis*, ubi noxa originalis, quaſi diluvium, univerſum terrarum Cajet. cit. à
orbem devaſtavit, ſola illa Oliva myſtica intacta permanſit: *Huic olivæ ramo* Fin. & in
ait Cajetanus, *id eſt*, *MARIÆ*, *diluvium nocere non potuit* &c. refl. Spirit. Gen. 7. 23.

Sola illa arca Noëmica in communi cataclyſmo indemnis & illæſa ſer- Chryſipp.
vata eſt, unde lemma: *Communis diſcriminis expers*; B. Virgo, ait Chryſippus, orat. de Virg
*Arca eſt, cujus architectus & incola erat ipſe DEUS*, non ergo decebat, ut & illa in Prov. 31. 14.
hoc univerſali originalis peccati diluvio periret, quia *facta eſt ſicut navis inſti-* Sfondrati
*toris, de longè portans panem ſuum*; ſupra quod Eminentiſſimus Sfondrati: in Innocent.
*Navis, hoc eſt, Mater; Inſtitoris, hoc eſt, Redemptoris; de longè, hoc eſt, de cœlo;* Vindicata.
*portans, hoc eſt, utero geſtans; panem, hoc eſt DEUM; hæc inter tot naves & animas*
*quæ hoc mare percurrunt, ſola ſcopulum peccati effugit, ad quem reliquæ omnes naufra-*
*gium fecerunt.*

Sola illa terra Sacerdotalis in Ægypto, fame orbem univerſum pre-
mente, à communi laicorum onere ac tributo ſemper immunis & exempta
permanſit: *Emit igitur Joſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſio-* Gen. 47. 20
*nes ſuas præ magnitudine famis, præter terram Sacerdotum.* B. Virgo terra illa be-
nedicta & Sacerdotalis extitit ab omni tributo peccati, tum actualis tum
originalis immunis: *Tempore* ait Antonius de Rampelogis, *quo fuit in mundo* Anton. de
*egeſtas gratiæ, omnis humana creatura tributaria fuit peccato, exceptâ Matre Sacer-* Ramp. in
*dotis Magni, quæ ex divino privilegio libera fuit* &c. fig. Bibl. f. 451.

Solus ille lectulus Sapientiſſimi Salomonis, ne vel minimâ contaminaretur ſorde, ſingulari curâ & ſtudio à fortiſſimis ſervatus eſt; *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis.* Supra quod Richardus à S. Laurentio: *Per lectulum Salomonis anima MARIÆ ſignificatur, in qua beata Trinitas quievit* &c. quem floridum lectulum non ſexaginta tantùm, ſed & innumeri fortiſſimorum cœleſtium Spirituum cuſtodiebant, ne leviſſimâ labe conſpurcaretur: *Decebat*, ſubintrat hìc S. Ambroſius, *ut Chriſti conceptio de Matre puriſſima fieret, nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major ſub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret* &c.

Cant. 3. 7. Rich. à S. Laur. l. 20.

S. Ambroſ. lib. 1. de conceptu virginali cap. 18.

De ſolo illo Throno, à Sapientiſſimo Rege Salomone ex ebore candidiſſimo & auro mundiſſimo præparato, dicitur: *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* Thronus hic B. Virginem ac DEI Matrem digniſſimam præſignavit, quem ſibi Chriſtus, *qui plus eſt quam Salomon*, elegit, cui myſtico throno pro lemmate inſcribes: *Uni, vel ſoli DEO.* Audi & S. Antonium Paduanum: *Tale opus*, inquit, *non fuit factum in univerſis regnis, quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.*

3. Reg. 10. 20. Matth. 12. 42. S. Anton. Pad. Dom. 5. poſt Trinit.

6. O puriſſima Virgo, quis has veritates attenta mente conſiderans, non tibi ex animo gratuletur, quòd DEUS SS. COR tuum ſolum ac unicum ex omnium mortalium cordibus elegerit ab omni peccati ſorde immune, ac tanto Filio orbisque Redemptore digniſſimum habitaculum? *Nihil tibi, Domina, æquale*, meritò exclamat D. Anſelmus, *nihil comparabile omne quod eſt, aut ſupra te, aut infra te eſt, ſupra te eſt ſolus DEUS, infra te omne illud, quod DEUS non eſt.*

S. Anſel. de concep. V. M.

Quid igitur ſupereſt, Mariani Cultores, niſi ut puriſſimam hanc Virginem, ſupra omnes puras creaturas à DEO benedictam, debito, quo poſſumus, amore, cultu ac venaratione proſequamur? Si hæc SS. Deipara ſpeculum eſt absque macula, cur non intuemur hoc mundiſſimum ſpeculum, ut maculas cordis noſtri emundemus? Si omnium cordium afflictorum eſt ſolatium, cur non hoc calamitoſo tempore ad illam confugimus? Si abyſſus gratiarum eſt, cur nullam gratiam per illud SS. COR MARIÆ à DEO flagitamus? Si ager plenus eſt, cui benedixit Dominus, cur abinde benedictionem non quærimus? O miſeri mortales! *Accedite, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* O quàm bene Hugo de S. Victore; *Si accedam*, inquit, *ad judicium, & Matrem miſericordiæ habuero in cauſa mea, quis Judicem denegabit propitium?* An non illam Angelus gratiâ plenam pronuntiavit? ergo & nobis miſellis poterit gratiam aliquam à pientiſſimo Numine impetrare, aliàs non eſſet plena gratiâ; diſcamus proinde pro coronide hujus conſiderationis à Venerabili P. Spinola Soc. JESU Sacerdote digniſſimo & famâ Sanctitatis notiſſimo, qui ita Deum orare ſolebat: *Domine, per COR Beatiſſimæ Virginis da mihi gratiam, ut nunquam te peccato aliquo offendam, ſed ſemper voluntatem tuam impleam.* O utinam, ô utinam & mihi & tibi obtingat hæc gratiâ.

Pſal. 33. 6. Hugo de S. Victor. de Laud. B. Virg.

Criſpar. Tauſch. de Matr. Dol. l. 3. prax. 17.

CON-

# CONSIDERATIO III.

## Doloroſa Virgo, quia doloroſa , non ab originali tantùm, ſed etiam ab omni actuali labe immuniſſima.




### Erit autem ſanguis vobis in Signum.

*Exod.* 12. 13.

1. OBſtupeſco quoties mecum attentiore mentis oculo conſidero, quòd olim ſummus legislator DEUS Hebræorum domorum poſtes voluerit ſanguine agni immaculati tempore Paſchali immolati, aſpergi, ne ab Angelo vaſtatore eorum primogentia occiderentur. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis; & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Exod. 12 13. Ad quid, obſecro, hic ſanguis per modum crucis (prout obſervant SS. Patres) utrique poſti & ſuperliminari oſtii aſperſus? & quomodo cruor ille teſſera eſſe

poterat ſalutis? an Angelus vaſtator hoc fortaſſe corporeo indigebat ſigno? Minimè, quia Angelus erat, & quidem bonus, prout rectè monet Corelius, ideò per ſe ſatis viderat, quænam ædes Iſraëlitarum, & quænam Ægyptiorum erant habitacula.

Obſerva hîc, prudens Lector! peculiare miſterium. Sanguis ille Agni per modum crucis in ſuperliminaribus portarum aſperſus elegantiſſimus typus fuit divini illius cruoris, quem divinus ille Agnus in ara Crucis pro ſalute univerſorum, & in copioſam animarum redemptionem erat profuſurus, per quem ſanguinem ab ira ventura & à morte perpetua miſericorditer liberati ſumus: *Lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Ex qua pulcherrima figura hoc nunc formo argumentum: Si cruor ille agni typici in porta aſperſus primogenita quondam Iſraëlitarum à morte conſervavit immunia, quantò magìs divinus ille ſanguis immaculati Agni JESU Chriſti in cruce & paſſione ſparſus à morte & ab omni peccati labe præſervavit immunem Doloroſam Virginem & ſanctiſſimam Deiparentem MARIAM, quam Spiritus Sanctus nominat *Primogenitam omnium creaturarum*, & in alio loco: *Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret; nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram* &c. Proinde meritò huic portæ ſemper clauſæ, de qua Ezechiel vaticinatus eſt: *Porta hæc clauſa erit: non aperietur; quoniam Dominus DEUS Iſrael ingreſſus eſt per eam*, rectè pro lemmate inſcribere poſſumus:

Apoc. 1, 5.
Eccl. 25. 5.
Prov. 8. 23.
3. Reg. 2. 19.

## Signatur, ne perdatur.

Hîc velim, cognitionem tuam figas, prudens Lector! Si enim Salomon tam peculiari amoris & honoris ſignificatione excepit Matrem ſuam Bethſabæam: *Et ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravitque eam, & ſedit ad dexteram ejus.* Quo honore exiſtimas, quòd ipſe DEI Filius, qui plus eſt quàm Salomon, SS. Matrem ſuam in mundum ingredientem exceperit? an non pari ratione ipſi dixit: *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam* &c. Sed longè ab electiſſima ſua Matre faciem ſuam avertiſſet, ſi eam permiſiſſet aliquando diabolo per peccatum fuiſſe ſubditam, DEO ſummè odibilem & æternæ damnationi vel ad tempus ſubbjectam; quid enim apud cœleſtes illos Spiritus magìs infame eſſe poteſt, quàm peccatum, ac præſertim mortale, quale & originale eſt? audi S. Vincentium Ferrerium ex ſacra D. Dominici familia nobile ac fulgentiſſimum ſidus, qui illa verba: *Fiat lux*; ex Geneſis primo mutata, eleganter ad immaculatam B. Virg. MARIÆ conceptionem accomodat. *Non credatis,* inquit, *quia* (lux) *fuerit ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur: ſed ſtatim ac anima fuit creata, fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli in cœlo celebrârunt feſtum conceptionis* &c.

S. Vincent. Ferr. in Serm. 2 de Nat. Virg.

2. De Jeremia Propheta referunt Sacræ Paginæ, quòd aliquando à DEO juſſus fuerit, ut ad domum figuli ſe conferret, ejusque opera ac figmenta oculo

lo

Digitized by Google

lo attentiore conſideraret; *Deſcende in domum figuli.* Contigit,ut figulus opus ſuum ſuper rotam & ſtellam faceret, illud in vas debitum formando ac complando; & ecce dum ſedulò operi incumbitur, ſubitò inter manus artificis vas illud luteum confringitur,& in partes diſſolvitur, quod lutum nihiloſecius figulus de terra colligens in novam formam redegit,& inde *vas in honorem*, ac priore longè excellentius confecit: *Converſuſque fecit illud vas alterum, ſicut placuerat in oculis ejus.* Jerem 18.1.

Adverte anime mi! per vas primum illius figuli tam citò confractum rectè Eva omnium mortalium parens prima intelligitur ex luto terræ & coſta Adami à DEO ſummo artifice formata,quod tamen vas mox in ortu ſuo ex inſidiis diaboli & infernalis ſerpentis lugendum in modum per peccatum contritum,atque diſſipatum eſt. *Facta eſt tanquam vas perditum*; per ſecundum (Pſal. 30. 13.) autem vas à DEO fabricatore longè excellentiore modo formatum ſubaudiri debet SS. Deipara & incontaminata ſemper Virgo MARIA,ab omni peccato originali & actuali per merita Sanguinis Chriſti antecedenter illi applicata ſemper immunis,quæ licet ſecundum carnem,teſte B. Petro Damiano ex eadem lutea Adami maſſa ſit formata maculas tamen Adæ non admiſit;ea (B.Dam. Ser. de Aſſ. B. Virg.) propter à Spiritu S. hoc inſigni elogio exornata fuit: *Vas admirabile, opus Excelſi*; & à S.Andrea Apoſtolo Terra nunquam maledicta,de qua ſecundus & (Eccl. 43. 2.) melior Adam à Spiritu S. formatus eſt: *Sicut primus Adam*, inquit, *formatus fuit ex terra, antequam eſſet maledicta: ita ſecundus formatus eſt ex terra virginea nunquam maledicta*; unde non incongruè Poëta: (Salazar. c. 24. fol. 357.)

*Fœmina vas luteum eſt, ex omnibus una MARIA*
*Eruta Virgo luto eſt, ſed tamen abſque luto.*

3. Progrediamur ulteriùs. Inter alia divinæ potentiæ admirabilia non poſtremum ſibi locum vendicat columna illa, quæ populum Iſraëliticum per deſertum ac mare Rubrum modò prorſus ſtupendo in Palæſtinam traduxit. Erat autem hæc columna interdiu ad inſtar nubis, Hebræorum caſtra inumbrans,& cùm incederent,à gravi æſtu defendens; de noctu verò tantum luminis ſubminiſtravit,ut univerſum exercitum undequaque illuminaret, & omnibus in tentoriis exiſtentibus in mediis tenebris pro luce inſerviret: *Nequaquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* (Exod. 13. 22.)

Quod olim Hebræis hæc columna nubis & ignis,hoc nobis Chriſticolis eſt Doloroſa & immaculata Virgo MARIA; columna ignis fuit, in mediis tenebris mirè refulgens, quando ſine ulla peccati originalis labe (quæ tamen tenebræ omne genus humanum comprehenderunt) ſola per divinam gratiam,mirabiliter eam perſeverantem,concepta,& in lucem nata eſt,cui myſticæ & igneæ columnæ rectè pro epigrapha inſcribes: *In tenebris lucet*; vel aliud S. Joannis: *Et tenebræ eam non comprehenderunt*; columna verò nubis tunc potiſſimùm extitit,quando à moriente in cruce Filio in Matrem nobis commendata eſt: *Ecce Mater tua*; ex quo tempore hæc myſtica nubes devotos ſibi (Joan. 1. 5.)

clien-

Digitized by Google

S. Epiph. orat. de laupe B. V. clientes mirè inumbrare, protegere, atque ab æſtu iræ divinæ defendere cœpit, proinde rectè S. Epiphan. hanc Doloroſam Virginem appellat *Nubem cœleſtem imbrem demittentem; quò terra irrigatur.*

O pientiſſima Virgo! quid ulteriùs dicam de te? In magnificentiſſimo
3. Reg. 6. 7. S. Ildeph. de B. Virg. Lap. 10. illo ſapientiſſimi Regis Solymæi templo, dum ædificaretur, nullus malleorum ictus, *ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita.* Per hoc templum, ſubintrat hìc S. Ildephonſus, unicum factoris ſui templum MARIA præſignata eſt, quod nullis peccati originalis; aut actualis, vel venialis ictibus fuit ſubjectum.

Levit. 1. 3. In Levitico quondam DEUS ſanxit, ut victima prorſus immaculata ſibi offerretur: *Maſculum immaculatum offeret* &c. Quomodo ergo ergo poterat Beatiſſima Virgo, quæ ſe ipſam in Filio ſuo in monte Calvario DEo T. O. M. in vivam præſentavit victimam, aliqua peccati lue eſſe commaculata?

Dan. 1. 4. Nabuchodonoſor Rex ſelectiſſimos ſibi elegit pueros, *in quibus nulla eſſet macula, decoros formâ, & eruditos in omni ſapientia*, ut quotidie coram ſe adſtarent, & Majeſtati regiæ inſervirent. Et DEUS ſibi elegiſſet Matrem aliquâ peccati ſorde fœdatam? abſit, abſit; hæc enim ignominia redundaſſet in Filium.

Aſſuero potentiſſimo Perſarum Regi ex univerſis ampliſſimi regni ſui provinciis fuerunt quæſitæ ſpetioſiſſimæ puellæ ac virgines, inter quas ſola
Aſther 2. 7. Epoc. 19. 16. placuit Hebræa Eſther, *quia erat pulchra nimis & decora facie.* Et DEUS *Rex Regum & Dominus dominantium* ſibi talem ſelegiſſet Matrem peccati aliquando
Judic. 6. 37. cœno conſpurcatam? quæ conventio lucis & umbræ?

Ros cœleſtis in ſolum vellus Gedeonis deſcendit: *Ros in ſolo vellere;* dum
S. Berch. Serm. in c. 12. Apoc. interim univerſa terra ſicca permanſit. Supra quod pereleganter S. Doctor Mellifluus: *Beatam Virginem*, inquit, *Gedeonis vellus, dum in medio ſicca areæ maduit, præſignavit*, dum mortales omnes hoc ſingulari gratiæ rore erant privati, ita quidem, ut prius peccati hæreditarii lue inficerentur, antequam naſcerentur in lucem, hæc ſola rore gratiæ à Spiritu Sancto præventa eſt: *Ros in ſolo vellere.*

Cùm Sennacherib Rex Aſſyriorum, vaſtatâ Ægypto & Aſiâ universâ de-
4. Reg. 19. 34. S. Aug. l. 7. de Civit. c. 6. B. Pet. Dam. de dormit. B. Virg. Apoc. 12. 11. populatâ urbem Solymæam formidabili obſideret exercitu, Dominus per Iſaiam Regi Ezechiæ reſpondit: *Civitatem hanc non ingredietur: protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me.* Et nunquid B. Virgo civitas DEI eſt, de qua glorioſa dicta ſunt? ita Doctorum Phœnix S. Auguſtinus, & à B. Petro Damiano appellatur *Civitas vivens Regis exercituum, & civitas refugii;* non ergo decuit, ut hoſtis infernalis hanc Civitatem DEI ingrederetur, & per aliquod peccatum in ſuam redigeret poteſtatem: *Salvabo eam propter me.*

Michael & Angeli boni draconem illum magnum *vicerunt propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui.* Quid ergo dicemus de Matre

DEI

Digitized by Google

DEI & Regina Angelorum? an non idem ſanguis Agni, ac dilectiſſimi Fi-
lii ſui ab ea omnem in Adamo lapſum longiſſimè avertit: *Attende Seraphim*, P. PetrDam
ait B. Petrus Damianus, *& videbis quid quid majus eſt*, *minus eſſe Virgine, ſolum-* Serm. de annun.
*que Opificem opus iſtud ſupergredi?*

5. Ad ſtabiliendam iſtam veriſſimam (ut ita dicam) veritatem revoca-
te in memoriam admirandum illum ſalutationis modum, quo Gabriel Ar-
changelus hanc ſacratiſſimam Virginem mox DEI Genitricem futuram ſa- Luc. 1. 28
lutârit: *Ave*, inquiebat, *gratiâ plena*, *Dominus tecum* &c. Cur dixit AVE,
& non SALVE? nunquid prorſus idem videntur ſignificare *Salve & ave?*
an non univerſa Eccleſia Sanctiſſimam hanc cœli terræque Reginam per ly
*Salve* ſalutat *Salve Regina?*

Adverte Lector Mariane! hìc ſingulare myſterium. AVE, ſubintrat
hìc Eminentiſſimus Hugo Cardinalis, idem ſibi vult, quam A-VE, id eſt *ſine* Hugo Card
*væ*; ubi totum humanum genus huic communi væ in contrahendo peccato cit. à *Fineti*
originali erat obnoxium, hæc ſola pretioſiſſima Virgo non per naturam ſed in reflex.
per gratiam, non de condigno ſed de congruo, ſine ullo væ, ac ſine ullius ſpir.
noxæ originalis aut actualis labe permanſit: *Cunctis*, ait prædictus Cardina-
lis, *qui foris ſunt, dicetur væ, væ, ſed MARIÆ dicitur in conclavi AVE*, & ſicut
AVE, ſi litteras retro legas, nomen Eva monſtrat, ſic quod *Eva* deſtruxit,
hoc *Ave* reparavit, quapropter non inconcinnè Poëta:

> *Pandit Ave angelicum, quod quondam clauſerat EVA,*
> *Facta etenim porta eſt Virgo MARIA poli*

6. Plura ſi deſideras hujus immunitatis teſtimonia, accipe. Cùm tri-
butum à telonariis Cæſaris Tiberii in civitate Capharnaum à Chriſto Domi-
no exigeretur, mitiſſimus Servator ad Petrum ſe convertit, eique inſi- Matth. 17,
nuavit, tributum non à filiis, ſed ab alienis exigendum; & ſubjunxit: *Ergo* 25.
*liberi ſunt filii.* Peccatum originale tributum eſt, cui ſubjacent mortales uni- Epheſ. 2. 3.
verſi: *Eramus naturâ filii iræ*; ſed MARIA eſt *Filia Principis*, adeoque libera ab Cant. 7. 1.
ulla penſione aut onere, *quia filia Principis erat*, ait Carthagena; Imperator Jo. Carth.
enim eadem privilegia tribuit Auguſtæ, quæ & ipſe habet; quantò ergo ma- l. 1. hom. 9.
gis DEUS & homo Chriſtus SS. Matri ſuæ, quam per ſacratiſſimam paſſio-
nem ſuam ab omni peccati tributo præſervavit?

Moyſi oves Jethro paſcenti apparuit DEUS in flamma ignis in medio Exod. 3. 2.
rubi, ardentis quidem, ſed incombuſti: *Per rubum incombuſtum*, ait Eccleſia,
*conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem*, *DEI Genitrix*; ubi omnes
homines inuſtum ſtigma ab igne originalis noxæ ſentiebant, ſolum beatiſ-
ſima anima Doloroſæ Virginis adinſtar rubi illæſa ſervata eſt, cur? quia
Dominus erat in rubo; *Dominus autem in rubo*, ſubintrat hìc Cornelius, *eſt*
*Chriſtus in cruce.*



Digitized by Google

Matth. 7. 16. Subjungamus plura argumenta. Et quis ignorat, quod veritas aſſerit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor malos fructus facit: non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Si ergo Chriſtus Dominus benedictus fructus MARIÆ eſt, quomodo arbor illa aliquando maledicta eſſe poterat? ſi Angelos & protoparentes noſtros creavit in gratia, quantò magis decebat, ut Regina Angelorum & Domina totius univerſi à primo animationis inſtanti ſine ulla labe crearetur? Juvat hìc audire Hugonem de S. Victore: *In cælo* inquit, *qualis Pater talis Filius. In cælo imago Patris, in terra imitator Matris. Talis ergo Agnus, qualis Mater Agni; ex mundis mundus: Non enim potuit arbor bona malum fructum facere, quoniam omnis arbor ex fructu ſuo cognoſcitur.* Et tandem concludit Hugo: *Radix integra, ramus incorruptus.*

Hugo de S. Vict. Apoc. de Verb. incarn. cap. 2.

7. Ex quibus hactenus in medium productis argumentis prudens Lector colliges, quòd quidem venator ille tartareus rete inevitabile omnibus Adami filiis tetenderit, ut & SS. Deiparem viâ naturæ concepti comprehenderet, ſed hìc verificatum fuit illud Regii Vatis: *Cadent in retiaculo ejus peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.* Ita, ô Doloroſa Virgo! ô benedicta inventrix gratiæ! inter mortales omnes tu ſola tranſiiſti hoc rete, ſola inquam, quia Mater Doloroſa eras deſignata talis ac tanti Filii, olim pro ſalute univerſorum crucifigendi, qui te per merita ſuæ paſſionis præſervavit immunem.

Pſal. 40. 10.

Et quid dubitas adhuc? ille, qui liberavit Jonam à cete & de profundo maris; ille, qui tres pueros in camino ignis ardentis ſervavit illæſos: ille, qui Danielem de lacu rugientium, Davidem de laqueo vanantium, Suſannam de morte, Iſraelitas à jugo Pharäonis, Ezechiam de gladio Sennacherib, Jobum à flagellis diaboli eripuit; ille, inquam, talis ac tantus, tam immenſus, tam potens, non liberâſſet à dœmonis captivitate & peccati hæreditarii ſervitute ipſam ſuam SS. Matrem? aut non potuit, aut noluit? quid dicis?

8. Vis aliqua Symbola & Emblemata de hac immunitate Doloroſæ Matris? Cupreſſum pinge, cum inſcripto: *Incorrupta viret*; Speculum ante cujus conſpectum baſiliſcus occiſus jacet, cum lemmate: *Candore peremptus*; Stellam polarem: *Non occidit una*; Laurum à fulminis ictu immunem: *Non læditur una*; Cygnum in medio aquarum non tinctum aut madefactum: *Non tingor ab unda*; Avem Paradiſiacam rectà ad cœlum volantem; *Nihil coinquinatum*; Pyramidem perpendiculariter à Sole percuſſam: *Umbra neſcia*; Aurum: *Rubiginis expers*; Criſtallum: *Candor illæſus*; Adamantem: *ſine umbra*; Carbunculum: *Emicat unus*; Lilium ſeu roſam inter ſpinas: *Innoxia floret*; Margaritam in concha: *Cæleſtis origo*; Nivem recens cadentem: *Meus eſt ab origine candor*; Triticum in agro ſeminatum: *Pura geneſis*;

Olym-

Digitized by Google

Olympum inter nubes caput condentem: *Supereminet omnes* &c. Ita eſt
ô Beatiſſima, ſed & doloroſiſſima Virgo! Superemines omnes, quotquot
fuerunt, quotquot ſunt, quotquot erunt mortales: *Beata Virgo*, inquit An- S. Thom.
gelicus, *ex hoc, quod eſt Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam ex bono* Aquin. 1.
*infinito, quod eſt DEUS: & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius, ſicut non poteſt* p. q. 25. c. 6.
*eſſe aliquid melius DEO.*

Hìc ſtans delibera, quisquis es, Candide Lector! quo amore & honore
quo cultu ac reverentiâ impoſterum tantam DEI Omnipotentis Matrem ac
Dominam tuam proſequaris, de qua recenſet S. Vincentius Ferrerius, quòd S. Vincent.
eam primo conceptionis momento omnes Angeli ſummâ veneratione co- Ferrer. cit. à
luerint, atque ei fauſtiſſimum in mundum adventum gratulati ſint. Fac tu P. Barry
ſimiliter, & horum exemplo excitatus paria ei defer obſequia. Amat autem 8. Decemb.
hæc pientiſſima Virgo magis virtutum ſuarum ſtrenuos imitatores, quàm S. Bernh. in
vanos laudatores: *Agnoſcit Virgo*, ait Mellifluus, *& diligit diligentes ſe, & pro-* Serm. 1. ſuper Salv.
*pe eſt in veritate invocantibus ſe, præſertim iis, quos videt conformes ſibi factos in ca-* Reg.
*ſtitate & humilitate.* Ille hanc SS. Virginem Matrem compellare non me-
retur, qui eſt degener filius, neque virtutum ejus æmulator: *Si filii Abrahæ* Joan. 8. 39.
*eſtis, opera Abrahæ facite;* ita quondam perſtringebat Chriſtus diſcobolos Ju-
dæos, qui ſe Abrahæ filios plenis buccis & buccinis gloriabantur, & tamen
opera Abrahæ minimè faciebant, neque virtutes ejus, ut genuini filii ſecta-
bantur. Ita Sodalis ille, ac Cliens Marianus fruſtra ſibi de puriſſimæ hujus
Matris patrocinio blanditur, qui licet Officium de Immaculata ejus Concep-
tione recitet, MARIAM nominet, prædicet, feſta ejus colat, in profeſto
jejunet &c. ſi hujus Doloroſæ Matris virtutes non ſatagit ſaltem pro poſſi-
bili imitari: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar*, quod tibi à B. V. & Ma- Exod. 25. 40.
tre Doloroſa à primo animationis inſtanti usque ad vitæ
terminum monſtratum eſt.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO IV.

**Doloroſa Virgo in aurora & juxta piſcinam probaticam (futuræ paſſionis typum) in lucem naſcitur.**




## Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?

*Cant. 6. 9.*

1. MUltis, variiſque plagis contumacem quondam ac rebellem Ægyptum flagellavit DEUS juſtus ſcelerum & ſceleratorum vindex, inter quas plagas non minima fuit caliginoſa illa nox, ac denſiſſimæ tenebræ, quibus univerſa Tellus Niliaca per triduum afflig. batur: *Extenditque Moyſes manum ſuam in cælum & facta ſunt tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus; nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco, ubi erat,* &c:

Exod. 10. 20

Adverte

Adverte: talis rerum facies, mundique ſtatus extitit, antequam VERBUM incarnaretur, ubique tunc erant tenebræ peccatorum, & ſervitus idolorum, ac ignorantiæ legum tenebant populos: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*; tunc verificabatur illud Oſeæ Prophetæ: *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit* &c. Tunc nulli in cœlo adhuc erant Beati, nulli in mundo Juſti, vel admodùm pauci, ſed omnes ſedebant in tenebris & in umbra mortis, quia *cor eorum non erat rectum cum DEO, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus.* Gen. 1. 2. Oſeæ. 4. 2. Pſal. 77. 37.

Sed DEO T. O. M. ſint laudes infinitæ, ubi poſt hanc longam & caliginoſam noctem (hoc eſt poſt quatuor millia annorum à creatione mundi) tandem illuxit B. Virginis MARIÆ ortus, tunc mundo immundo prima lux & optata cœli aurora oriri viſa eſt, quæ Solem juſtitiæ, qui eſt Chriſtus Deus, brevi venturum, & per ſanguinem ſuum in cruce mundum deperditum redempturum prænuntiaret; in quem finem pro Symbolo noſtro auroram rorantem (quia aurora à rore nomen habet) ſtatuimus cum lemmate.

## Aurora ab lacrymis.

Lacrymæ enim SS. Parentum & SS. Patrum hanc SS. Deiparam impetrarunt.

2. Nata eſt autem hæc SS. Deipara ſub tempus primæ auroræ juxta Piſcinam Probaticam in Jeruſalem, quæ tunc à SS: Parentibus nomen accepit MARIA; ſingula innuunt aliquid, attentum te eſſe cupio. Cùm quondam gens Hebræorum ob crudele edictum impii Amani jam jam ad necem & interitum venundata mœrore & angore penè conficeretur, & quaſi ſemimortua ſupremam lanienæ ſuæ diem expectaret; ecce ſubitò illi in hac caliginoſa nocte nova lux & fida dux in mediis tribulationum tenebris affulſit, dum DEUS cor Eſther Reginæ commovit, ut ad Aſſuerum, potentiſſimum Perſarum Regem ingrederetur, à quo non duntaxat veniam ſuæ genti obtinuit, ſed & ut litteræ omnes de mactandis Judæis in Suſam & aliis in locis revocarentur; ad quod Scriptura ſubjungit: *Judæis autem nova lux oriri viſa eſt, gaudium, honor & tripudium apud omnes populos, urbes atque provincias.* B. Petr. Dam. Serm. de Aſſumpt. S. Damaſc. 4. de fide cap. 15. Eſth. 8. 16.

Mittamus umbras; an non univerſum genus humanum miſerrimè in tenebris peccatorum per tot ſæcula oberrans, jamjam ad mortem æternam erat à Divina Nemeſi deſtinatum? litteræ, quibus ad ſempiternæ damnationis barathrum a divino Conſiſtorio erat condemnatum, jam erant exaratæ, & vivâ voce per Prophetas publicatæ: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur* &c. Et quis tum temporum intervallo non erat in peccatis? Vatem Jeſſæum conſule: *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*; quid ergo in re tantoperè deſperata conſilii? O miram pientiſſimi Numinis clementiam! Naſcitur tandem ſub ſideris antelu- Ezech. 18. 4. Pſal. 13. 3.

cani & auroræ tempus die 8. Septembris tot SS. Patrum & piarum mentium votis ſummè exoptata Virgo, ac tanto orbis Redemptore digna Mater, quæ Solem juſtitiæ præcurrens, cælo & mundo gaudium annuntiavit univerſo; [Eſth. 8. 16.] ubi adimpletum fuit, quod de Regina Eſther quondam prædicatum eſt. *Nova lux oriri viſa eſt, gaudium & honor & tripudium apud omnes populos, urbes atque provincias.*

[Joan. Ep. Hieroſol. de Inſtit. Mon.] 3. Hanc ſacratiſſimæ Deiparentis natalem prævidit Elias Prophetarum zeloſiſſimus ſub umbra illius nubeculæ ſuper mare Mediterraneum poſt tam diuturnam terræ ſiccitatem exurgentis: [3. Reg. 18. 44.] *Ecce, nubecula parva, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Hanc diem revelavit DEUS ſervo ſuo Abrahamo: [Joan. 8. 56.] *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.* [2. Reg. 6. 14.] Eandem David Iſraelitarum Rex ſub typo Arcæ fœderis agnovit; proin totis viribus, & inſolito gaudio perfuſus coram eadem arca ſaltavit: *Et David ſaltavit totis viribus ante Dominum*; [S. Ambroſ. Serm. 80.] ſupra quod S. Ambroſius: *David elatus gaudio in ſalutationem prorumpit, providebat enim in Spiritu MARIAM de germine ſuo naſcituram.* [Cant. 6. 9.] Hanc & cœleſtes illi Spiritus ſub typo naſcentis [Rupp. Abb. in hunc loc. Cant.] auroræ prævidebant, unde admirabundi acclamabant: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* ſupra quod pereleganter Rupertus Abbas: *Quando nata es,* inquit, *ô Beatâ Virgo, tunc vera vobis aurora ſurrexit, aurora prænuntia diei ſempiternæ; quia ſicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis eſt, & initium diei ſequentis, ſic nativitas tua, nativitas ex ſemine Abrahæ, clara ex ſtirpe David, ad quos cum juramento DEI facta eſt repromiſſio benedictionis, finis dolorum & conſolationis fuit initium, finis triſtitiæ, & lætitia nobis exordit principium.*

4. O mortales omnes, gaudete; hac die nata eſt fortis illa mulier, quæ [Gen 3. 15.] venenoſum callidi ſerpentis caput conteret: *Ipſa conteret caput tuum.* Hac [S. Joan. Damaſc. orat. 1. de Nat. B. Virg.] die vinea illa uberrima ex Anna pullulavit, quæ uvam proferet ſuaviſſimam botrumque illum Cypri dulciſſimum, pro mundi ſalute in torculari crucis calcandum. Hac die plantatus eſt ille hortus paradiſi, in quo collocandus [Gen. 2. 8.] erat novus & innocentiſſimus Adam Secundus: *Plantaverat autem Dominus DEUS paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat.* [S. Proclus in gen. 1.] Supra quod Sanctus Proclus: *Hæc eſt ſecundi Adami paradiſus*; & Mellifluus: [S. Bernh. ſerm. 2. de Nat.] *Hortus plane delitiarum MARIA eſt.* Hac die præparatus erat pretioſiſſimus ille lectulus, quem ſexaginta ex fortiſſimis ambiebant, in quo pacificus ille Salomon, imò qui plus eſt, quàm Salomon, Chriſtus JESUS, [Cant 3. 7.] Dominus ac DEUS noſter, per novem menſium ſpatium quieſcet: *En lectulum Salomonis.* Hac die parata eſt illa fiſcella ſcirpea, in qua myſticus ille Moyſes [Exod 2. 3.] aquis tribulationum hujus mundi expoſitus ſervaretur: *Sumpſit fiſcellam* [S. Ambr. in c. 6. Apoc.] *ſcirpeam, & linivit eam bitumine ac pice: poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum in carecto ripæ fluminis*; ſupra quod D. Ambroſius: *Per fiſcellam ſcirpeam*

*Beata Virgo MARIA deſignata eſt, Moyſes Chriſtum figurabat* &c. Hac denique die excultus eſt ille ager benedictionis, ex quo efflorescet granum illud electum, & frumentum electorum in ſalutem animarum in cruce mortificandum: *Ipſe Dominus JESUS*, ait S. Auguſtinus, *erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum* &c. O feliciſſimum natalem Virginis! Pharao Ægyptiorum Rex in veteri teſtamento, & Herodes in novo diem ſuum Natalem magna cum feſtivitate celebrâſſe dicuntur; verùm uterque hanc ſui natalitii diei feſtivitatem profuſione humani ſanguinis cruentavit, dum ille Præpoſitum piſtorum, hic Sanctum Joannem, Domini Præcurſorem in carcere obtruncavit; pereant illorum dies natales, qui ad exitium aliorum & ad interitum animarum nati ſunt, meliùs enim erat, ſi nati non fuiſſent; ſed tua *Nativitas, ô DEI Genitrix Virgo; gaudium annuntiavit univerſo mundo; ex te enim ortus eſt Sol juſtitiæ, Chriſtus DEUS noſter, qui ſolvens maledictionem, dedit nobis benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam ſempiternam.*

S. Auguſt. tract. 51. in Joan.
Gen 40. 20.
Marc. 6. 21.
Eccleſ. in Offic.

Hinc nullatenus dubitandum, quin jam tunc in cunis SS. Angeli hanc deſignatam Deiparentem, ut Reginam ſuam, & cœleſtium ruinarum inſtauratricem peculiari honore venerati ſint. Cura & tu, Mariane Lector, in te excitare grandem hujus SS. DEI Genitricis exiſtimationem, eamque pro viribus ama, & cole, dum jam tunc accelerato rationis uſu DEUM perfecte agnoſcebat; & ardentiſſimè amabat; imò jam tunc (prout piè obſervat Venerandus P. Ambroſius Spinola) pro nobis DEUM deprecabatur, atque in illis cunis offerebat lachrimas, & deflebat noſtra peccata, dum divinitus edocta Verbum æternum in mundum venturum cognovit & aſſumptâ naturâ humana, per paſſionem ſuam, crucem & mortem genus humanum, peccato perditum, redempturum; quibus conſiderandis conſideratis, prudenti Lectori abunde patet, jam tunc in cunis Sacratiſſimum cor Virginis doloris gladium pertranſiiſſe. Ah quantum obligati ſumus huic SS Deiparæ! & eheu quantùm diſtat adhuc cor noſtrum ab hoc puriſſimo Corde MARIÆ, quæ concepta & nata eſt amica DEI, & filia gratiæ, nos autem filii iræ, filii gehennæ, & inimici DEI; O quantùm oportet nos humiliari, ſi vel iſtam juſta lance ponderamus noſtram miſeriam!

S. Ambroſ. Spinola in Med. die 11. Sept.

5. Progrediamur ulteriùs. Mirabilis fuit illa lucta, quam quondam Angelus cum Jacobo Patriarcha in patenti campo habuit: *Ecce, Vir luctabatur cum eo uſque manè*; Tandem Angelus, ubi auroram in veſtitu deaurato, roſeiſque fulgentem capillis in nubibus cœli progredientem, conſpicatus eſt, quaſi victus a Jacobo, Dimiſſionem ab eo petiit: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.* Res ſtupenda: quid eſt, quòd Angelus tam feſtinum paraverit abitum, cùm auroram ſurgentem vidit? Gen. 32. 24.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondet Rupertus Abbas, Beatiſſimam Virginem in nativitate ſua rectè ejusmodi auroræ aſſimilandum, de qua Angeli admirabundi decantabant: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* per Angelum verò cum Jacobo per noctem colluctantem, Divinum illum magnique conſilii Angelum, Filium DEI ſubaudimus, & per Jacobum genus humanum. Colluctabantur ergo invicem DEUS & homo per plura ſæcula; luctabantur Patriarchæ & Prophetæ, cunctæque piorum animæ ferventiſſimis precibus ac deſideriis, ut in tenebris peccatorum & in umbra mortis ſedentibus tandem lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id eſt, Chriſtus DEUS noſter, illuceſcereret. Vidit tandem DEI Filius MARIAM, velut myſticam auroram in nativitate ſua conſurgentem; quid inquiebat ad Patrem ſuum æternum, quid moror ulteriùs in cœlo? ad quid luctor tam diu cum Jacobo, generis humani typo? eja Pater: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora*, hæc ſola mihi inter omnes placuit: *Deſcendam igitur, quia vidi afflictionem populi mei, & clamorem ejus audivi; deſcendam, ut liberem eum* per paſſionem meam, crucem, ſanguinem, mortem: hæc mihi ſocia vitæ, paſſionis ac regemptionis humanæ erit; jam *rutilat cælum, tempeſtas erit*, & pluvia in cruce ſequetur ſanguinolenta, per quam mundus immundus nox tam abluetur á ſordibus, quàm & de novo ad ferendos bonorum operum fructus reſtaurabitur &c. Ex his facilè rationem erues, quare pientiſſima Virgo ſub auroræ tempus in lucem nata ſit: *SS. Deipara*, ait Azorius, *illuceſcente aurora nata eſt*: adverte: aurora aut ſerenum aut pluvioſum indicat diem, ſi clara & aurea eſt, candidum, gratumque, præſagit diem, unde lemma: *Optatam feret illa diem*; ſi autem roſeo ſpectabilis ore eſt, nimiumque rubicunda, brevi in pluvias ſolvetur, hinc rurſus lemma: *Venturos indicat imbres*; vel breviùs: & melius: *Rubicunda procellas.* O pientiſſima Virgo, utrumque per glorioſam Nativitatem tuam mundo annuntiaſti, dum optatam ei diem tuliſti, & ſimul ſanguineæ tempeſtatis in cruce futuræ nuntia & prodroma extitiſti: *Hæc eſt*, ait B. Petrus Damianus, *aurora, quam ſequitur, imò de qua naſcitur ſol juſtitiæ* &c.

Cant. 6. 9. — Joan. 1. 9. — Gen. 32. 24. — Exod 3. 7. — Matth. 16. 3. — Azor p. 2. l. 1. cap. 19. § 8. — B. Petr. Damian. Serm. 40.

6. Collige ex his, anima Chriſtiana, aliquam pro te doctrinam: *Aurora* ait B. Albertus Magnus, idem eſt, quàm *Aurea hora*, vel *Aura rorans*, dum non tantùm orbi in tenebris ſepulto primam lucem producit, ſed & fæcundiſſimo rore languentia terræ germina, ſata & gramina, flores, hortos & campos mirè refrigerat, atque fæcundat, unde lemma: *Cæleſtis vegetat liquor.* Talis *aurora* ſeu *aurea hora* vel *aura rorans* etiam Beatiſſima Virgo in ſua glorioſiſſima nativitate nobis extitit, dum per eam Chriſtus DEUS noſter, quem SS Patres per plura ſæcula tot ardentibus votis ut deſcendentem cœli rorem deſiderabant: *Rorate cæli deſuper & nubes pluant juſtum*, ad nos venire dignatus eſt, qui exinde arida mortalium corda gratiæ ſuæ rore mirè refrigeravit,

B Alb. M. l. 7. de laud. Deip. cap. 7. — Iſa. 45. 8.

geravit, fœcundavitque, Roga, ô anime mi, & per dulciſſimum COR SS. Matris ejus obſecra amantiſſimum Redemptorem, ut pariter cor tuum languidum, aridum ac tepidum divino gratiæ rore dignetur perfundere: *Quæramus gratiam* inquit Mellifluus, *& per MARIAM quæramus, quia quod quærit invenit, & fruſtrari non poteſt.* S. Bernh. in Serm. de Nat.

Ad conſpectum auroræ volucres cœli, quaſi de novo redivivæ, mirè exultare, Deumque creatorem ſuum concordibus laudare vocibus ſolent; econtra noxiæ beſtiæ, de nocte ad rapinas & cædes excurrentes, & lucifugæ noctuæ ad ortum illius primæ lucis tremulæ aufugiunt, obſcurasque in ſylvis repetunt latebras, proinde huic auroræ non incongruè iterum pro lemmate inſcribes: *Illuminat & eliminat.* MARIA recens nata hæc myſtica & lucida aurora fuit, dum auream reduxit ætatem, ad cujus ortum mox aves cœli, hoc eſt, boni Angeli & piæ fidelium mentes mirè jubilabant; econtrà noxiæ beſtiæ & turpes noctuæ, hoc eſt: maligni Spiritus, qui priùs orbi dominabantur, ad conſpectum hujus Myſticæ auroræ fugati, & in antra ſua infernalia redire coacti ſunt: & quemadmodum populus ille Iſraeliticus ad ortum auroræ, à duriſſima Ægyptiorum ſervitute à DEO liberatus, ſiccoque pede per Mare Rubrum in terram deſiderabilem traductus eſt; impio econtrà tyranno Pharaone cum univerſo exercitu ſuo in profundo maris ſubmerſo; ſic per nativitatem B. Virginis, prout canit Eccleſia, *ſalus mundi credentibus apparuit*, dæmoni verò & exercitui ejus exitium ac interitus, dum hac ipſâ die Delphicum illud Apollinis ſimulacrum, ex quo hactenus dæmon ad gentiles loquebatur, horrendum edens ſonum, in conſpectu populi corruit; & ſicut quondam in caſtris Aſſyriorum in aurora *una Mulier Hebræa* (Juditham intellige) *fecit confuſionem in domo Nabuchodonoſor*: ita una Mulier Hebræa & Virgo MARIA vix in lucem nata in caſtris principis tenebrarum & in domo Luciferi maximam cauſavit confuſionem; ô pientiſſima! quàm meliùs de te dicere poſſumus, quod olim de Juditha plenis faucibus prædicatum eſt: *Tu gloria Jeruſalem; tu lætitia Iſraël; tu honorificentia populi noſtri.*

Ex. 14. 24.

Joan. Patr. Jeroſol. lib. de opere Menoch. tom. 9. Bibl. P. P.

Judith. 14. 16.

Judith. 15. 10.

Ad adventum auroræ univerſa terræ facies exhilaratur: ægri, qui totâ nocte cum acerbis conflictabantur doloribus, refocillantur, ac reſpirant. pecora & jumenta læta ad paſcua ſe parant; artifex, villani & operarii ad labores ſe ſe accingunt: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperum.* Verbo: ad adventum auroræ univerſa reviviſcit natura. O Bone DEUS, tu es, *qui fabricatus es auroram & ſolem*; per auroram SS. Matrem tuam, ſub tempus auroræ in lucem natam, & per Solem ejus Filium, tanquam Sponſum de thalamo Virgineo prodeuntem, agnoſcimus: quid non ſperare poſſumus ſub patrocinio tantæ Matris, quæ *Nata, Patenſque fuit?*

Pſal. 103. 23.

Pſal. 73. 16.

*Mater Doloroſa.* E 7. Nata

S. Joan. Damaſc. l. 4. de fide c.15. &c.
Joan. 5. 3.

7. Nata eſt autem hæc SS. Virgo juxta S. Damaſcenum & plures alios Jeroſolymis in domo Probatica Joachim & Annæ, hoc eſt, juxta celeberrimam illam Piſcinam probaticam, *ubi jacebat multitudo magna languentium, cæcorum; claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum*; & quid, obſecro, hoc aliud præſignabat, quàm quod mitiſſima illa Virgo & Mater DEI electa in hoc magno mundi Xenodochio futura eſſet exoptata ſalus infirmorum, refugium peccatorum, ſolatium afflictorum, & omnium languentium animarum ſecurum aſylum? ſic non immerito huic Myſticæ noſtræ Piſcinæ Probaticæ pro lemmate majoribus & aureis caracteribus inſcribimus: AFFLICTIS SPES UNICA REBUS. O Chriſtiani! ô miſeri! ô languidi! imò & deſperabundi! reſpirate: *MARIA*, ait Doctor Mellifluus, *omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi: captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii Perſona carnis humanæ ſubſtantiam, ut non ſit, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Ah quid times, anime mi, accedere ad hanc pientiſſimam Matrem tuam? Mater eſt, & ſufficit.

S. Bernh. Serm. B. Mariæ de Verb. Apoſt. £. 53.

Nata autem fuit, prout dictum eſt, & quod bene obſervandum, juxta Piſcinam Probaticam, quæ habebat quinque porticus, cujus aquæ ſemper rubebant ex cruore victimarum, quæ in eadem abluebantur Piſcina, priusquam in ara DEO per ignem cremarentur. Hæc inquam, Piſcina typus elegantiſſimus Dominicæ Paſſionis fuit; ita D. Antonius Paduanus: *Piſcina eſt Paſſio Chriſti, porticus quinque vulnera ejus*; addit Ludolphus Carthuſianus, in eadem piſcina illud lignum tempore Chriſti Paſſionis eſſe inventum, ex quo Crux fabricata eſt, in qua ſalutis author pependit, & propriâ morte mortem omnium ſuperavit; & juxta hanc Piſcinam, obſerva, nata eſt in lucem Virgo illa intemerata & innocentiſſima, & quid hoc aliud præſignavit, quam quòd aliquando juxta crucem, ubi vera illa gratiarum piſcina pro ſalute mundi foret adaperienda, ſtare deberet, ut fidelis ſalutis noſtræ advocata, & coadjutrix redemptionis, non quidem Redemptori noſtro commoriendo, ſed illi ſubminiſtrando humanitatem, tanquam Divinitatis inſtrumentum, quo ipſe redemptionem operaretur: *Stabat autem juxta Crucem JESU Mater ejus* &c. O pientiſſima, quis non amet te?

S. Ant. in hunc loc. Joan 5.
Ludolph. Cart. p. 1. cap. 77.
Joan. 19. 25.

CON-

# CONSIDERATIO V.

## B. Virgini Doloroſæ nomen imponitur, MARIA; quod dulce & amarum eſt, quia amarum mare &c.




Et nomen Virginis MARIA.
*Luc.* 1. 27.

1. CUr Adam à DEO hoc nomine nuncupatus ſit, in promptu cauſa eſt, quia *Homo ab humo*, & Adam ab *Adama* quæ terram ſignificat. Cur Eva ab eodem Adamo *Eva* fuerit vocitata, rationem Scriptura addit, quia futura erat *Mater cunctorum viventium*, hoc enim Evæ nomen Gen. 3. 20. deſignat. Sed adverte; quemadmodum Eva in vita temporali cunctorum viventium protoparens eſt, ita B. Virgo Doloroſa in vita ſpirituali & æterna, dum DEUM nobis protulit & hominem, atque ſic fideliſſima in generis

 huma-

humani redemptione cooperatrix extitit, longè potiore jure ac ratione cunctorum viventium ac Chriſti fidelium Mater eſt appellanda; & nunquid *Rebus conveniens nomen in omen abit?* Hinc haud immeritò inter Doctores ac SS. Patres quæſtio exorta eſt, quare SS. Deipara non Eva, ſed MARIA octavo poſt nativitatem ſuam die à SS. Parentibus Joachimo & Anna vocata ſit?

B. Alb. M. ſup. Miſſus cap. 60.

Reſpondet B. Albertus Magnus, nequaquam conveniens fuiſſe, DEI Matrem Evam appellari: *Cùm Sanctiſſima*, inquit *hæc Virgo primario electa non ſit ad impertiendum nos vitâ ſpirituali, verùm ad progignendum è caſtiſſimis virginalis uteri viſceribus DEI Filium, ac Mundi Redemptorem; parum conveniſſet, priore nomenclaturâ neglectâ, unius poſterioris curam habuiſſe.* Magnus Areliæ Auguſtinus alias ſubdit rationes, quare nomen Eva B. Virgini non convenerit: *Eva*, ait *damnavit, MARIA ſalvavit: illa occidendo obfuit, iſta vivificando profuit: illa Eva vocata extitit, iſta nomen Evæ mutavit, non quidem voce, ſed re. Illa omnes homines carnaliter generavit in mundum, iſta ſpiritualiter regeneravit in cælum: illa gratiam perdidit, iſta gratiam invenit: illa facta eſt de latere viri dormientis, iſta de corde DEI vigilantis: illa viro ſuo occaſio fuit perditionis, hæc viro, id eſt, Chriſto, adjutorium redemptionis* &c. O qualis diſcrepantia inter utramque! quàm inconveniens igitur fuiſſet, ſi utrique idem nomen ceſſiſſet.

S. Auguſt. Serm. 2. de Annunt.

Gen. 17. 15.

Sed dices, quare hæc Sacratiſſima Virgo non fuit appellata *Sara*, vel *Sarai*, quod nomen idem eſt, ac *Domina & Princeps plurimarum gentium*; quod ad impletum; dum Iſaac, generis non duntaxat Hebraici, ſed & humani delicium genuit, ex quo orbis Servator Chriſtus ſuo tempore erat naſciturus? Et nunquid figurans cum figurato correſpondeat, neceſſe eſt? Vel cur non nominata fuit *Rebecca*, quæ duplex Mater extitit, dum uno partu Jacob & Eſau progenuit; ita, ſubintrat hic Mellifluus, B. Virgo duplex Mater effecta eſt, DEI & hominis, Regis & exulis, Chriſti & peccatoris? Cur non *Rachel*, quæ Joſeph in lucem edidit verè *filium accreſcentem*, qui elegantiſſimus Chriſti typus per omnem vitam extitit? Aut quare non *Abigail*, quæ iratum Davidem placavit? *Eſther*, quæ Hebraicum populum ab interitu ſervavit? Vel denique *Anna*, quia paſſim à Matribus nomen aſſumunt proles?

Geneſ. 25. 25.
S. Bern. ſup. ſig. Magnum.
Geneſ. 49. 22.
1. Reg. 25. 22.
Eſth. 8. 5.

Verumenim verò nullum horum nominum placuit SS. Trinitati, ſed voluit, ut Maria appellaretur; ita enim inſinuavit S. Joachimo & Annæ, Sacratiſſimis conjugibus per Angelum: *Et vocabis nomen ejus MARIAM.* Et quare Maria vocata eſt? Interim libeat, prudens Lector! inſpicere Emblema, in quo Aurantium malum, ob certam cum auro ſimilitudinem ſic nuncupatum, tibi exhibeo, & quia hoc pomum aureum dulcis quidem Saporis eſt, ſed amari corticis, ideò pro lemmate inſcribere placuit:

S. Vincent. Ferr. Serm. 1. de Nat. Deip. & plures alii.

Dulce amarum.

O pien-

Digitized by Google

O pientiſſima Virgo! rectè SS. nomen tuum MARIA cum hoc aureo po-
mo aſſimilatur, dulce enim eſt, ſed & amarum, quam veritatem in præ-
ſenti conſideratione dilucidabimus.

2. Dulce hoc eſt SS. Nomen MARIA, quia *Dominam* ſignificat: *Sermo-* S. Iſidor.
*ne autem Syro* inquit S. Iſidorus, *MARIA Domina nuncupatur: pulchrè quia* lib. 7. Etymolog. c. 10
*Dominum genuit.* Ita in omnibus propemodùm linguis ac nationibus hoc
ſacroſanctum nomen exponitur, & nuncupatur DOMINA; & rectè, ſi
enim Creator ac Dominus univerſorum, cui venti, & mare & omnia obe-
diunt, *erat ſubditus illi*, dignum & juſtum eſt, ut & ipſa omnium nuncupe- Luc. 2. 51
tur Domina creaturarum. Hinc cæleſtis ille Legatus à SS. Triade ad an-
nunciandum Verbum incarnandum ad eam miſſus, non auſus eſt proprio
illam nomine in primo ingreſſu ſuo ſalutare: *Ave MARIA*, ſed *Ave gratiâ ple-*
*na.* Cauſam ſubjungit Didacus Stella: *Non eam* inquit, *proprio nomine nun-* Luc. 1. 28.
*cupavit propter ſuæ dignitatis altitudinem*, non enim in hoc terrarum orbe moris Stella hîc in Lucam.
eſt, ut Imperatores, Reges ac Principes etiam in familiari alloquio pro-
prio nomine ſalutemus. Diſce hîc reverentiam, diſce amorem erga hoc
SS. Nomen, ſi enim Domina eſt, quia peperit nobis mundi Dominum, ubi
amor, ubi cultus, ubi noſtrum erga eam obſequium? Si in SS Nomine JE-
SU omne genu flectitur, *cæleſtium, terreſtrium & infernorum*: opportet, ut Phil. 2. 10.
& nos hoc dulciſſimum Nomen MARIÆ ſumma, quâ decet, demiſſione
veneremur.

3. Aliud pulcherrimum argumentum pro Domino MARIÆ anno-
tavit S. Bonaventura, qui in exemplum formoſiſſimam illam reginam Eſt-
her adducit, quam duæ ad Aſſuerum regem comitatæ ſunt ancillæ, quarum
uni Eſther ob corporis teneritudinem innitebatur, altera verò hanc Domi- Eſth. 15. 5
nam ſuam ſecuta, defluentia colligebat veſtimenta: *Cumque regio fulgeret habi-*
*tu, & invocaſſet omnium Rectorem & Salvatorem DEUM, aſſumpſit duas famu-* S. Bonav.
*las* &c. Supra quod perelegantèr memoratus Doctor Seraphicus: *Duæ* in Spec.
*famulæ*, inquit *quarum Regina eſt MARIA, ſunt Angelica & humana na-* B. V.
*tura. Humana eſt famula illa, quæ ſequitur Dominam, in mundo colligens veſti-*
*menta Dominæ, hoc eſt, virtutes, & exempla MARIÆ: Angelica verò eſt illa*
*altera, ſuper quam in cœlo innititur, ſe ſociando ac deliciando cum Angelis*, Hinc
optimè obſervat Magnus ille Cancellarius Pariſienſis, quòd regnum Joan. Gerſon
DEI in duas partes diviſum rectè dici poſſit, cujus pars una juſtitia, Tr. 4. in Magnif.
alia miſericordia eſt; juſtitiam ſibi Filius reſervat, cui Pater dedit omne Exerc. 5.
judicium, alterum regni dimidium, hoc eſt, miſericordiam MARIÆ con-
tulit. Audi & Arnoldum Carnotenſem: *Chriſtus*, ait, *eſt Dominus MA-* Arnold.
*RIA Domina, conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam, & quicunque JE-* Carnot. tr.
*SU curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat.* O plane immenſam hujus de laud.
SS. Nominis MARIÆ dignitatem! Erige te, quicunque tandem es, Serve Virg.



Digitized by Google

& Cliens Mariane! erige, inquam, te, non enim duntaxat potentem, ſed & clementiſſimam, ac benigniſſimam habes Dominam, quam, ſi ſincero ac filiali amore diliges, in omnibus tuis, tum animæ, tum corporis neceſſitatibus ſenties propitiam: *Mergar*, dicit quidam devotus Aiceta, *licet inferis collo tenus, inde cœli Reginam in opem vocabo, miſerationi ejus integrè me committam: nemo enim poteſt inter MARIÆ brachia perire*: & S. Ephrem: *Nomen MARIÆ*, inquit, *eſt reſeratorium portæ cœli.* Vide hìc, anime mi! quàm dulce ſit nomen MARIÆ.

In Ciro. Menſtr. die 28. S Ephr. Crat. de Virg.

4. Dulce inſuper eſt SS. Nomen MARIA, quia juxta S. Ambroſium idem ſignificat, quàm DEUS *ex genere meo*; vel potiùs: *Filius DEI ex genere meo*; quid excellentius, & quid dulcius? Item *Illuminata* & *Illuminatrix*: ita D. Eucherius; ſicut enim luna, teſtis in cœlo fidelis, à ſole illuminata univerſæ terræ, cùm plena eſt, de nocte intempeſta ſuam communicat lucem: ita B. Virgo, quæ, *pulchra ut luna*, à Chriſto (Myſtico juſtitiæ Sole) participatum lumen non Apoſtolis, Evangeliſtis, primis Martyribus ac Chriſtianis duntaxat, dum adhuc in vivis erat, ſed & omnibus Chriſticolis, ac præſertim de ſalute æterna periclitantibus, atque in umbra mortis ſedentibus communicavit, & etiamnum hodie communicare aſſolet. Proin rectè illius SS. Nomen interpretatur *Illuminata & Illuminatrix*. Audiamus S. Bonaventuram: *Ipſa eſt*, inquit, *cujus vita glorioſa lucem dedit ſæculo, ipſa eſt lucerna Eccleſiæ, ad hoc illuminata à DEO; ut per ipſam à tenebris mundi illuminaretur Eccleſia* &c.

S. Ambroſ. lib de Inſtitut Virg. c. 5. Eucher. lib 2. inſtruct. c. 5.

S. Bonav. In Spec. B. Virg.

Exponitur ulteriùs hoc SS. Nomen MARIA, *Stella maris*. Ita Mellifluus: *Nomen Virginis MARIA*, inquit, *quod interpretatum Maris Stella dicitur; ipſa eſt præclara & eximia Stella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis.* Et Euſebius Emeſenus auctor antiquiſſimus homilia in Epiphaniam Domini ita de hoc Nomine differit: *Veniunt*, ait, *Magi Bethlehem, ſtat ſupra domum illam, in qua erat Virgo MARIA, ſtat ſtella ſupra ſtellam, MARIA enim ſtella maris interpretata eſt. Stella itaque Filius, ſtella & Mater; ſtella oritur de ſtella, ſed major qua oritur* &c. Et quemadmodum per hanc maris ſtellam inter tot ventorum ac procellarum furias navigantes ad optatum diriguntur portum, ne in Scopulos, Syrtes, Scyllas, Charybdes impingant, ac pereant, ita per MARIAM Chriſtiani diriguntur ad gloriam & ſalutem obtinendam æternam; undè rectè Seraphicus Doctor; *Legitur*, inquit, *& verum eſt, quòd nautarum mos eſt, ut cùm in aliquam terram navigare diſponant, unum ſidus eligant, cujus ſigno luce radiante in eam, quam deſiderant, patrem, poſſint ſine errore adduci: Tale certè officium eſt Stellæ noſtræ MARIÆ, quæ navigantes per mundi mare in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ dirigit ad litus cœleſtis patriæ.*

S. Beroh. hom. 2. ſup. Miſſus Euſeb. Emeſ. hom. in Epiph.

S. Bonavent. in Spec. B. Virg.

Vide

Vide ex his, anime mi! atque conſidera, quàm dulce ac glorioſum ſit hoc Sacroſanctum Nomen MARIA; Et ſi Romani olim in omni hoſtili incurſu ad ſuum Capitolium confugiebant, Babylonii ad turrim Babel, Burgundi ad Burgum &c. ita Sodales ac Clientes Mariani ad MARIAM, velut ad turrim fortiſſimam contra omnes inimicorum aſſultus ſe conferant, *quia Turris fortitudinis eſt à facie inimici.* Imò hoc SS. Nomen non turris dumtaxat fortiſſima eſt, ſed & civitas inexpugnabilis, ita Vates Regius: *Qui diligunt Nomen ejus, habitabunt in ea*; hoc eſt, ſub ſecuriſſimo tanti nominis patrocinio, tanquam in munitiſſimo propugnaculo contra omnes hoſtium incurſus. Audi pro tuo ſolatio & S. Birgittam, imò ipſam SS. Deiparam ad hanc Divam loquentem: *Omnes dæmones verentur hoc nomen, & timent, qui audientes hoc nomen MARIA, ſtatim relinquunt animam de unguibus, quibus tenebant eam.*

Pſal. 60. 4.
Pſal. 68. 37.
S. Birgitt. lib. 1. Rev. cap. 9.

9. Verùm progrediamur in expoſitione hujus SS. Nominis MARIÆ ulteriùs; & quid audio? ergo hoc dulce Nomen amarum ſit? quinimò amariſſimum: *Myrrha maris eſt*, ita SS. Ambroſius, Hieronymus, Epiphanius & alii, quod colligunt ex duobus nominibus Hebraicis, videlicet *Mor* quod myrrham, & *Jam*, quod mare ſignificat; fuit ergo hæc dulcis Virgo præ cunctis quidem mortalibus gratiâ pleniſſima, ſed & innumeris ac planè immenſis amaritudinibus in anima repleta, quæ jam tunc temporum intervallo vix in lucem edita cum Noëmi dicere poterat; *Ne vocetis me Noëmi; id eſt, pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Et ſi S. Joanni Damaſceno, S. Bonaventuræ, B. Alberto Magno ac pluribus aliis SS Patrum credimus, juxta etymon ſui SS. Nominis MARE AMARUM per omne vitæ curriculum extitit, hoc enim propriè illius Nomen indicat. O Beatiſſima! Si *conveniunt rebus nomina ſæpe ſuis*, quid adhuc erit de te? *Martyres*, inquit S. Joan. Damaſcenus, *à glorioſo paſſionum triumpho nominantur, & MARIA à futuro dolore capit nomenclationem, dum mare amarum interpretatur.*

S. Ambroſ. lib. de Inſtitut. Virg. & alii.
Ruth. 1. 20.
S. Joan. Damaſcen. l. 4. cap. 15.

Perelegantem de hac veritate nobis ſubminiſtrant figuram Sacræ Paginæ. Cum regnante Pharaone in Ægypto immaniſſimo tyranno omnes Hebræorum maſculi in profluentem, velut canes vita indigni, abjicerentur, & amariſſimus parentes inter ac amicos exoriretur luctus, Amramus & Jochabeta Iſraelitæ & piiſſimi conjuges filiam calamitoſo tunc temporum intervallo natam in memoriam hujus ac tantæ amaritudinis MARIAM, id eſt, innuit Cornelius & paſſim alii, *Myrrham maris* appellarunt, quæ Maria Moyſen fratrem ſuum germanum in ſcirpea fiſcella in Nilo expoſitum, ambulans in ripa obſervavit, matrique juſſu Therncut filiæ Regis nutriendum, & donec adoleſceret, educandum reddidit. Tandem grandior facta & permanens virgo, ſicut Moyſes virorum, ita illa mulierum dux in tranſitu maris

Exod. 1. 4.

Rubri

Exod. 15. 20

Rubri extitit: *Sumpſit ergo MARIA Prophetiſſa, ſoror Aaron, tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam* &c.

S. Ambroſ. Exhort. ad Virg.
1. Reg. 25.

Vide hic, prudens Lector! antiquiſſimam Mariani Nominis etymologiam. Hæc MARIA Virgo, ſubintrat hic D. Ambroſius, ſoror Moyſis & Aaron, typus fuit intemeratæ Virginis ac Matris DEI MARIÆ, illa myrrha maris in umbra vocabatur, & hæc in veritate erat myrrha maris amariſſima, imò mare amarum & pelagus omnium dolorum: *Sicut nomen ejus, ſic & ipſa.* Et licet in mare diverſa ſe ſe effundant flumina, ac deſuper dulcibus rigetur cœli pluviis, mare tamen amarum perſeverat, unde lemma: *Nil de ſalſedine linquit*: ita & in mare myſticum, MARIAM, quamvis omnia flumina, id eſt, teſte S. Bonaventura, gratiæ & chariſmatum dona intrare ſoleant nil tamen hoc amare quidquam de ſalſedine perdit, ſed mare amarum permanet: *Sicut nulla* ait Hadrianus Lyræus, *in mari gutta eſt, quæ amara non ſit, ſic nullam Marianæ vitæ momentum, quod plurimarum afflictionum & ærumnarum non imbuit amaritudo.* Et hoc ſignificat SS. Nomen MARIA; cujus ſi veri filii ac clientes eſſe diſcupimus, ſine animi amaritudine recordari non poſſumus.

S. Bonav. de laud. Virg cap. 7.
Hadr. Lyr. in Triſag. Pauſa 9.

7. Habet autem hoc admirabile & glorioſum Nomen quinque litteras, dignas, ut à nobis intellectu attentiore conſiderentur. De Davide tum adhuc puero paſtoritio recenſent Regum libri, quòd contra Goliam pugnaturus quinque limpidiſſimos lapides de torrente elegerit, quorum unum fundæ impoſuit, in quo nomen *Joſue* (per anagrama O JESU) erat exaratum, in cujus SS. Nominis virtute gigantem proſtravit, & inſignem ab eo reportavit victoriam: *Et miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte: & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram* &c. En pereleganten typum SS. Nominis JESU & quinque SS. Vulnerum ejus, unde rurſus S. Bonaventura: *Sicut Chriſtus,* ait, *quinque Vulneribus ſuis contulit plane remedia mundo; ſic MARIA ſuo ſanctiſſimo Nomine confert quotidie peccatoribus veniam in hoc mundo*: intellige per potentiſſimam ſuam interceſſionem, quia Mediatrix, Adjutrix, Reparatrix, Illuminatrix, & Advocata eſt, ita SS. Nomen ejus MARIA.

1. Reg. 17. 49.
S. Bonav. in Spec. Virg. cap. 1.

Iſidor. Clarus in hunc lo. Paoletti & alii Judith 16. 11.

De fortiſſima Judith commemorant Sacrarum litterarum Interpretes, quòd quinque pretioſis gemmis, quas in Sandaliis ſuis collocaverat, Holofernis animum obcæcaverit, atque in ſui amorem attraxerit: *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus* &c. Plus virtutis in Nomine MARIÆ, ſingulæ enim litteræ pretioſæ ſunt gemmæ, quibus animæ tuæ hoſtes poteris debellare, &c.

M. Mar-

Digitized by Google

M. M*argaritam* denotat, de qua lemma: *Cælo facunda parente*, ſolet enim Margarita è diſtillante, limpida & puriſſima roris cæleſtis guttula confici, & intra concham reponi: ita in utero B. Virginis Verbum Divinum cum natura humana hyopſtaticè unitum eſt.

A. A*damantem* indicat, de quo lemma: *Gemmâ pretioſior omni.* Talis adamas B. Virgo erat, cujus dignitas tanta eſt, eò quòd Mater DEI ſit, ut, teſte Doctore Angelico, non ſolùm omnium hominum, ſed & Angelorum excedat dignitatem, excellentius enim eſt eſſe Matrem Principis, quàm miniſtrum. &c. S. Th. 1. p. q. 25. ad 6. cap. 4.

R. R*ubinum* deſignat, de quo lemma: *Cruore notabilis ipſo*; quò enim rubicundior, eò pretioſior eſſe ſolet, hinc & rubore ſuo paſſionem exprimit. Ejusmodi rubinus SS. Deipara in cruenta Filii paſſione extitit, & licet ipſa Sanguinem ſuum non fuderit, Chriſti tamen pretioſo Sanguine ſtans juxta crucem abundè rigata, atque delibuta eſt, ubi *Sanguis ſanguinem tetigit.*

I. I*aſpidem* demonſtrat cum lemmate: *Virore perenni.* Eſt autem Jaſpis ſubviridis coloris & pellucidus, ſpei humanæ Symbolum; ſed optimus ille eſt, cui alba linea tranſverſa eſt; eſtque ſingulare, teſte Dioſcoride, contra venena & veneficia amuletum. O Beatiſſima Virgo; quid SS. Nomen tuum aliud nobis eſt, quàm ejusmodi ſalutifer Jaſpis, ſpes & amuletum contra omnes diabolicos & malorum inſultus, ac præſertim tunc in ultimo agone, ex quo nobis pendet æternitas? *Qui hoc nomen retinet*, ait Seraphicus, *non expaveſcet in puncto mortis.* Dioſcorid. l. 5. c. 160. S. Bonav. in Pſalt. B. V.

A. A*methyſtum* oſtendit cum lemmate: *Miſcentur violæ roſis.* Ita S. Iſidorus Amethyſtum deſcribit: *Amethyſtus purpureus eſt permixto violaceo colore & quaſi roſæ nitore*: Symbolum autem perfectæ charitatis & humilitatis eſt. Et quid, obſecro, humilius Ancillâ Domini? & quis unquam majore in DEUM & proximum excelluit charitate? O MARIA, finio cum Mellifluo, *O Nomen ſuaviſſimum: Certè non ſum dignus te nominare, ſed ſi non ſum dignus propter me, ſum dignus propter te, quia tu es digna nominari, & ab omnibus amari, & revereri, quia per te gratiam acquirimus, & gloriam impetramus.* S. Iſid. l. 16. Etymol. cap. 9. S. Bern. hom. 2. ſup. Miſſus.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO VI.

## B. Virgo nunc trimula in templo præſentata Cor ſuum SS. Trinitati in perfectiſſimum amoris & doloris holocauſtum conſecrat.




### Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis.
*Gen.* 8. 21.

SI holocauſtum illud odoriferum, à Noë poſt univerſalem orbis cataclyſmum DEO T. O. M. in ara publica litatum, adeò Divinæ Majeſtati placuit, ut iram ejus non duntaxat placaret, ſed & inſuper ſanctè promitteretur: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*, &c. Quantò magis Divinæ Bonitati oportet fuiſſe acceptabile illud ſuaviſſimum Sacrificium, quod beatiſſima ac intemerata Virgo MARIA, nunc trimula, in templo à SS. Parentibus præſentata, SS. Trinitati obtulit, dum videlicet quid-

Gen. 8. 21.

Digitized by Google

quidquid habuit, quidquid potuit, quidquid erat, imò & cor ſuum totum in gratiſſimum holocauſtum DEO conſecravit, de quo fragrantiſſimo Sacrificio longè meliori jure dicere poſſumus. *Odoratusque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Proinde Emblemati noſtro, in quo COR immaculàtum hujus tenerrimæ Virginis DEO in altari in ſuaviſſimum amoris & doloris holocauſtum offertur, pro epigraphe inſcribere placuit:

## In odorem ſuavitatis.

Hanc in templo præſentationem hujus SS. Virgunculæ pulcherrimè in Sacro Epithalamio adumbravit dilecta illa Sulamitis, quam, ubi Sponſus de deſerto & agro ſuburbano in regiam ſuam gradatim aſcendentem conſpicatus eſt, eam virgulæ fumi ex optimis aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii compoſiti aſſimilavit: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarii?* Cant 3. 6.

O Beatiſſima Virgo, tu es illa Sulamitis & myſtica illa fumi virgula, dilectiſſimo Sponſo tuo, Spiritui Sancto jam tunc in tenella ætate ſuaviſſimum virtutum ſpirans odorem: *Virgula,* inquam, non ſolùm ob puerilem ætatem, ſed etiam ob profundiſſimam humilitatem; parvula quidam virgula, ſed rectiſſima, quia nullo peccato diſtorta; virgula ex myrrha præſtantiſſima ad perfectam carnis, omniúmque paſſionum mortificationem, & ex thure ſimul compoſita, quia ſoli DEO per orationem & altiſſimam contemplationem dedita: *Et univerſi pulveris pigmentarii,* hoc eſt: omnium virtutum aromatibus, quæ in ſingulis reſplendent fidelibus, ornata: *Quæ eſt iſta,* ſubintrat hîc S. Hieronymus, *qua aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus? & bene quaſi virgula fumi, quia gracilis, & delicata, quia Divinis extenuata diſciplinis, & concremata intus in holocauſtum incendio pii amoris & deſiderio charitatis,* &c. S. Hieron. tom. 9. ep. 10. ad Paulum & Euſtachium.

2. Olim in Levitico præcepit DEUS, quatenus ſibi populus electus ſpicas virentes & præcoquas in Sacrificium offerret: *Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni,* &c. Per ejusmodi ſpicam virentem, de qua verum frumenti granum (Chriſtus JESUS) prodiit, in cruce mortificandum & multiplicandum, rectè hanc tenellam & incontaminatam Virgunculam in templo præſentatam intelliges, quæ jam tunc SS. COR ſuum, velut frugum primitias, igne Divini amoris coſtas, DEO in Sacrificium obtulit: *Velut ignis ferrum,* inquit S. Ildephonſus, *ſic Spiritus Sanctus illud cor totum decoxit, incanduit & ignivit, ita ut in illo nihil ſentiretur, niſi tantùm ignis amoris DEI.* Lev. 2. 14. S. Ildeph. ſ. 1. de Aſſ.



Digitized by Google

O anima Chriſtiana, ſi introſpexiſſes jam tunc in hoc puriſſimum corculum illibatæ illius Virgunculæ, quæ à primo Conceptionis momento Spiritu Sancto plena extitit, & in qua uſus quoque rationis anticipatus fuit, quid, obſecro, aliud vidiſſes, quàm fornacem ignis ardentis, de qua ſanctæ flammulæ aſſidui in DEUM amoris, velut ab igne perpetuo jugiter in cælum
Lev. 6. 12. volabant: *Ignis autem in altari ſemper ardebit?* Proinde jam tunc, prout teſtis eſt Seraphicus Bonaventura, de noctis medio de lectulo ſuo ſurgere ſolita eſt, & pergens ante altare templi cor ſuum ab omni ſorde alieniſſimum in perfectiſſimum DEO offerebat holocauſtum. O quàm tepidum è contrario eſt cor noſtrum! non abſimili ollæ aquis impletæ, quæ ad ignem poſita quidem ebullit, ſed ſemota rurſus tepeſcit; ah quoties ignita & inflammata habemus deſideria, & mox iterum cor noſtrum in antiquum frigus abit!
Apoc. 3. 16. heu quàm meritò nobis timendum illud Apocalypſeos: *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

1. Recordor hìc illius Sacrificii, quod quondam Abraham & Jephte, DEO litàrunt. Ad Abraham dictum erat: *Tolle filium tuum unigenitum,*
Gen. 22. 2. *quem diligis, Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* Qui ſine mora paratum ſe obtulit, ad montem perrexit, & ubi omnia ad immolationem & holocauſtum erant præparata, magno animo ſtrinxit gladium, filio vitam, quam prius illi dederat, extincturus. Et ecce adeſt in tempore de cœlo nuntius: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam.* Bone DEUS! quid hoc eſt? Ad quid, obſecro, DEUS Abrahamum juſſit Sacrificium offerre, ſi nunc prohibet ferire? Et nunquid DEUS in ſuo decreto eſt omnino immutabilis, non phyſicè duntaxat, ſed & moraliter, ita ut ex
Malach. 3. 6. animi inconſtantia aliud velle non poſſit, quàm quod ſemel decrevit: *Ego enim Dominus & non mutor?*

Inſpiciamus modò & Sacrificium Jephte, de quo recenſent Sacræ Paginæ, quòd ad cruentum prælium contra Ammonitarum Regem accingendus
Judic. 11. 31. hocce votum fecerit: *Quicunque primus fuerit egreſſus de foribus Domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino.* Vicit Jephte, hoſtem debellavit, rediit Victor glorioſus, & ecce prima, quæ ei de domo ſua occurſum venit, Jephtias, ſeu ut alii vocant, Seila unica filia fuit, quam mox juxta votum ſuum Supremo Numini in holocauſtum deſtinavit: *Et fecit ei, ſicut voverat*, dum eam non tantùm gladio mactavit, ſed & jugulatam in holocauſtum in honorem DEI in igne cremavit; verùm nullus in hoc litando Sacrificio aderat de cælo nuntius; nullum hìc audiebatur cæleſte oraculum; nullus, qui Patrem prohiberet, aut manum teneret, ne gladium in innocentem vibraret filiam? Proh Deum immortalem! quanta in utroque Sacrificio inæqualitas!

Re-

Digitized by Google

Reſpondet dilucidè ad rem noſtram Magnus Aurelius Auguſtinus, quòd DEUS in Abrahamo potiùs cor & affectum, quàm effectum exquiſierit: *Affectum tuum*, ait, *inquiſivi, non factum exegi*, quâ bonâ & promptâ tum patris, tum filii voluntate DEUS contentus erat: & pergit idem ſanctus Eccleſiæ Doctor: *Quid à te DEUS expetit? quod Abraham illi dictum eſt: da mihi unicum dilectum filium tuum; tibi dicit Sapientia: da mihi, fili, cor tuum, offer Sacrificium, contritionem cordis Domino*, &c. En cordis oblatio DEO acceptabile holocauſtum eſt, ſuper omne aurum & Topazion æſtimandum.

F. Auguſt. ſerm. 37 de temp.

Id. tom. 9. tr. de 4. virtut. charitatis.

Econtra nec Jephte, nec Jephtias filia cor ſuum DEO conſecrârunt, dum uterque invitus ac mœſtus, ſciſſis etiam veſtimentis, & non niſi magno cum luctu & ejulatu Sacrificium Domino litârunt: *Propterea*, ſunt verba Divi Anaſtaſii Nicæni, *neque Pater eius dignus beneficio Abrahæ poſt illam incredulitatem & voti pœnitentiam & veſtium dilacerationem & lamentationem: neque filia Iſaci vita poſt impium luctum & duorum menſium ejulatum, ut quæ judicârit hoc Sacrificium eſſe quavis calamitate gravius.*

D. Anaſtaſ. Nic tom. I. Biblio. P. P. qu. 36.

O beatiſſimi Parentes Joachim & Anna, quàm longè excellentius vos DEO obtuliſtis Sacrificium, dum Filiolam veſtram MARIAM vix trimulam, chariſſimum pignus, DEO promptiſſimo animo & corde ad omnia parato in templo conſecrâſtis; ô gratum Divinis oculis munus Virgo trimula, ſed meritis jam gravida, quam mox Pater æternus in filiam, Filius in Matrem, Spiritus Sanctus in Sponſam, & omnes Angeli in Reginam ſuam adoptârunt! ô prodigium, dignúmque Angelis & hominibus ſpectaculum *O par beatum Joachim & Anna*, exclamat S. Joannes Damaſcenus, *vobis omnis creatura obſtricta eſt; per vos enim donum omnium donorum præſtantiſſimum Creatori obtulit, nempe caſtam Matrem, quæ ſola Creatore digna fuit.*

S. Joann. Damaſcen. orat. I. de B. V. Nat.

4. Salomon Iſraelitarum Rex DEO quondam integros ovium greges & taurorum armenta in holocauſtum præſentavit, quorum cruore magnificum illud templum, à ſe recens exſtructum dedicavit, conſecravitque: *Mactavit igitur Rex Salomon hoſtias, boum viginti duo millia; arietum centum viginti millia, & dedicavit domum DEI Rex & univerſus populus.* Plus vos DEO dediſtis, ô SS. Parentes Joachim & Anna, plus, inquam dediſtis, & infinities plus, dum Sacratiſſimam Filiam veſtram nunc tertium ætatis annum agentem SS. & individuæ Trinitati in Sacrarium & in vivum templum DEI viventis obtuliſtis, atque ſic longè eminentiore modo illud templum Hieroſolymitanum, quàm olim Salomon, illuſtrâſtis.

2. Par. 7. 5.

 Saba

Digitized by Google

Saba Regina Auſtri, quæ de finibus terræ ad Salomonem Hieroſolymam venerat, ut ejus ſapientiam audiret, inter dona huic ſapientiſſimo Monarchæ præſentavit centum viginti talenta auri,& aromata multa nimis,
3.Reg.10.10. gemmáſque pretioſas, &c. *Non ſunt allata ultra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Plus dedit trimula hæc Virguncula MARIA Regi immortali & inviſibili, dum ei totum cor ſuum in amo-
Luc.6.45. ris teſſeram & doloris holocauſtum obtulit: *Bonus homo*, inquit Veritas, *de bono theſauro cordis ſui profert bonum.* O cœli Principes! videte, & conſiderate Reginam veſtram, à SS.Parentibus veſtitu deaurato adornatam, & omni virtutum genere ac varietate circumdatam, nunc in templo diu noctuque Domino virtutum aſſiſtentem; in veritate non ſunt allata ultra aromata tam rara, ac tam multa virtutum, quàm ea, quæ dedit Regina veſtra Regi pacifico Salomoni, dum ei totum SS. Cor ſuum (verè Cor ſecundum COR DEI) conſignavit, & in paratiſſimam victimam contradidit; hic
Proverb. 31. 29. verificatum fuit illud Proverbiorum: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Ita eſt, ô Beatiſſima! tu ſupergreſſa es univerſas.

Gen. 43. 17. Jacob Patriacha per filios ſuos tempore communis egeſtatis Joſepho potentiſſimo tunc Ægyptiorum Proregi optimos quosque fructus de Chanaam transmiſit: *Sumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera - - - DEUS autem meus Omnipotens faciat vobis eum placabilem.* O beatiſſimi conjugum Joachim & Anna, vos revera in templo optimum fructum veſtrum DEO obtuliſtis, ſanctiſſimam nimirum ac intemeratam Filiam, de qua prodiit dulcis fructus JESUS. O pientiſſima Virgo, facias & nobis miſellis peccatoribus hunc Omnipotentem DEUM ac Filium placabilem: *DEUS autem Omnipotens faciat vobis eum placabilem*, &c.

Plinius lib. 11. Natural. 5. Vis inſuper ſcire, qualem in templo vitam hæc SS. Virgo usque ad feliciſſimam illam deſponſationem cum S. Joſepho duxerit? Audi, quid Plinius de melliferis apibus commemoret, qui libro 11. Naturalium docet, quòdRegem ſuum ſummo in honore habere ſoleant,quem in campum prodeuntem non duntaxat officioſè comitantur,atque pro illius ſalute generoſo animo, ſi quod prælium cum fucis & adverſariis exſurgat, vitam exponunt, ſed etiam in alveari ſuo peculiarem thronum ex optima cera ei parant, quem redolentibus floribus cingunt & adornant, in quo Rex ipſe ſolus ſine aculeo reipublicæ præſidere ſolet.

Quid aliud erat SS. Virgo per duodecim annorum ſpatium in templo commorans; quàm talis argumentoſa apicula, quæ jam tunc temporis DEI Filio & Regi ſuo venturo ex virginali cera illibatæ carnis ſuæ indefeſſo ſtudio ac labore ſplendidiſſimum thronum præparavit,eumque omnigenis virtutum floribus exornavit,in quo de ſinu Patris paulò poſt deſcenſurus paratum

tum

cum ſibi locum inveniret; & ſicut illa columba Noëmica poſt diluvium nullum ſibi locum in terra invenit, ubi requieſceret pes ejus, niſi in arca Noëmica; ſic Filius DEI inter omnes mulieres nullam ſibi ſedem invenit, niſi in hac SS. Virgine; proinde meritò à S. Bonaventura appellatur: *Thronus gratiæ DEI*, & ab Hugone: *Thronus DEI in columna nubis.* Geneſ. 8. 9. S. Bonavent. ſup. c. 4. & Hugo ſup. Eccl. 24.

Cæterùm mirantur Gentiles ingens illud prodigium, quòd olim Claudia, Virgo Veſtalis, ad probandam virginitatem ſuam navim onuſtiſſimam in medio Tyberis imotam hærentem, quam nullæ hominum, aut equorum vel boum vires è ſtatione movere poterant, unicâ zonâ ſuâ, quâ erat præcincta, ad navim alligatâ, facillimo conatu, eò quò voluit, trahere potuerit, quod miraculum DEUS, teſte S. Auguſtino, ad commendandam virginitatem edidit. Quantò magìs admirari nos oportet, qui veræ fidei lumine illuſtrati ſumus, quòd una Jeſſæa Virgo, non Claudia, ſed clauſa in templo, per funiculum orationis & altiſſimæ contemplationis ſuæ ipſum omnipotentem DEI Filium de ſinu Patris ad ſe in terram in ſinum ſuum attraxerit? Audi Oſorium: *Venit*, inquit, *in templum MARIA, ut pugnam cum DEO ineat, & DEUM ſuperet, ac in terram dejiciat: templum verò eſt locus hujus certaminis, & licet DEUS ex pura gratia decreverit in mundum venire, & homo fieri, voluit tamen mundum ad eum dignè ſuſcipiendum diſponi, & ut mundus id mereretur, non quidem de condigno, ſed de congruo, ut S. Thomas, aliique docent; ſed hoc meritum de congruo impleſum non fuit, donec MARIA in mundum veniret, & ſuis meritis ac oratione DEUM à cœlis in terram deduceret,* &c. Livius, & ex eo S. Aug. lib. 10. de Civit. cap. 16. Oſor. §. 8. Tom. 3.

6. Mirum eſt, quales ac quantas impenſas olim David Rex pro novo ædificando templo Salomoni filio ſuo reliquerit: *Ecce ego*, inquiebat, *in paupertate mea præparavi impenſas Domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*; hoc eſt, juxta computum Cornelii & aliorum interpretum: Bis mille & quadringentos milliones aureorum: & cauſam ſubjungit præfatus Rex: *Opus namque grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed DEO.* Hoc ipſum, anime mi, longè meliori jure aſſerere poſſumus de SS. Corde B. Virginis MARIÆ, nunc trimulæ à pientiſſimis Parentibus ſuis DEO T.O.M. in novum templum præſentatæ; ô verè opus grande, dum non homini, ſed DEO à Spiritu Sancto habitatio præparanda erat, in qua habitaret ipſe DEUS cum hominibus! ô quot pretioſis virtutum gemmis, quot naturæ & gratiæ donis hoc myſticum templum exornavit Architectus tam nobilis, qui erat Spiritus Sanctus? Et ſi quondam formoſa illa Eſther, antequam potentiſſimo Perſarum Monarchæ Aſſuero in Sponſam præſentaretur, priùs odoriferis unguentis, oleo myrrhino & delicatis aromatibus inungi, & pretioſis ornari debuit veſtibus, ut uni Regi & homini mortali ac fragili placeret: *Quomodo gratiâ & virtutibus*, ſubintrat 1. Par. 22. 14. 1. Par. 29. 1. Eſth. 2. 12.

hic

Digitized by Google

hìc Cornelius, *uncta & ornata fuit B. Virgo, ut fieret Sponſa DEI & Mater Chriſti!*

7. Quæres hìc, qualem vitam B. Virgo in templo duxerit, antequam ab Angelo ſalutaretur, & cum S. Joſepho deſponſaretur, an activam, vel contemplativam? Reſpondeo, quòd utramque, hìc enim veneficatum fuit illud Apocalypſios: *Mulieri datæ ſunt duæ alæ, & Mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à DEO.* Per has duas alas SS. Patres vitam B. V. activam & contemplativam ſubaudiunt, per ſolitudinem verò, templum Hieroſolymitanum, ubi in cubili, vel etiam in Sanctuario à reliquorum hominum conſortio ſeparata diu noctuque DEO ferventiſſimis Spiritûs ardoribus inſerviebat: *Hanc ſibi regulam*, ait S. Hieronymus, *B. Virgo ſtatuerat, ut à manè usque ad horam tertiam orationibus inſiſteret; à tertia uſque ad horam nonam externo opere ſe occuparet, à nona verò iterum ab oratione non recedebat, quò uſque illi Angelus appareret*, &c.

Apoc. 12. 14.

S. Hieron. cit à S. Bonavent. in Medit cap. 3.

Obſervant autem Patres, quod hæc pientiſſima Virguncula non ſingulis duntaxat diebus ordinario Sacrificio Matutino ſed & Veſpertino maximo ſpiritûs cum fervore interfuit, per quæ cruenta Sacrificia Agni videlicet Matutini & Veſpertini, atque aliorum holocauſtorum & victimarum clariſſimè, velut in ſpeculo futuram Meſſiæ paſſionem, ac cruentam crucis mortem prævidit, quam non ſine lacrymis ac ſuſpiriis jam tunc tenella Virgo meditabatur; omnia enim iſta legalia Sacrificia Chriſtum JESUM patientem & Crucifixum juxta Cornelium & alios præſignabant. Hinc collige, anime mi, hujus Sacratiſſimæ Virginis & amorem & dolorem, quibus jam tunc innocentiſſimum Cor ejus erga venturum orbis Redemptorem & genus humanum in peccatis deperditum afficiebatur. O quantum obligati ſumus huic tenerrimæ Virgini, quæ nobis miſellis jam tunc potiſſimùm Divini Verbi incarnationem ac paſſionem promeruit! Fateor cum S. Bernardo, *captus ſum amore hujus Virginis &, Matris DEI MARIÆ, quam ſemper amavi, in qua poſt DEUM omnis mea ſpes, illam unicè diligo, illam inquiro, illam videre concupiſco; hæc eſt amica mea, illa pulchra illa dulciſſima Virgo, &c.*

Exod. 29. 38. Dionyſ. à Luxenb. in feſt. præſent. B. V. Mariæ.

S. Bernh. ſup. Salv. Reg.

CON-

# CONSIDERATIO VII.

## Conſideratur puritas Doloroſæ Virginis, primæ inter omnes votum Virginitatis DEO emittentis.




## Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? *Luc.* 1. 34.

1. IN quo pretio in veteri quondam Teſtamento virginitas fuerit, abundè patet ex Seila Filia Jephte, quæ, cùm ex patre intellexiſſet, ſe ex voto ejus ob reportatam contra Ammonitas victoriam DEO T. O. M. in victimam eſſe deſtinatam, voluntati quidem parentis non contradixit, ſed ultro ſeſe ob amorem patriæ morti & immolationi obtulit, verùm virginitatem ſuam, & ætatem virginalem nunc nuptiis opportunam duobus menſibus in montibus amaris deflevit lacrymis: *Dimitte me, ut duobus men-* Judic. 11. 37.
*ſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum Sodalibus meis,*

erat enim illo carnali ævo valde triſte, ac dedecoroſum, ſine prole vivere, ſine hærede mori, hinc ſteriles maledictæ dicebantur.

His non obſtantibus B. Virgo inter mortales omnes prima votum virginitatis Supremo Numini emittit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quibus verbis juxta mentem SS. Patrum caſtitatem Angelico Nuntio prætulit, & maluit eſſe Virgo, quàm Mater Chriſti præcisè cum jactura caſtitatis, proinde utrumque de congruo meruit, ut Virgo perpetua permaneret, & ſimul Mater DEI fieret: *MARIA*, inquit S. Ambroſius, *ſignum ſacræ virginitatis extulit, & intemeratis virginibus pium Chriſti vexillum levavit.* Imò quod plus eſt, juxta mentem illuminatiſſimorum Theologorum, Sacratiſſima Virgo, quia uſum rationis ad ſpiritualia jam à primo immaculatæ Conceptionis ſuæ inſtanti habuit, jam in utero materno voto explicito & abſoluto DEO virginitatem ſuam conſecravit; rationem aſſignant docti Theologi, quia SS. Deipara jam tunc Majeſtatem Divinam & immenſam DEI pulchritudinem, tanquam entis puriſſimi contemplata erat, unde ſummoperè in ejus amore exarſit, eúmque ſibi in unicum & caſtiſſimum Sponſum, *qui paſcitur inter lilia*, caſtiſque oblectatur virginibus, elègit.

Luc. 1. 34. S. Ambroſ. lib. de Virg. Vide R. P. Hier. Drex. Opuſc. 13. apud me fol. 1191. Cant. 2. 16.

Hîc verificatum fuit illud Iſaiæ Prophetæ: *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium.* O quàm benè de hac puriſſima Virgine & Sponſa ſua Divinus ille Sponſus: *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus eſt liliis*; ſupra quod Cornelius: *Venter B. Virginis fuit acervus tritici, id eſt, Chriſti, qui cibus & panis eſt Chriſtianorum, vallatus liliis, id eſt, virginibus*, quarum anteſignana & princeps extitit B. Virgo MARIA: *Adducentur Regi Virgines poſt eam*; cui Virgineæ Matri, candoris ſui integritate omnes creaturas, imò & Angelos longiſſimè ſuperanti, pro Symbolo candidiſſimum lilium ſtatuimus cum lemmate:

Iſa. 7. 14. Cant. 7. 2. Cornel. hîc. Pſal. 44. 16.

## Virginei laus prima pudoris.

Sicut enim lilium flores ſupergreditur omnes, ſic *B. Virgo*, ait S. Epiphanius, *eſt lilium immaculatum, ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim & Seraphim, placens Chriſto Regi, à DEO in honore habita tanquam ancilla digna & Mater ſancta, immaculata, ſolo DEO excepto cunctis ſuperior exiſtit.*

S. Epiph. lib. de laud. Mariæ.

2. De Noë Patriarcha recenſent ſacræ litteræ, quòd ceſſante univerſali diluvio, & arca ſuper montes Armeniæ requieſcente, ut tempeſtatem exploraret, corvum & columbam dimiſerit; corvus, quia ſufficientem ſibi eſcam in ſubmerſorum, tum hominum, tum pecorum cadaveribus invenit, benefactoris ſui, tanquam ingratus hoſpes, oblitus, non ampliùs in arcam reverſus eſt, ſed columba, *cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, reverſa*

Geneſ. 8. 9.

Digitized by Google

*verſa eſt ad eum in arcam, extenditque manum, & apprehenſam intulit in arcam.* Res mira, quod iſta columba non potuerit in orbe reperire locum, ubi requieſceret pes ejus, & tamen corvus invenit ſibi locum, ubi habitaret, & cibum, quo ſe reficeret? Obſervat hîc S. Vincentius Ferrerius, quòd per dictam columbam Spiritus Sanctus debeat ſubaudiri, qui in veteri Lege, & in carnalibus illis ſæculis nullam ſibi & VERBO incarnando dignam habitationem potuit invenire, neque voluit hæc candidiſſima columba cum immundo corvo in cœno, luto & fœtore immundorum humanorum cordium ſibi requiem figere; quapropter juſtus ille Noëmus, hoc eſt, Pater Æternus, de novo circa veſperam mundi eandem pacificam amandavit columbam, quæ, conſideratis omnium purarum creaturarum cordibus, ſolùm in puriſſimo Corde B. V. MARIÆ primam ſibi ſedem, & VERBO incarnando optatam requiem invenit, ex quo SS. & Virgineo Corde, velut ex oliva ſpecioſa vireſcentem illum ramuſculum, hoc eſt, Chriſtum, qui ab oliva nomen ſortitur, mundo naufrago in ſignum reconciliationis in manus paternas deportavit: *Venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis.*

S. Vincent. Ferrer. ſerm. in Vigil. Pentec.

Gen. 8. 11.

Conſidera ex hoc, anima Chriſtiana, quàm mundum fuerit, & quàm purum, atque ab omni peccati labe alienum Sacratiſſimum COR MARIÆ: *Si cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus*; quàm mundum igitur oportuit fuiſſe illud COR Virgineum, quod ipſum DEUM ad ſe de cœlo attraxit, *qui eſt candor lucis æternæ*? Et ſi olim arca illa Teſtamenti, in qua manna cum virga Aaronica aſſervabatur, non ſolùm aureâ per circuitum coronâ redimita, ſed & extrinſecus atque intrinſecus puriſſimo auro veſtita, & ornata fuit: *Et deaurabis eam auro mundiſſimo intus & foris*, &c. Quantò magis Sacratiſſimum COR Virginis ac Matris DEI, velut arca animata, in qua requieſceret ipſe DEUS, ab omni ſorde debuit fuiſſe alienum? Ah quoties intrat ad nos in Diviniſſimo Epulo ipſe DEI Filius, & cor noſtrum adhuc tam tepidum, tam languidum, tam durum, ne dicam, tam immundum eſt? *Præparate corda veſtra Domino* &c.

Job. 15. 15.
Sap. 7. 26.
Exod. 25. 11.
1. Reg. 7. 3.

3. Conſideràſti aliquando, prudens Lector, illa notatu digniſſima verba, quæ Chriſtus pientiſſimus Redemptor tuus, nunc de Virgineo Matris ſuæ utero progrediens, ad Patrem locutus eſt, ac tunc demum, cùm in ligno crucis in manus ejuſdem Patris Spiritum commendaret, de novo repetiit: *Quoniàm tu es*, inquiebat, *qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab uberibus Matris meæ.* Quid dicis, ô mi JESU: *Qui extraxiſti me de ventre?* Tertullianùs antiquiſſimus legit? *Avulſiſti me de ventre*? & cur, obſecro: *Avulſiſti?* adverte, quod ab aliqua re vi avellitur, fortiter ei adhærere debet; ſed Chriſtus à ventre Matris vi avulſus eſt, ergo fortiter ei adhæſit; ergo etiam, repones, invitus in lucem natus eſt?

Pſal. 21. 9.



Digitized by Google

Pſal. 18. 6. Abſit hoc à Diviniſſimo CORDE JESU, cùm jam tunc Chriſtus in utero Matris exiſtens, amore hominum incitatus, velut gigas acceleravit ad currendam viam redemptionis noſtræ; ſed Scriptura per hoc oſtendit, quantùm Chriſtus ſibi complacuerit adhuc diutius in puriſſimo Matris ſuæ 3. Reg. 10. 18. utero, imò & in Corde ejus commorari, in quo velut pacificus Salomon in Cant. 1. 16. ſuo eburneo throno, velut Sponſus in florido ſuo lectulo, velut Sol juſtitiæ in placido Virginis ſigno, velut vermiculus tenerrimus in ſuo calathiſco, & velut gemma pretioſiſſima in ſua concha, optatiſſimam ſibi ſedem elegit. Hinc cùm de cruce pro omnium ſalute paſſus & mortuus deponeretur, de novo in eodem ſinu & pectore materno requieſcere voluit, & quemadmodum Joan. 19. 41. ejusmodi ſepulchrum elegit, *in quo nondum quisquam poſitus fuerat*, ita priùs cùm incarnaretur, ejusmodi cor & uterum elegit, *in quo*, prout obſervat Simon de Caſſia, *nondum quisquam poſitus fuerat, neque ponendus erat*. Sim. Caſſ. lib. 13. hic

Perpende ex his, anime mi, quantùm DEO placeat cor mundum & Eccl. 26. 20. caſtum, atque ab omni mundana & carnali ſorde alienum: *Non enim*, prout loquitur Eccleſiaſticus, *eſt digna ponderatio continentis animæ*; & Doctor S. Bernh. Epiſt. 42. Mellifluus: *Differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felicitate, non virtute, etſi enim hujus caſtitas felicior, illius tamen fortior cognoſcitur.* Symbola varia Virginitatis. Ejusmodi cor purum & caſtum aurum eſt, inter omnia cætera metalla longè præſtantiſſimum. Roſa eſt, licèt moleſtis ſubinde tentationum ſpinis juncta, cæterorum tamen florum fragrantiam multùm ſuperans. *Thymiama* Exod. 35. 8. eſt, DEO, Angelis & hominibus ob ſuaviſſimum bonæ famæ & virtutis odorem acceptiſſimum. Phœnix eſt, dum dulcem nidum dilecto ſuo Sponſo & Eucharîſtico & Crucifixo ex lignis cinnamomi fragrantiſſimis parat, eique ſoli ſeſe in dignam victimam offert. Aquila eſt, *Jovis armiger ales*, quæ duabus alis orationis & mortificationis ſublimi volatu ſupra nubes evolat, & in altiſſimis, hoc eſt, in Diviniſſimo CORDE JESU ponit nidum Job. 39. 27. ſuum, ubi ſuaviter, ceu columba in foraminibus petræ, contra omnes adverſantium Cant. 2. 14. inſultus tuta quieſcit. Avis denique eſt paradiſiaca ſine pedibus, dum terram & carnem non tangit, ſed ſeipſam in ramis crucis ſuſpendit. *O* Matth. 5. 8. *beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt!*

4. A novo ad vetus teſtamentum tranſitum faciamus. Olim Maria, ſoror Moyſis, nobilis Domina ac Virgo, inter omnes Hebræas Virgines chorum ducebat, cùm Pharao cum exercitu ſuo in profundo maris, & in cœno impuritatis abſorptus interiit, quæ tympanum pulſans, hilariter cantavit: Exod. 15. 20. *Cantemus Domino glorioſè.*

Verumenimverò longè eminentiori modo in nova gratiæ lege inter omnes Virgines chorum ducit intemerata ac glorioſiſſima Virgo MARIA. O quot millenæ, ac millenæ Virgines, cognitâ hujus mundi immundi vanitate,

Digitized by Google

nitate, etiamnum in religioſis parthenonis latebris ſe abdunt, viventesque mortuæ ſunt, ut in SS. CORDE JESU æternùm vivant; quarum tu, ô beatiſſima! omnium Dux & Magiſtra fuiſti, vivumque ſpeculum, quod Sacerdotes, Religioſi ac Sanctimoniales omnes, imò & ſæculares pro ratione ſtatûs ſibi ob oculos ponant, ac imitentur pro viribus: *Sit vobis*, ſunt verba S. Ambroſii, *tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beatæ MARIÆ, de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis: hinc ſumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt*, &c. S. Ambroſ. de Virg. lib. 2.

5. Et quid dico ulteriùs de te, ô innocentiſſima Domina? *Virgo & Mater! Mater & Virgo!* ita te appellare ſolebat S. Philippus Nerius; & quid dico? Tu es illud *vas electionis*, non tantùm cum Apoſtolo SS. Nomen JESU portans coram gentibus, ſed ipſum quoque vitæ autorem in te continens. Tu es aula illa magnifica, ac ſplendidiſſimum Imperatoris æterni palatium, in quo DEO complacuit habitare cum hominibus. Tu es illa civitas DEI, cujus decorem, cùm in ſpiritu prævidiſſet vates ille Regius admirabundus exclamavit: *Glorioſa dicta ſunt de te civitas DEI.* Tu es fons ille Jacob, & puteus altiſſimus, ad quem mulier Samaritana, hoc eſt, anima peccatrix, aquam vivam & ſalientem in vitam æternam cum gaudio haurire ſolet. Tu es iris illa in circuitu throni, mitigans iram DEI in throno judiciali ſedentis. Tu es Natatoria illa Siloë, ad quam à Chriſto cœcus ille natus miſſus eſt, ut lumen oculorum reciperet. Tu denique, ô Sacratiſſima & intemerata Virgo, mare es inexhauſtum, omniumque gratiarum Oceanus, cui fecit Dominus magna, qui potens eſt, quia ſunt inexplicabilia illa dona ac bona, quæ tibi contulit SS. Trinitas: *O raptrix cordium*, exclamat Mellifluus Bernhardus, *quando mihi reſtitues cor meum?* O puriſſima Virgo, quis ſatis laudet te? Act. 9. 15. Pſal. 86. 2. Joan. 4. 14. Apoc. 4. 3. Joan. 9. 7. S. Bernh. medit. ſup. Salve Reg.

Pulchra erat illa Eſther, Aſſuero potentiſſimo Perſarum Regi in Sponſam præſentata, de qua Scriptura commemorat: *Erat Eſther formoſa valde, & incredibili pulchritudine omniúmque oculis gratioſa & amabilis videbatur.* Pulchra Rebecca Bathuelis filia, de qua ſacræ litteræ: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro.* Pulchra Juditha, quam cum vidiſſent Aſſyrii, *ſtupentes mirati ſunt nimis pulchritudinem ejus.* Pulchra Sara, ad quam Abraham maritus: *Novi, quòd pulchra ſis mulier, & quòd cùm viderint te Ægyptii, dicturi ſunt: Uxor ipſius eſt: & interficient me, & te reſervabunt; dic ergo, obſecro, quòd ſoror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Pulchræ filiæ Job: *Non ſunt inventæ mulieres ſpecioſæ, ſicut filiæ Job in univerſa terra.* Sed tu, ô beatiſſima Virgo, propter innocentiam & humilitatem CORDIS tui ſupergreſſa es univerſas; viderunt te filiæ Sion, & beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ lau- Eſther. 2. 15. Gen. 24. 16. Judith. 10. 7. Gen. 12. 11. Job. 42. 15.



Digitized by Google

Cant. 1. 14. S. Bernh. cit. à Cornel. hic. daverunt te; proinde meritò à Spiritu Sancto in ſacro epithalamio bis pulchra appellata es: *Ecce, tu pulchra es, amica mea; ecce, tu pulchra es.* Pulchra, ſubintrat hìc S. Bernhardus, propter ſummam innocentiam, & pulchra propter ſummam humilitatem,& ideò concupivit Rex decorem tuum,quia humilitatem innocentiæ & virginitati ſociâſti.

O caſtæ! ô continentes animæ! O Virgines DEO ſacratæ! nunc ad vos cum S. Cypriano Epiſcopo & Martyre mihi ſermo eſt: Verum eſt: *Flos eſtis vos Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, DEI imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti,* &c. Sed advertite, quod Divus Chryſoſtomus prudentiſſimè monet: *Virgo à bello nunquam ceſſare poteſt,* ſemper hìc pugnandum, ſemper contra ſenſuales appetitus luctandum erit: *Virginitatis cuſtos,* ait idem Os Aureum,fuga & ſucceſſio; addamus nos: Oratio fervens & jejunium, fortitudo animi,Chriſti Crucifixi contemplatio, labor,& quinque ſenſuum aſſidua mortificatio: *Qui ſunt Chriſti,* ait Apoſtolus: *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Audis hoc?

S. Cyprian. de diſciplina & habitu Virginum. S. Chryſoſt. Tom 5. hom. 9. de pœnit. Gal. 5. 24.

Fab. in feſt. S. Steph. Protom. 6. De Romanis potentiſſimis illis terrarum domitoribus recenſent varii Scriptores, quòd pro menſura meritorum athletis ac victoribus ſuis diverſas diſtribuerint coronas. Illos,qui cum hoſte imperii in campo generosè decertabant, coronâ caſtrenſi donârunt; qui primi in aſſultu murum conſcendebant, coronâ murali; qui cives conſervabant, coronâ civicâ; qui claſſem hoſtilem in mari debellabant, corona navali; & qui denique inimicum exercitum usque ad internecionem delebant,coronâ triumphali & aureâ inſigniebant.

Hunc modum,ut ita dicam, obſervat DEUS, Regum Dominus, & juſtus Judex,cum Chriſtianis ac fidelibus,dum pro qualitate meritorum illis diverſas decernit,ac diſtribuit coronas,auream quidem omnibus, tanquam præmium eſſentiale, juxta illud: *Coronam auream ſupra mitram ejus, expreſſam ſigno ſanctitatis, gloriæ & honoris, & opus fortitudinis;* aureolam autem (quod eſt ſingulare præmium accidentale) tantùm privilegiatis quibusdam perſonis,quæ peculiari virtute eam in vivis meruêre; in cœleſti gloria reſervat; tales ſunt invictiſſimi Martyres,qui ob arduam & cruentam pugnam, pro fide & Chriſto dimicatam,ſingulari aureolâ potiuntur; Sancti verò Eccleſiæ Doctores & Prædicatores,quia docuerunt,& ſic fecerunt, parem aureolam aſſequuntur; & quia ſacræ Virgines in quotidiano & periculoſo corporis & animæ duello carnem ſuam per aſſiduam mortificationem & gratiam Divinam aſſiſtentem,edomârunt,ideò tertiâ & æquè pretioſâ à Chriſto Sponſo donantur aureolâ, Agnumque ſequuntur, quocunque ierit: *O*

Eccl. 45. 14. Sap. 4. 1.

*quàm*

Digitized by Google

*quàm pulchra eſt* ergo *caſta generatio cum claritate: immortalis eſt enim memoria ejus, quoniam & apud Deum nota eſt, & apud homines.*


Eja agite, animæ Chriſtianæ! adhortor vos omnes in Chriſto JESU, ut hanc gratiam, & ſalutarem doctrinam non in vacuum recipiatis, attendite & conſiderate, quòd Chriſtus ipſe Virgo non niſi à Virgine naſci, & à ſimili Patre Nutricio ſuſtentari voluerit: *Et erat ſubditus illis;* atque in cruce Luc. 2. 51. tandem moriens, tanquam *paſcens* etiam tunc *inter lilia*, hoc eſt, Doloroſam Matrem inter & Joannem, nobiliſſimam animam exſpirârit. Et ſi illi, qui in hoc ſæculo caſtè vivunt, juxta veritatis oraculum, *ſimiles ſunt Angelis* Matth. 22. 30. *DEI in cælo;* quis, obſecro, non omnibus allaboret viribus, ut ad hanc immarceſſibilem coronam & gloriam poſſit pervenire? Eliam zeloſiſſimum Prophetarum vita caſta in curru igneo ad paradiſum transvexit: *Aſcendit* 4. Reg. 2. 11. *Elias per turbinem in cælum*, Eliſæum diſcipulum ejus, quia caſtè vixit, integer Angelorum exercitus defendit: *Ecce, mons plenus equorum, & curruum* 4. Reg. 6. 17. *igneorum in circuitu Eliſæi.* Tres pueros Hebræorum in fornace Babylonica in medio ignis illæſos conſervavit vita continens: *Non tetigit eos omnino* Dan. 3. 50. *ignis, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit.* S. Clara, quia Virgo permanſit, Aſſiſium ab arctiſſima Saracenorum obſidione liberavit. S. Agnes Virgo in medio ignis illæſa perſtitit. S. Luciæ Virgini morienti Angeli accingebant: *O Sponſa Chriſti, ô columna immobilis, veni, omnes cælicolæ adventum tuum præſtolantur, ut à JESU Chriſto coronam gloriæ accipias.* Si vis, anime mi, ſimilem coronam, certa ſimilem pugnam.

Brev. Rom. 12. Auguſt. Id. 21. Jan. Idem. 13. Decembr.

CON-

# CONSIDERATIO VIII.

## B. Virgo Doloroſa à *SS.* Trinitate ob ſummam Cordis humilitatem in dignam Deiparentem eligitur.




Et divites dmiſit inanes.
*Luc.* 1. 53.

1. ASſuerus potentiſſimus Perſarum Rex, ac centum, & viginti ſeptem provinciarum Dominus, ubi Vaſthi Reginam ob ſuperbiam repudiavit, ſibi exinde ſpecioſiſſimas puellas & formoſiſſimas virgines in diverſis regni ſui partibus inquiri juſſit, inter quas omnes ob raram & eminentem formæ, morumque gratiam ſolam Eſther

Eſther 2. 15. in Reginam ſibi ſelegit: *Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa*, &c.

Diu

Digitized by Google

Diu & jam à mundi primordio Spiritus Sanctus ex omnibus hujus mundi puellis ac virginibus unam ſibi in Sponſam & dignam Filii DEI Matrem quæſierat, inter quas prima fronte ipſi oblata eſt Eva, *cunctorum viventium Mater*, ſed noluit eam Spiritus Sanctus in DEI Genitricem eligere, ut illa vitam pareret, quæ mortem in orbem per ſerpentis aſtum invexerat: *Dimiſit inanem.* Gen. 3. 20.

Præſentabatur exinde Divinæ Majeſtati Sara, Virgo longè formoſiſſima, de qua Abraham: *Novi, quòd pulchra ſis mulier, dic ergo, obſecro te, quòd ſoror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Sed quia hæc DEO diffidebat, & ſpecioſè Angelis mentita eſt: *Negavit Sara dicens: Non riſi*, &c. Hinc meritò à tam excelſa dignitate repulſa eſt: *Dimiſit inanem.* Gen. 12. 11. Gen. 18. 15.

Offerebatur poſt hanc Rebecca, puella eximiâ præſtans & animi & corporis pulchritudine; ſed quia non ſine dolo cum Iſaac marito ſuo cœco & moribundo egit, cúmque inſigniter decepit, dum ſpreto Eſau primogenito, Jacobo filio natu minori ſupremam patris benedictionem impetravit, idcirco & ipſa ab hac dignitate rejecta eſt: *Dimiſit inanem.* Gen. 27. 18.

Venit poſt hanc in deliberationem in Divino Conſiſtorio elegantiſſima Rachel, pro qua Jacob quatuordecim annis ſtudio planè indefeſſo inſervit; verùm quia hæc aurea patris ſui Labani idola furata eſt: *Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli*, &c. proinde non digna extitit, ut ſupremum hunc dignitatis apicem conſcenderet, & Mater DEI eligeretur: *Dimiſit inanem.* Gen. 31. 34

Quid dico de Judit, ſanctâ illâ & omnibus ſæculis celebratiſſimâ Heroinâ, quæ ſingulari prudentiâ, & plùs quàm virili animi fortitudine impium Aſſyriorum Principis Holoferni caput reſecuit, & ita patriam ac regionem univerſam ab excidio & interitu liberavit? Verùm nec iſta digna cenſa eſt, ut ad hanc ſupremam Divinæ Maternitatis excellentiam perveniret, quia valdè ſubdolè mentita eſt, & inſuper homicidium commiſit, unde irregularis facta eſt: *Dimiſit inanem.* Judith. 13. 10.

Providebat denique Divinum Numen, cui omnia jam ab æterno, ſicut nunc in tempore, erant præſentia, alias nobiliſſimas virgines ac puellas incredibili & virtutum & corporis venuſtate præditas, ut Suſannam, Abigail, Delboram, Jahel, &c. & in novo Teſtamento Theclam, Catharinam, Cæciliam, Dorotheam, & innumeras alias; verùm nec iſtæ, nec aliæ è tota fœminarum maſſa ſelectæ divinis oculis placuêre, ut in dignam DEI Matrem eligerentur, quia nulla ſine aliquo defectu fuit. Et ecce tandem deducitur in templum ipſum animatum Spiritûs Sancti templum MARIA, annis quidem trimula, ſed meritis ac virtutibus jam gravida, quam mox cœleſtis Pater in Filiam, Filius DEI in Matrem,

SpiritusSanctus in Sponſam & omnes Angeli in ſuam adoptârunt Reginam. O prodigium! & cur, obſecro, unica & ſola hæc puella ex omnibus mulieribus in dignam Filii DEI Parentem electa eſt? Cur cæteras omnes *dimiſit inanes!*

Luc. 1. 45. S. Ildephonſ. Serm. 2. de Aſſumpt. B. Virg. Audi ipſam loquentem: *Reſpexit*, inquit, *humilitatem ancilæ ſuæ*; ſupra quod pulcherrimè S. Ildephonſus: *Mirâ devotione*, inquit *plena vox, qua dicitur: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: non enim ait, quia reſpexit virginitatem meam, aut innocentiam, aut aliam quarumlibet virtutum gratiam; ſed ſolam humilitatem ſuam reſpexiſſe Dominum humiliter fatetur*: &c.

S. Bern. de prec. ad glorioſam V. Mariam. Ex quo patet, quanti meriti ac virtutis apud DEUM exiſtat cor verè humile: *Nunquam*, ait Mellifluus de hac humili ancilla Domini, *ſuper omnes Angelos glorificata aſcendiſſes; niſi priùs infra omnes homines humiliata deſcendiſſes.* In quem finem Genium quendam ſtatuimus, ventilabrum, ſeu vannum in area agitantem, ex quo grana inania, feſtucæ & paleæ excutiuntur, ac Luc. 1. 53. ſeparantur, meliora autem in penum ſervantur, cum Lemmate ex Mariano Cantico mutuato:

## Dimittit inanes.

2. Olim inter Eruditos hæc pulcherrima ventilabatur quæſtio, quid in hoc mundo & maximum & minimum exiſtat? Aliqui ſolem mundi oculum & aſtrorum Sereniſſimum Principem & maximum & minimum autumabant; maximum, quia juxta communiſſimam Aſtrologorum ſententiam centies & ſexagies major eſt universâ terrâ; minimum, quia intra exiguam ſphæram pupillæ oculi includitur. Alii maximum & minimum pupillam oculi judicabant, quæ, licet ſit minutiſſima, & vix quantitatem puncti excedat, nihilominùs usque ad cæli ambitum & firmamenti concavum ſeſe ef-

Jacob. 3. 6. fert. Alii maximum & minimum cum S. Jacobo in ſua Canonica Epiſtola linguam humanam eſſe aſſerunt, *quæ quidem modicum membrum eſt, ſed magna exaltat.* Alii cor hominis, quod licet exigua hominis portio exiſtat, tamen per orbem non impletur: *Parvum eſt cor*, ait Hugo à S. Victore, *ſed magna capit; vix ad unius milvi refectionem ſufficere poteſt, & totus mundus ei non ſufficit*; Alexandrum Magnum conſule, de quo Poëta: *Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.* Ne defuerunt, qui SS. Euchariſtiam & maximum & minimum eſſe dicebant, cui nonnemo pro Lemmate inſcripſit: *Maximus in minimo.*

Hugo à S. Vict. lib. 3. de anima. cap. 41.

Si mihi licet opinionem meam in apricum proferre, dico, quòd B. Virgo omnium maximum & minimum appellari poſſit: Maximum, quia ipſum maximum DEUM, quem cæli & terra capere non poſſunt, ſuo gremio con-

Luc. 1. 45. cluſit; minimum: *Quia reſpexit*, inquit ipſa, *humilitatem ancillæ ſuæ*; Cornelius legit: *Vilitatem*; alii ex Hebræo: *Reſpexit annihilationem ancillæ ſuæ*;

quid

Digitized by Google

quid autem minus, quàm nihilum? Et dicite, quænam major Sympathia
extitit, quàm Chriſtum inter & SS. ejus Parentem, cui illa pro Patre & Matre 1. Cor. 12. 26.
fuit? Nunquid *uno membro patiente, compatiuntur & cætera?* Nunquid Vir- Gen. 2. 23.
go dicere poterat: *Hoc os ex oſſibus mëis, & caro de carne mea?* Si ergo par-
tus ſequitur ventrem, non miror amplius, quòd Chriſtus DEI & MARIÆ Matth. 11. 29.
Filius adeò factus ſit humilis, ut omnibus ſe ſequacibus pro prima lectione S. Auguſt.
proponeret: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*, quia hanc ſum- Serm. 2. de Aſſumpt.
mam humilitatem, ut ita dicam, à pientiſſima ſua Matre hæreditavit, cui Vir-
gini nihil magis cordi fuit, quàm humilitas. Audi S. Auguſtinum: *O vera
humilitas*, inquit, *quæ DEUM hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos
innovavit, mundum purificavit, paradiſum aperuit, & hominum animas liberavit;
facta eſt MARIÆ humilitas ſcala cæleſtis, per quam DEUS deſcendit ad terras.
Quid enim eſt dicere: Reſpexit, niſi approbavit? Multi enim videntur in conſpe-
ctu hominum humiles eſſe ſed eorum humilitas à Domino non reſpicitur, ſi enim ve-
raciter humiles eſſent, deinde ſe ab hominibus non laudari vellent; non in hoc mundo,
ſed in DEO ſpiritus eorum exultaret.* Hæc S. Auguſtinus.

3. Progrediamur ulteriùs. Inquirunt SS. Patres cauſam, quare in ve-
teri Teſtamento toties à Spiritu Sancto, B. Virgo, ex qua ſuo tempore Chri-
ſtus, orbis Redemptor, naſciturus erat, viliſſimo terræ elemento quod om-
nium pedibus proteritur, fuerit aſſimilata? Ita Iſaias, Prophetarum Prin-
ceps, Chriſti in carne adventum ardentiſſimis votis præſtolabatur: *Aperia-* Iſa. 45. 8.
*tur terra, & germinet Salvatorem*, &c. Ita & Vates Regius: *Veritas de ter-* Pſal. 84. 12.
*ra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit;* hoc eſt, illa veritas, quæ de ſe ipſa ait:
*Ego ſum Via, Veritas & Vita*; & in alio loco idem Propheta Regius: *Ete-* Joan 14. 6.
*nim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*; hoc eſt, Pſal. 84. 14.
Benedictum fructum ventris ſui JESUM. Miraberis in hoc, prudens
Lector, quare B. Virgo toties cum terra fuerit comparata; an forte defue-
runt Spiritui Sancto aliæ figuræ, & comparationes, quibus SS. Deiparam
mundo in umbra manifeſtaret?

Reſpondet ad quæſtionem Hugo à S. Victore: *Dicitur*, inquit, *terra* Hugo à S.
*propter ſuam humilitatem, terra enim eſt humilius elementum*; quid autem hu- Vict. l. 4. de
milius DEI Matre? de qua ad amuſſim illud Veritatis adimpletum eſt: *Re-* Proprietati-
*cumbe in noviſſimo loco*; ſciebat nimirum, Filium ſuum futurum *noviſſimum* bus & Epi-
*virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem*, &c. Unde voluit & ipſa thetis re-
eſſe noviſſima & indigniſſima omnium creaturam, dum ſeſe per omnem rum. cap. 2.
vitam infra omnes creaturas in hoc mundo humiliavit. Vis probam? Luc. 14. 10. Iſa. 53. 3.

4. Salutatur hæc alma Virgo ab Archangelo: *Ave gratia plena*; quid Luc. 1. 29.
ad hoc MARIA? *Turbata eſt in ſermone ejus*; cur turbata? Reſpondet Oliva l. 4.
Oliva: *Regni Davidici nomen exhorruit, comitatu contenta fabri; & niſi ex* Strom. §. Multipli-

cabo ſemen tuum. *verbis Angeli conjectâſſet, non temporalem fore Principem, cujus Regni finis non futurus prædicabatur; audeo dicere, abdicaſſet verbum, ne à vilitate abdicaretur.* Penſabat enim intra ſe, prout hic pereleganter obſervat Cornelius: Ego mihi videor indiga omnis gratiæ, quomodo ergo me Angelus appellat *gratiâ plenam*? Ego paupercula cum pauperibus hic dego, & converſor virginibus, quomodo ergo Angelus mihi dicit, *Dominus tecum?* Ego æſtimo me fœminarum omnium minimam & viliſſimam, quomodo ergo Angelus mihi inſonat, *Benedicta tu in mulieribus*? En profundiſſimam Virgineæ Matris humilitatem.

Paulò poſt advertit S. Joſephus virginem eſſe gravidam, qui rei novitate attonitus in varios animi motus rapiebatur. Quid ſibi vult iſte uteri tumor? Scio illam Virginem eſſe ſanctiſſimam, unde ergo gravida eſt? Et quia myſterium capere non poterat, nec eam volebat traducere, quia vir
Matth. 1. 19. juſtus erat, hinc ſe reſolvit; *occultè dimittere eam*? Et cur, obſecro, B. Virgo hoc arcaniſſimum Divinæ Bonitatis prodigium ſanctiſſimo Sponſo ſuo
Cornel. hic in Matth. non revelavit? Reſpondet Cornelius: *B. Virgo ex modeſtia noluit ultro ſecretum hoc Divinum Joſepho pandere, ne ſua dona tanta & tam Divina jactare videretur, ſed DEO, Deique providentiæ & curæ, cujus totum hoc opus erat, id ipſum reſignavit, cretiſſimè confidens, DEUM ſuam innocentiam & famam tutaturum*, &c.

Luc. 2. 7. Advenit tandem poſt novem menſium periodum tempus pariendi: *Et peperit Filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in prſepio, quia non erat eis locus in diverſorio.* O pæientiſſima Domina! cur non in domo Zachariæ permanſiſti? Vel in Domo piſcinæ probaticæ tuorum SS. Parentum partûs tui adventum præſtolata es? Adverte anime mi! ſciebat bene humilis illa ancilla Domini, Chriſtum Filium ſuum humilitatis & paupertatis fore amantiſſimum, hinc non aliquod palatium, ſed viliſſimum antrum & brutorum ſtabulum elegit, quaſi ab omni hominum
Richard. à S. Laur. l. 4. cætu rejecta: *Exinanivit ſe*, ait Richardus à S. Laurentio, *exemplo Filii ſui, formam ancillæ ſuſcipiens*: &c.

5: Et quid dico? ô cœli obſtupeſcite! hæc ac tanta Mater ab omni
Luc. 2. 22. originalis & actualis peccati labe libera, omnibúſque gratiæ donis ſupra omnes Sanctos ornatiſſima tam ſubmiſsè de ſe ſentiebat, ut quo profundiùs ſeſe demitteret, non inveniret, hinc etiam cum immundis puerperio fœminis, quaſi una vel viliſſima ex illis eſſet, & ſimili purificatione indigeret, in templo purificandam ſe ſtitit. Lege Evangelium & Acta Apoſtolorum, & invenies, quòd hæc SS. Deipara nulli unquam creaturæ ſe præpoſuerit; hinc invento, quem per triduum amiſerat, in templo Filio, dixiſſe fertur:
Luc. 2. 48. *Ecce, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*; ubi notandum, quòd priùs Patrem, licet tantùm nutritium, & exinde ſe, velut Matrem indignam, nominave-

Digitized by Google

naverit. Et in Actis in conſeſſu centum viginti perſonarum, Spiritum Sanctum exſpectantium, inter omnes ultimatò nominari voluit, imò & ultima, prout obſervat S. Bernhardus, inter omnes ſedit. Actor. 1. 14.

Et ſi ulteriùs lubet progredi; heu quantùm humiliata eſt hæc SS. Virgo in paſſione Unigeniti ſui? De Filio dicitur: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem*, dum etiam Barrabbæ homicidæ ſceleratiſſimo, & in cruce duobus famoſiſſimis latronibus poſtponi voluit; quænam, obſecro, major humilitas in Filio DEI poterat inveniri? ita & SS. Virgo, atteſtante Mellifluo omni creaturæ poſthaberi voluit; unde ſtans juxta crucem in medio carnificum, lictorum & petulantiſſimorum homuncionum, omnia opprobria, convicia & maledicta, Filio Crucifixo & ſibi illata, patientiſſimè toleravit: *Certè*, ſunt verba S. Bernhardi, *MARIA humilita eſt præ omnibus, quapropter meritò facta eſt noviſſima prima*; Et ſicut Filius ejus factus eſt vir dolorum ac noviſſimus virorum, ſic B. Virgo facta eſt noviſſima mulierum. Phil. 2. 8. S. Bern. Serm. Sig. Magnum.

6. O bone JESU! ô MARIA! ubi noſtra humilitas eſt? Ah quorſum devenit humilitas noſtra? Volumus eſſe humiles, ſed ſine deſpectione; patientes, ſed ſine tribulatione; obedientes, ſed ſine coarctatione; pauperes, ſed ſine defectu; virtuoſi, ſed ſine labore; caſti, ſed ſine mortificatione; pœnitentes, ſed ſine dolore; volumus laudari, ſed ſine virtute; amari, ſed ſine bonitate; honorari, ſed ſine ſanctitate: O quàm paradoxa ſunt iſta! ecce JESUS, Filius DEI & MARIÆ, factus eſt *vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*, verè vir dolorum & noviſſimus virorum, & SS. Mater ejus pariter facta eſt noviſſima mulierum, & præ omnibus mortalibus humiliata; & tu, ô mortalis homo! non homo, ſed cinis & pulvis, cœnum, imò nihilum, audeas te in aliquo efferre, & in vanitatibus tuis gloriari? Pavo, ſi turpes ſuos cernit, & conſiderat pedes, vehementer erubeſcit, ac mox ſtellatam deponit caudam; ô anime mi! ſi neque exempla JESU & MARIÆ movere te poſſunt; quomodo ſaltem te ad humilitatem non moveant tot tuæ miſeriæ, quibus ſubjaces? Tot defectus, quibus infectus es? Tot ſcelera & quotidiana peccata, quibus æternum gehennæ barathrum commeritus es? Humiliare igitur ſub potenti manu DEI, & audi rurſus Mellifluum, quid tibi in utramque aurem, imò ad cor tuum loquatur: *Noli*, inquit, *comparare te majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni; recumbe in noviſſimo loco, ut ſolus videlicet omnium noviſſimus ſedeas, teque nemini, non dico præponas, ſed nec comparare præſumas*: Audis hoc, anime mi? & bene audis? Pſal. 21. 21. 7. S. Bern. Serm. 37 in Cant.

7. Recordor pro coronide hujus Conſiderationis illius ancillæ ac puellæ parvulæ, quæ quondam de terra Iſraël per latrones in Regnum Syriæ tranſlata fuit, de qua recenſent Sacræ Paginæ, quòd Domino ſuo Naamo,

Principi prædiviti, ſed fœdiſſimâ leprâ infecto, cùm nullum huic morbo medendo remedium inveniſſet, hoc prudens ac ſaluberrimum ſuggeſſerit conſilium, ut, ſi ab illa deformi, & pernicioſa corporis lepra emundari diſcuperet, quantocyùs ad Elyſæum Prophetam, tum temporis intervallo in
4. Reg. 5. 9. Samaria commorantem, ſeſe conferret: *Quæ ait ad Dominam ſuam: utinam fuiſſet Dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria, profectò curâſſet eum à lepra, quam habet.* Ibat ille hortatu puellæ perſuaſus; & cùm in Jordanis flumine ad mandatum Eliſæi ſepties ſe abluiſſet: *Reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt.*

Per hunc Naamum putridâ infectum leprâ, rectè te intelliges, quicunque tandem es, amice Lector! per parvulum verò puellam, humilem illam ancillam & Matrem Chriſti, de qua Eccleſia: *Cùm eſſem parvula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui DEUM & hominem*; hæc, inquam, parvula propter ſummam humilitatem ſuam, quâ DEUM de cælo in terram ad ſe attraxerat, hoc tibi optimum, ac longè ſaluberrimum ſuggerit conſilium: Si vis mundari, vade ad Eliſæum, hoc eſt ad Filium meum, Chriſtum JESUM, & hunc Crucifixum, ibi in Jordane SS. Vulnerum ejus in animo contrito & verè humiliato lavare, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis à ſordidiſſima lepra occultæ ſuperbiæ & arrogantiæ tuæ, quæ hactenus
S. Aug. de agone Chriſtiano c. 11. velut lepra tibi, etiam fortaſſe ignoranti, adhæſit: *Quæ ſuperbia*, ſubintrat hîc demum Præſul Africanus & Doctorum Phœnix Auguſtinus, *quæ ſuperbia ſanari poteſt, ſi humilitate Filii DEI non ſanatur?*

Agite igitur, quicunque tandem eſtis, ô mortales! via enim in cælum
Jacob. 4. 6. arcta eſt, porta cæli anguſta, quomodo ergo illuc intare poterit ſuperbus, quem DEUS pati non poteſt? *DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Ita ſuperbiam Protoplaſtorum è paradiſo eliminavit; Angelos ſuperbos de cælo in tartarum fulminavit; Goliathum ſilice proſtravit; Aman in infami ligno humiliavit; Nicanorem, Sennacherib & Herodem ob ſuperbiam proculcavit, &c. & in novo Teſtamento irrefragabili lege ſanci-
Matth. 18. 3. vit: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quid ita-
1. Petr. 5. 6. que conſilii? Audite S. Petrum: *Humiliamini igitur ſub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* Quam gratiam nobis largiatur DEUS per interceſſionem humilis Ancillæ & Matris CHRISTI.

CON-

# CONSIDERATIO IX.

## B. Virgo Doloroſa nunc nubilis ex ſingulari providentia DEI cum S. Joſepho deſponſatur.




Cùm eſſet deſponſata Mater ejus MARIA Joſeph. *Matth.* 1.18.

1. BEnedictus DEUS, qui diſponit omnia ſuaviter in finem; cùm olim in veteri Lege dilectæ ſuæ Synagogæ de Sponſo digno providere vellet, Moyſi Hebræorum Duci mandavit, quatenus duodecim virgas, ſeu ſcipiones à duodecim tribuum Principibus acciperet, easque in Sancto Sanctorum juxta Arcam Fœderis collocaret, cujus exinde ſicca & arida virga altero poſt die inventa fuerit reviviſcens, ſuóſque progerminans fructus, illam à DEO præfatæ Synagogæ Sponſum ac Pontificem deſignandum,

Num. 17. 8. dum. Et ecce ingens Divinæ potentiæ prodigium: *Sequenti die regeſſus* (Moyſes) *invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores.*

Non abſimili ſorte à Spiritu Sancto in digniſſimum B. Virginis ac Matris DEI MARIÆ Sponſum electus eſt ſanctus Joſephus de regia Davidis ſtirpe oriundus, & nunc Iſraelitici regni Hæres proximus, pauper tamen conditione, quia faber lignarius, ſed dives virtutibus, quia juſtus: Cùm enim Sacratiſſima Virgo MARIA hactenus in templo educata, nunc paulatim ad nubilem ætatem perveniſſet, eique cum aliis virginibus in templo commorantibus, à Pontifice Hebræorum more indicaretur, ut ad proprias ædes reverterentur, atque ad nuptias pro more legis & patriæ incundas ſeſe pararent, ſola hæc B. Virgo reſpondit, totam ſe DEO, ejusque obſequio eſſe mancipatam, eique perpetuam voviſſe virginitatem, ac proinde tali ſe non poſſe parere mandato. Res nova & inſolita hoc à Virgine reſponſum videbatur Pontifici, aliisque Sacerdotibus ad Feſtum encœniorum convenientibus, unde ſtatuerunt DEUM conſulere, ut, quid conſilii hac in re ſit capiendum, divinitùs dignaretur indicare. Et ecce cùm Pontifex ad conſulendum DEUM pro more acceſſit: *Nec mora*, ait S. Hieronymus, *cunctis audientibus de oracula, & de propitiatorii loco vox facta eſt, requirendum eſſe, cui Virgo illa commendari, & deſponſari deberet, cunctosque de domo David nuptiis habiles, non conjugatos, virgas ſuas allaturos ad altare, & cujus virga floreſceret, atque in ejus cacumine Spiritus Domini in ſpecie columbæ conſediſſet, eum eſſe, cui Virgo commendari & deſponſari deberet. Quod cùm in Joſephum feliciter cecidiſſet, liquidò omnibus patuit: Virginem ei deſponſandam fore, & ſic Divina ſorte, tanquam magis idoneus, Juſtus Joſeph fuit electus.*

S. Hieron. in Hiſt. de ortu Mariæ & alii.

Nos his caſtiſſimis Sponſis, ac novis Cunjugibus pro corpore Emblematis annulum pronubum & aureum adumbrari curavimus, in qua Divina Manus, è nube protenſa, pretioſam inſerit gemmam, cum hac gnoma ſuper annulum ſuſpenſa:

## Honori invicem.

Ita eſt; ſicut enim in annulo aurum exornat gemmam, & gemma viciſſim aurum, ita hi Sacratiſſimi Sponſi ſibi invicem erant honori, ambo enim erant Sanctiſſimi; ambo Virgines perpetuæ; ambo de regio Davidis ſtemmate editi, ambo moribus ſimillimi; & ambo à Spiritu Sanctô ad hoc opus grande electi, ut in genere redemptionis humanæ, Filio DEI fierent cooperatores &c. O ingens utriusque dignitas! *Sicut decuit*, ait doctiſſimus Gerſon, *ut tanta MARIA puritate niteret, quâ ſub DEO major nequit intelligi, ita decuit, ut S. Joſeph tantâ prærogativa polleret, quæ ſimilitudinem & convenientiam exprimeret talis Sponſi ad talem Sponſam.*

Gerſon. ſer. de Nat. Virg.

2. Quæ

Digitized by Google

2. Quæres hic, pie Lector, quænam cæremoniæ in hoc feliciſſimo ſponſalitio MARIAM inter & JOSEPHUM intercesſerint? Obſerva. Poſtquam B. V. divinitus edocta fuit, ita eſſe voluntatem Divinam, nullúmque in hoc ſacro conjugio virginitatis violendæ periculum adfuturum, liberè in ejusmodi matrimonium conſenſit; in quem finem à S. Joſepho, qui ejusmodi quoque tenendæ virginitatis propoſitum habebat, loco arrhæ ſponſali annulo donata fuit, quæ prima quondam inter Hebræos, dum matrimonii vinculo jungebantur, erat cæremonia; hinc Judas Patriarcha Thamari pro arrhabone annulum dediſſe legitur: *Ait Judas, quid vis pro arrhabone dari? Reſpondit, annulum tuum.* Cujus autem materiæ ille ſancti Joſephi annulus fuerit, diſtinctè cerni, & judicari non poteſt, qui ad hunc usque diem Peruſiæ Italiæ urbe in templo S. Laurentii religioſè & magna cum devòtione aſſervatur. Card. Baron. Annal. 1. anno 57. Gen. 38. 18.

Secunda cæremonia extitit, quâ SS. Virgo beato Joſepho deſponſata eſt, quòd idem Sponſus integerrimus pallium ſuum ſuper caſtiſſimam Sponſam ſuam palam extenderit, eamque pro more Hebræorum & patriæ cooperuerit, hæc enim communiſſima tunc temporum intervallo non apud Judæos duntaxat, verùm etiam apud Gentiles & Romanos vigebat conſuetudo. Conſule librum Geneſeos, ubi reperies, quòd Rebecca, puella formoſiſſima, nunc cum Iſaac deſponſanda pallio fuerit cooperta: *At illa tollens citò pallium operuit ſe.* Pari modo Ruth pauper illa Moabitis nunc cum divite Booz deſponſanda ab illo petiit: *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es*; per quam cæremoniam veteres inſinuabant, & fidelitatem ab uxore marito ſervandam, & à marito protectionem conjugi exhibendam; Lyranus addit: Sponſum ſolitum extremitatem pallii ſui ſuper Sponſam ponere, ut hoc geſtu ſignificaret, ſe eam in ſuam poteſtatem, & tutelam accipere. Geneſ. 24. 65. Ruth. 3. 9. Lyran. hîc.

Tertia cæremonia, quæ in his ſacris nuptiis obſervata fuit, erat, quòd S. Joſephus caſtiſſimæ Sponſæ ſuæ, & hæc viciſſim ſuo dilecto Sponſo, dexteram porrexerint, & ſtipulata manu coram Sacerdote & propinquis fidelitatem mutuam & conjugalem amorem promiſerint: quod non obſcurè ex libro Tobiæ licet colligere: *Et apprehendens* (Raguel) *dexteram filiæ ſuæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob vobiſcum ſit, & ipſe conjungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis. Et acceptâ chartâ fecerunt conſcriptionem conjugii, & poſt hæc epulati ſunt, benedicentes DEUM*, &c. Quis neget, omnia hæc in deſponſatione JOSEPHUM inter & MARIAM eſſe adimpleta? Non erat quidem hîc cernere magnum hominum comitatum præter paucos amicos, qui his SS. Conjugibus ex animo applaudebant; verùm innumeri advolabant Angeli, qui cœleſti concentu & aggratulatione hos SS. Conjuges venerati Tob. 7. 15.

ſunt, per quorum matrimonium illud magnum ac planè immenſum reſarciretur damnum, quod primi conjuges orbi in Paradiſo intulerunt: Et ſicut Adam & Eva ad perditionem noſtram comedendo fructum prohibitum, conſpirârunt, ſic illi cooperante Spiritu Sancto, & illibatâ virginitate permanente, per benedictum vitæ fructum, Chriſtum JESUM, omnia reſtaurarunt in integrum. O quantùm igitur obligati ſumus his ſanctiſſimis Conjugibus? (Geneſ. 3. 6.)

3. In hoc Sacratiſſimo Conjugio adimpletum fuit illud ſapientiſſimi Regis Solymæi vaticinium: *Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus; confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit, reddet ei bonum, & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ*, &c. (Prov. 30. 10.)

O ſancte Joſeph! tu eras ille vir tam felix, tamque fortunatus, qui hanc mulierem fortem inveniſti: *Fortem*, quia fortiſſimum DEUM, *cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis*, ad ſe de cœlo in terram, & usque in puriſſimum ſinum ac uterum ſuum trahet: *Fortem*, quia, quem cœli & terra capere non poterant, ſuo gremio conferet: *Fortem*, quia Heroina omnium fortiſſima, Princeps ac Regina cunctorū SS. Martyrū erit, dum recedentibus omnibus notis & amicis ipſa ſola ſub cruce patientis Filii omni rupe Marpeſiâ fortior, & conſtantior, inter tot decumanos tribulationum & perſecutionum fluctus ſtabit. *O gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata!* de qua inventa, ô S. Joſephe, vir integerrime, tibi ſoli poteris ex merito gratulari; proinde rectè cor tuum in illa ſola poſt DEUM poterit confidere, non enim indigebit ſpoliis alienis, quæ plena eſt gratiâ DEI, Sapientiâ & Spiritu, omnique virtutum & SS. meritis condecorata: *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea*; ſed reddit tibi bonum, & non malum, eò quòd virginitatis ſuæ eris in conjugio cuſtos, & teſtis in cœlo fidelis. (Num. 24. 8.; Eccl. 26. 19.; Eccl. 24. 16.)

Et pergit ſapiens: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Ex quibus cognoſces, prudens Lector, quomodo B. Virgo, nunc Sponſa S. Joſephi, utramque & contemplativam & activam vitam exactiſſimè ſemper in vita ſuâ conjunxerit, per lanam enim vita activa, & per linum ſubtile contemplativa repræſentatur; juvat hìc audire Epiphanium Sacerdotem Conſtantinopolitanum: *Et ipſa*, inquit, *B. Virgo docilis & amans doctrinam, & non ſolùm in Sacris Litteris, ſed etiam in lana, & lino, ſerio & byſſo laborabat. Erat præterea in ſapientia & intelligentia ſuper omnes illas ſæculi adoleſcentulas, cunctis admirationi, quæ & verè conficeres ea, quorum uſus in templo erat Sacerdotibus*, &c. Vide hìc, ac perpende, qualiter hæc SS. Virago & Martham, & Magdalenam pulcherrimè aſſociaverit. O diſcant hìc mortales omnes, præſertim animæ religioſæ, quomodo pro viribus hanc SS. Virginem in utraque vita poſſint imitari. (Epiph. in vita Virg.)

4. Quæris

Digitized by Google

4. Quæris hîc, prudens Lector, qua ætate hi cœleſtes Conjuges, MARIA & JOSEPHUS, conjugium inierint? Reſpondet communiſſima SS. Patrum ſententia, Sacratiſſimam Deiparam quarto decimo ætatis ſuæ anno jam expleto fuiſſe matrimonio traditam, S. Joſephum verò non ætate jam grandævum ac ſenilem (ut quidam autumant) ſed juvenem veniſſe, eumque trigeſimum, aut ad plurimum quadrageſimum annum non exceſſiſſe, ut adimpleretur illud Iſaiæ Prophetæ: *habitabit enim juvenis cum Virgine*, quem locum Viguerius, Lyranus, Cornelius & alii de S. JOSEPHO & MARIA explicant: *Habitabit*, inquit Cornelius à Lapide, *jucundiſſime & ſanctiſſimè juvenis Joſeph cum conjuge ſua Virgine MARIA Deipara*, &c. Iſa. 62. 5. Cornel. hîc.

Cæterùm finitâ hac cœleſti deſponſatione antiquiſſimorum ac graviſſimorum Patrum conſtans eſt aſſertio, beatiſſimam Virginem à ſanctiſſimo Marito ſuo Nazarethum fuiſſe deductam, ibique in propria parentum domo Angelicam vitam duxiſſe, & in officiis Marthæ occupatam, magno cordis ſolatio ſacras manus in viliſſimis & abjectiſſimis domûs miniſteriis fatigâſſe, ſanctum Joſephum verò pro more illius ævi adhuc per aliquot menſes vel in domo ſeparata, vel cognatorum conductâ, usque ad tempus à Patre definitum habitâſſe. Et ecce, cùm tertius jam menſis ageretur, ex quo hæc SS. Virgo S. Joſepho deſponſata fuerat (quæ deſponſatio 22. Januarii facta eſt) *Miſſus eſt Angelus Gabriel à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph de domo David, & nomen Virginis MARIA; & ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave*, &c. Abrumpo filum. S. Chryſoſt. hom. 4. in Matth. Evod. Niceph. l. 2. c. 3. Auctor imperfecti hom. 1. in Matth. &c. Luc. 1. 26.

Joſeph advertit, Sacratiſſimam Conjugem ſuam eſſe prægnantem, & in varios animi motus rapitur rei inſolitæ novitate attonitus. Credebat, & ſciebat Virginem illam eſſe illibatam, ac ſanctiſſimam, unde ergo (ita ſecum ratiocinabatur) gravida facta eſt? De adulterio in ædibus parentum commiſſo ſuſpicare non poſſum, & tamen prægnans eſt? An fortaſſe, dum cognatam ſuam Eliſabetham viſitavit, ab alio vim paſſa eſt? Neque hoc poſſum credere. Si autem hoc myſterium à DEO eſt, prout ambigere non poſſum, profectò indignus ego ſum, ut cum ipſa cohabitem, proinde illam relinquam, remque totam DEO committam; ſi David olim *timuit introducere arcam DEI in domum ſuam*, & quomodo ingredietur ad me hæc arca DEI animata? *Joſeph autem vir eius cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* O pientiſſima Virgo! Nunquid vidiſti, & conſiderâſti SS. Sponſum tuum de rei novitate attonitum, perplexum, dubitantem & anxium, & quare, obſecro, illi hoc myſterium omnium maximum, ex quo orbis pendebat ſalus, non indicâſti? 2. Reg. 6. Matth. 1. 19.

 5. Per-

Digitized by Google

5. Perpende hic, quæſo, anima Chriſtiana, mœrores & anguſtias SS. Cordis MARIÆ, cùm Sponſum ſuum dilectiſſimum cerneret ſic torqueri, ſic angi, neque ex ſingulari modeſtia & animi humilitate hoc ſecretum Divinæ Incarnationis ei pandere auderet; proinde rem totam DEO animitùs reſignavit, penitùs in illo confidens, quòd innocentiam ſuam ac famam in tempore opportuno eſſet tutaturus. O gladie Simeonis! ô mucro crudelis! ſi jam feris SS. Cor Virginis, ubi necdum à Sancto illo Sene prædictus eras, quid ages impoſterum? Et nunquid jam tunc pientiſſima Virgo cum Sponſa dicere poterat: *Nigra ſum - - - quia decoloravit me ſol* meis incluſus viſceribus?
Cant. 1. 4.

1. Cor. 10. 13. Sed *fidelis DEUS, qui non patitur nos tentare ſupra id, quod poſſumus, ſed facit cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere*; hic etiam opportuniſſimum remedium invenit; aderat enim, cùm Joſeph jam innocentiſſimam Sponſam ſuam cogitaret deſerere, derepente de cœlo Angelus: *Joſeph Fili David, noli timere accipere Mariam Conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt; pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus JESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* O quàm ſtupenda, quàm ingens erat hæc magni DEI pietas, qui per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitare nos voluit ex alto! ô quanta hæc ſeges meditationum nobis eſſe poteſt! diſcamus à SS. Deipara magnum in adverſis habere animum, atque in rebus etiam maximè arduis ſperare in DEUM: *Quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Diſcamus & manſuetudinem ab ea, ac ſummam animi humilitatem; ſiluit enim, neque excuſationem vel uno verbulo prætendit, cùm videret ſe de adulterio ſaltem aliquo modo ſuſpectam; ita nimirum etiam de hominibus ſanctiſſimis ſubinde ſiniſtram fert mundus ſententiam; & ſi hoc tibi fortaſſe impoſterùm continget, ſile, & totum te DEO committe. Diſcamus & patientiam, cùm enim SS. Virgo ſuam iñocentiam facilè purgare potuiſſet, noluit tamen ſecretum DEI, quod ipſi ſoli in cubili revelatum erat, revelare, & ſic ſeipſam commendare, ſed Divinæ voluntati omnia etiam ad quamcunque ſui confuſionem commiſit, &c. Diſcamus & de S. Joſepho ſingularem animi prudentiam, qui in hac graviſſima dubitatione nihil ex repentino animi motu egit, nihil ſtatuit, nihil concluſit, neque Sponſam apud alios etiam fidiſſimos amicos traduxit, ſed abſque aſſenſu judicium ſuſpendit, DEI ordinationi omnia conſignans; proinde meruit hanc ab Angelo conſolationem: *Joſeph Fili David, noli timere*, &c. *O verè fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum in terris magni conſilii coadjutorem fideliſſimum!* verè vir ſecundùm Cor DEI, quem enim tot Reges & Prophetæ tot ardentibus videre cupiebant votis, tu non vidiſti tantùm, ſed etiam quotidie audire, amplecti, manibus portare, pectori adſtringere, oſculari, nutrire, cuſtodi-

Matth. 1. 20. Eccl. 2. 11. S. Bernh. hom. 2. ſup. miſſus eſt.

ſtodire, ac gubernare potuiſti: *Cui enim aliquando Angelorum dixit DEUS. Pater meus es tu?* Habr. 1. 5.

6. Olim præcepit DEUS, ut ſuper propitiatorium duo aurei Cherubim conſtituerentur, quorum unus alterum reſpiceret: *Facies propitiatorium de auro mundiſſimo --- Duos quoque Cherubim aureos --- Reſpiciantque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium.* Ex. 25. 17. Per hoc propitiatorium Chriſtum JESUM ſubaudi, quia *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris;* per duos verò Cherubinos aureos verſis in propitiatorium vultibus reſpicientes rectè B. Virgo MARIA & S. JOSEPHUS adumbrati ſunt, quos DEUS Pater peculiari modo ſelegit, ut dilectiſſimo Filio ſuo, *quem poſuit propitiationem,* in terris aſſiſterent, & Diviniſſimorum miniſteriorum fierent participes, &c. 1. Joan. 2. 2.

Jacob Patriarcha dilecto quondam filio Joſepho ſpecialem benedictionem & hæreditatem reliquit: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Geneſ. 48. 22 Erat autem hæc pars ager quidam feliciſſimus, quem Jacob priùs in Sichem pecuniâ coëmerat, ſed quia illum Ammorrhæi poſt cladem Sichemenſem occupârant, illum Jacob à poſſeſſione in gladio & arcu expulit, ac tandem Joſepho filio in ſingularem paterni amoris teſſeram donavit. O S. Joſephe, Chriſti Pater nutritie! tibi longè meliorem partem ac fertiliorem agrum pro tua benedictione & hæreditate aſſignavit DEUS Pater, quem in fortitudine brachii ſui de manu Ammorrhæi, id eſt, diaboli, ſemper ſervavit immunem; ager ille B. Virgo MARIA, dilectiſſima tua Sponſa fuit: *Ager plenus,* inquit S. Bonaventura, *cui benedixit Dominus,* in quo, & ex quo virgineo agro, Spiritu Sancto cooperante, natum eſt illud electum frumenti granum, pro omnium ſalute in cruce & paſſione mortificandum: *Ipſe Dominus,* ait S. Auguſtinus, *erat granum mortificandum & multiplicandum,* &c. cui ſit omnis honor & gloria, &c. S. Bonav. in carmine Virginis. S. Aug. Tr. 51. in Joan.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO X.

## B. Virgo Doloroſa ab Angelo gratia plena denuntiatur, unde & nobis à DEO gratiam poterit impetrare.




**Ave gratia plena.**

*Luc.* 1. 28.

1. SIcut ſol eſt fons luminis, imò ipſa plenitudo lucis, à quo cætera cæli ſidera ſuam lucem participant; ſic Diviniſſimum COR JESU eſt verus fons lucis, ac principium univerſale, à quo omnes gratiæ, velut radii, in genus humanum derivantur, ac transfunduntur; neque ullus gratiæ effectus in aliqua creatura reperiri poteſt, quem non promeruit hoc Sacratiſſimum COR JESU, unde Apoſtolus: *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*; & dilectus Chriſti diſcipulus: *De plenitudine ejus omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, &c.

Col. 1. 19. Joan. 1. 16.

Huic

Digitized by Google

Huic myſtico & Divino juſtitiæ Soli quàm proximè accedit B. Virgo MARIA, in cujus Sacratiſſimum Cor & animam ex ſpeciali prærogativa ob dignitatem Matris DEI omnis plenitudo gratiarum transfuſa eſt, unde ipſa ait: *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis;* hinc & ab Angelo ſalutatur: *Gratiâ plena, & in tantum plena,* ait Richardus à S. Laurentio, *ut ex tuo redundante totus hauriat mundus.* Et S. Bernhardus, *Plena ſibi, ſuperplena nobis, & de plenitudine ejus omnes accepimus.* Proinde pro Symbolo noſtro rectè lunam plenam, & perfectam ſtatuimus; ſicut enim luna plena dominatur terræ, & obſcuram noctis caliginem adeò illuminare aſſolet, ut homines in ea videre, iter peragere, ac res ſuas perficere poſſint, haud ſecus ac ſi dies eſſet; ita B. Virgo, quam S. Ephrem *lumen totius orbis* appellat, terrigenis, & in nocte hujus ſæculi errantibus clarâ gratiârum luce præfulget, unde lemma:

Eccl. 24. 25.
Richard à S. Laur. lib. 1. cap. 4.
S. Bernh. ſerm. de Aquæduct.
S. Ephrem. de Laud. Virg.

## Plena ſibi ac aliis.

Ita eſt, ô Beatiſſima! verè gratiâ plena es, non tibi tantùm, quia *inveniſti gratiam apud DEUM,* ſed & nobis miſellis, pro quibus interveniſti; ita Lyranus: *inveniſti gratiam,* inquit, *non ſolùm pro te; ſed etiam pro toto humano genere.* Hinc Regius Vates, cùm in ſpiritu prævidiſſet, Filium DEI ex hac intemerata Virgine incarnandum, ſtupore plenus exclamavit: *Inclinavit cœlos & deſcendit,* &c. ſupra quod peraccommodè ad noſtrum conceptum obſervat Hugo Cardinalis, quòd DEUS jam priùs, hoc eſt, in primo animationis hujus Virginis inſtanti omnes paradiſi theſauros in Cor ejus effuderit; verùm cùm ipſe de ſinu Patris in hanc terram ad redimendum humanum genus deſcendit, tunc ait Hugo: *Inclinavit cœlos ſicut vas, ut totum effunderet in Cor MARIÆ;* & S. Hieronymus: *Cæteris per partes præſtatur; MARIÆ verò ſimul ſe tota infudit gratiæ plenitudo.* O Clientes Mariani, audite ipſam veſtram SS. Matrem loquentem, & affectu planè materno vos, tanquam filios, ad ſe invitantem: *Tranſite,* inquit, *ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.*

Luc. 1. 30.
Lyran. hîc.
Pſal. 17. 10.
Hugo Card. in Luc. 1.
S. Hier. ſer. de Aſſumpt. B. V.
Eccl. 24. 26.

2. De Abigail muliere prudente & formoſa perhibent ſacri Regum Annales, quòd gratiam invenerit in oculis Davidis irati, dum enim jam cædes, & ruinam domûs Nabal ſpiraret, eum prudens, & linguæ ſuada mulier mirum in modum placavit, & exitium à domo ſua prudentiſſimè avertit: *Cùm autem vidiſſet Abigail David, feſtinavit,* &c. 1. Reg. 25. 25

Ruth pauper illa Moabitis, quia humiliavit ſe, gratiam in oculis divitis Booz invenit: *Quæ cadens in faciem ſuam, & adorans ſuper terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem?* Ruth. 2. 10.

Eſther

Eſther ob terram & formæ & morum elegantiam apud Regem Aſſuerum præ omnibus aliis puellis oblatis gratiam invenit ſingularem, ut deſpe-
Eſther. 2.9. ctis cæteris omnibus in Reginam eligeretur: *Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conſpectu illius.*

Et ad quid iſtæ gratiæ humanæ? Umbræ ſunt, & ad inſtar fumi evaneſcunt; MARIA autem invenit gratiam in oculis Domini, unde ad eam
Luc. 1. 30. Archangelus: *Ne timeas MARIA, inveniſti enim gratiam apud DEUM.* Et quid
S. Th. Aq. 12. q. 113. a. 9. ad 2. plus dicere poterat cœleſtis ille Paranymphus? *Unus Divinæ gratiæ gradus*, ait Doctor Angelicus, *& vel minimus univerſis mundi divitiis & theſauris longè præſtat, cùm Divinitatis ſit quædam participatio, Divinæ nos conſortes naturæ efficiens.* O anime mi! conſidera hîc, quantùm te oporteat allaborare, ut ejuſmodi Divinæ gratiæ fias particeps; quid enim DEO tibi propitio nocere poteſt? Et ſi Dominus pro te, quis contra te? Timeant illi, qui gratiam DEI non ha-
Th. Kemp. de imit. Chriſt. l. 2. cap. 9. bent, nec quærunt: *O quam ſuaviter equitat, quem gratia DEI portat!*

3. Progrediamur ulteriùs, & ſcrutemur Scripturas, quia ipſæ de hac veritate luculentum perhibent teſtimonium. Nota eſt illa parabola, quam Chriſtus proponit de Muliere, quæ decem quondam drachmas habuit, *ex* quibus unam perdidit, quam ſummo exinde ſtudio, & labore indefeſſo quæſivit, nec antea deſtitit, donec tandem per accenſam lucernam eam ſum-
Luc. 15. 8. mo animi cum gaudio reperiret: *Accendit lucernam, evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat.* Et nunquid, dices, operæ pretium fuit, ut unica drachma tanto ſtudio ac diligentiâ inquireretur? Ad quid una drachma, quæ erat una pars unciæ, nec plùs valens, quàm Julium, ſeu Paulum Romanum, vel Regalem Hiſpanicum, in noſtra autem moneta Germanica vix 12. crucigeros?

Adverte, prudens Lector! non vile hîc latet myſterium. Mulier illa
B. Albert. M. in Luc. Evangelica juxta B. Albertum M. Beatiſſima Virgo MARIA eſt, per drachmam verò amiſſam gratia originalis denotatur, protoparentibus noſtris à DEO quondam communicata; hanc ipſi in paradiſo per peccatum perdiderunt. Quid agit Beatiſſima Virgo? *Quærit diligenter, donec inveniat*; in quem finem; *accendit lucernam*; hoc eſt, paravit Cor ſuum, tanquam lucernam ardentem, liquorem pinguiſſimum perfectionis infundens, jugibusque ſuſpiriis, ac gemitibus pro redemptione humani generis apud DEUM interpellans. O quoties in templo, in quo per undecim an-
Ex. 33. 13. nos commorabatur, cum Moyſe in cœlum ingeminavit: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam.* Et ecce, tandem hæc puriſſima Virgo exaudita eſt pro ſua reverentia, venit enim de cœlo Nun-
Luc. 1. 30. cius: *Ne timeas MARIA, inveniſti enim gratiam apud DEUM; ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* O gratia ſuper

gra-

Digitized by Google

gratiam: *Hæc eſt illa gratia* ait S. Chryſologus, *quæ dedit cælis gloriam, terris DEUM, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam.* Proindè hæc SS. Virgo longè meliori jure, quàm mulier illa Evangelica, ad amicas ſibi animas exclamare poterat: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam*, &c. O dulciſſima Virgo! omnes tibi congratulamur in unum, quia inveniſti hanc drachmam perditam, gratiam videlicet Divinam, rogamúſque te impenſiſſimè indigniſſimi licèt clientes tui, ut & nobis miſeris à Filio tuo, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, gratiam ad omne bonum efficacem, ac tandem in morte finalem, quæ ſub nullius cadit meritum, impetrare digneris: *Si pietatis tuæ, ô MARIA*, ait Mellifluus tuus, *ipſam, quam apud DEUM inveniſti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adjutorium, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo, &c.*

S. Chryſol. Serm 143. — Luc. 15. 9. — S. Bern. ſerm. 4. Aſſumpt. fol. 56.

4. Obſervemus alium ex ſcriptura conceptum non minore conſideratione dignum. Cùm Joſias Rex piiſſimus, deſtructis fanis & idololatris, & combuſtis eorum idolis, Domum DEI hactenus magna ex parte deſertam, reſtaurare intendiſſet, invenerunt Sacerdotes librum Legis intra muros templi abſconditum, quem mox Helcias Sacerdos ad Sapham, & hic ad Regem detulit. Et ecce, cùm juſſu Regis publicè iſte liber legeretur, ventum eſt ad minas ac pœnas, quas DEUS populo ſuo ob communiſſima ſcelera intentaverat, ad quod Rex præſentiens iratum DEUM, præ mærore & dolore animi veſtimenta regia diſrupit, miſitque ſine mora legatos ad Holdam Prophetidem, rogans eam, quatenus DEUM deſuper conſuleret, ſibique exinde Divinum referret reſponſum. Erat autem hæc Holda & prudentiâ & ſanctitate & in exponendis Divinis oraculis illo ævo apud omnes venerabilis ac celebris, quæ inter alia, ubi DEUM conſuluit, hoc nuncii ad Regem remiſit: *Hæc dicit Dominus DEUS Iſrael, pro eo, quod audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus, idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.* Res mira! & nunquid tunc temporis intervallo adhuc in vivis erat Jeremias Propheta? Nunquid & alii viri & ſanctitate, & prudentiâ celeberrimi tunc vivebant, qui futura poterant prædicere, & hoc Legis volumen Regi explicare? Quare ergo relictis viris, Rex muliere diſcupit audire conſilium & oraculum?

4. Reg. 22. 15.

Reſpondet Baëza, quia Joſias Rex, prævidens vindictam Divinam ſibi & populo imminentem, per Holdam, mulierem ſanctam & DEO acceptam, benignum exſpectabat reſponſum, ſolent enim mulieres cor magis clemens ac benignum, quàm viri habere, ideò per dictam Holdam (B. Virgins MA-

Baëza. l. 8 cap. 5. S. 8.



Digitized by Google

RIÆ typum, quæ pluſquàm Prophetiſſa fuit) non tam DEUM conſulere, quàm & ſibi placare ſtuduit; & pergit citatus Baëza: *Ego autem omnes monuerim, qui volunt à DEO reſponſum miſericordiæ accipere; ut conſulant eum per MARIAM*, nam longè cor ejus abeſt à juſtitia vindicativa, nec mortem peccatoris, ſed vitam requirit, propter peccatores enim facta eſt Mater Hugo Cardinal. in Luc. 1. DEI. Audite pro veſtra conſolatione Hugonem Cardinalem: *Currant*, inquit, *peccatores ad virginem, qui gratiam amiſerunt peccando, & eam invenient apud eam, humiliter ſalutando, & ſecurè dicant: Redde nobis rem noſtram, quàm inveniſti; nec negare poterit, ſe inveniſſe, quia hoc Angelus atteſtatur, ait enim, inveniſti gratiam apud DEUM*, &c. Et quia gratiâ plena eſt, poterit ſine dubio etiam ſuis cultoribus gratiam à DEO impetrare, aliàs non eſſet gratiâ plena. O Hæretici, ô Sectarii! ah capite ver- Rom. 16. 6. bum hoc, & diſcite honorare, diſcite *ſalutare MARIAM, quæ multum laboravit in vobis.*

5. Deſideras, anime mi, plura de hac veritate argumenta? Obſerva: Poſtquam DEus univerſorum Dominus cælum & terram ex nihilo ſui produxit, & nunc aquam ab arida in unum locum ſeparavit, ingentem illum Gen. 1. 9. aquarum abyſſum appellavit MARIA: *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum --- Congregationeſque aquarum appellavit maria?* & cur maria? Reſpondet ad rem Seraphicus Bonaventura & S. Chryſologus, MA- S Bonav. in Spec. Virg. cap. 2. S. Chryſol. Serm. 146. RIAM eſſe *mare gratiarum*, in quo myſtico mari Pater æternus ob dignitatem Filii voluit, ut omnes gratiæ & gratiarum omnium fluenta congregarentur in unum, quod enim cæteri Sancti habuerunt diviſim, in SS. Corde MARIÆ in uno loco reperies; virtutes videlicet omnes, merita omnia, omnes prærogativas, gratias & chariſmatum dona, ut in veritate illa dicere Eccl. 24. 16. potuerit: *In plenitudine Sanctorum detentio mea.* Audi rurſus Hugonem Car- Hugo Card. in Eccl. 1. 7. dinalem: *Per mare*, inquit, *intelligitur Virgo MARIA, in quo omnia flumina gratiarum & donorum ſpiritualium intraverunt uno ipſo fonte: & non redundavit MAEIA, id eſt, non intumuit per ſuperbiam*, &c.

O felix Eſther, humilis & ſublimis, pauper & dives, ancilla & Regina, de qua ſacræ recenſent paginæ, quòd, cùm non vocata ad Regem Aſſuerum, in throno auro, gemmiſque coruſcante tunc ſedentem, introiviſſet, eumque primo aſpectu terribilem, & ſcintillantibus oculis formidabilem fuiſſet conſpicata, ex tanta perculſa Majeſtate ſemel, iterumque animæ deliquium paſſa Eſther. 5. 2. fuerit; quod videns Rex de ſolio ſurrexit, & extenſo in eam ſceptro regio, ſuam ei clementiam & gratiam inſinuavit: *Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ, dixitque ad eam Rex: Quid vis Eſther Regina? Quæ eſt petitio tua? Etiamſi dinidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

Cæterùm quod, hæc Regina Eſther typus SS. V. MARIÆ fuerit, nemo Chriſtianorum ignorat, per quam DEUS generi humano offenſus, mirum,



Digitized by Google

in modum & placatus, & reconciliatus eſt: *Inveniſti enim gratiam apud DEUM.* Quòd autem Eſther ſummitatem aureæ illius virgæ tenuerit, & oſculata fuerit, pulcherrimam rationem aſſignat Doctor Angelicus: *Summitatem virgæ*, inquit, *Virgo Beata tetigit*, quando Filium DEI in utero concepit, & ſic dimidiam partem Regni DEI impetravit, ut ipſa ſit Regina MISERICORDIÆ, cujus Filius eſt Rex JUSTITIÆ. Ex his conſidera, anima Chriſtiana, qualibus donis ac gratiis benigniſſimus DEUS SS. Cor & animam Sacratiſſimæ Matris ſuæ repleverit: *Illi enim quaſi Matri ſuæ*, ſunt verba Cornelii à Lapide, *Chriſtus nihil negare poteſt: Quare ſummum DEI in homines poſt verbum incarnatum beneficium eſt beata Virgo, hanc enim nobis dedit, ut per eam omnia ab ipſo impetremus, ut ipſa nobis omnes clementiæ, omnipotentiæ & Divinitatis theſauros aperiat, omnes gratias in eis reconditas largiatur per Filium ſuum.*

Luc. 1. 30.
S. Th. præf. in epiſtol. Canon. lib. Eſther. c. 5.
Cornel. in c. Eſther. cap. 16.

6. O dulciſſima Virgo MARIA! O Domina totius univerſi! cui ulteriùs te comparabo? Et nunquid SS. Cor tuum illud altare propitiationis eſt, de quo jam pridem Iſaias vaticinatus eſt: *Offerentur ſuper placabili altari meo, & domum Majeſtatis meæ glorificabo?* Nota hìc, prudens Lector: *Placabili*, hoc eſt, in altari Deum placante: quid autem Deum iratum magis placavit, quàm puriſſimum Cor MARIÆ? *MARIA*, ſunt verba Richardi à S. Laurentio, *dicitur altare placationis Domini, qui placatur erga peccatores, cùm ſuper hoc altare offerunt dona, & Sacrificia ſua*, &c. Hinc & ab Andrea Cretenſi appellatur *Commune reconciliatorium.* O peccatores omnes, dives & pauper, omnes in unum, accedite ad hoc placationis altare, ad SS. Deiparam plenam gratiâ, plenam miſericordiâ: & ſi Paulus gentium Doctor dilectos ſuos Philippenſes in corde ſuo geſtâſſe gloriatur: *Sicut eſt mihi juſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eò quòd habeam vos in corde meo*; quantò magis, ô clientes! O filii Mariani! hæc SS. Mater noſtra in hac vita mortali, ac tunc demum in ſupremo mortis articulo veſtri curam habebit? *Sileat*, inquit Mellifluus, *miſericordiam tuam, beata Virgo, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.*

Iſa. 60. 7.
Rich. à S. Laur. lib. 2. de Laud. B. Virg. Andr. Cret. orat. 2. de Aſſumpt. Phil. 1. 7.
S. Bern. ſerm. 4. in Aſſumpt. B. Virg.

Verùm hìc objectabit mihi nonnemo. Ego tenero & filiali amore proſequor beatiſſimam Virginem, eamque mihi in Dominam, Patronam & Advocatam, imò & in Matrem meam jam à primis vitæ annis elegi: Ego ſoleo in illius honorem ſingulis diebus Sabbathinis jejunare, Officium & Roſarium illi dicere, & hæc & illa in honorem illius facere, &c. Concedo totum, ſi moribus non contradicis, valdè bene agis; ſed præſumptuosè in illam agere, & ſperare, & interim in peccatis mortalibus hærere, eſt ſeipſum in gehennam præcipitare, talis enim in Sacratiſſimam Virginem injurius eſt, & duplici damnatione dignus; ſicut enim Filius omne peccatum mortale deteſtatur, ſic & Mater ejus. Cura igitur, ut ſemper in ſtatu gratiæ ſis, & hoc erit tibi in peculiare ſolatium, & in ſignum prædeſtinationis tuæ, perire enim non poteſt, qui B. Virgini verè devotus fuerit; audis hoc: *Verè devotus.*

Gen. 7. 7. 7. Qui olim in Arca Noë, dum univerſale diluvium totum terrarum inundaverat orbem, incluſi erant, à generali interitu ſalvati ſunt. MARIA, ait S Joannes Damaſcenus, eſt vera ſalutis arca; in illa octo tantùm ſervatæ ſunt animæ, per hanc omnes, modò velint, poſſunt ſalutem conſequi. Illa ædificata fuit de lignis levigatis; hæc de virtutibus conſummatis. Illa ſuper aquas diluvii ferebatur; hæc nullius vitii naufragium ſenſit. Illa nec bruta animantia excluſit, ſed nec MARIA peccatores, qui apud DEUM ut jumenta facti ſunt, modò ſeriò velint ad frugem, & dignos pœnitentiæ fructus redire.

S. Joan. Damaſc. or. 1. de Dormit. Virg. Pſal. 27. 23.

Finem huic Conſiderationi imponat prudentiſſimus Salomon, qui nunc ad imperii clavum evectus, à DEO non divitias, aut honores, nec plures provincias, aut longos vitæ annos, vel plures de hoſtibus victorias, ſed cor docile, ac prudens impenſiſſimè petiit, ut non ſe duntaxat, ſed & populum ſuum regere, omneſque ſuas actiones, quà privatas, quà publicas, juxta voluntatem Divinam ordinare, ac in finem ſuum diſponere poſſet: *Dabis ergò ſervo tuo cor docile*, &c.

3. Reg. 3. 9.

O pretioſiſſima Virgo! tu non Cor docile, aut ſapiens, ut quondam Rex Salomon, ſed cor, in quo inhabitaret Gratia Divina, à DEO inſtantiſſimè poſtulâſti; ita tuus Mellifluus: *Prudens Virgo*, inquit, *non ſapientiam, ſicut Salomon, non divitias non honores, ſed gratiam requirebat*; & cauſam hujus juſtiſſimæ poſtulationis ſubjungit: *Nimirum ſola eſt gratia, quâ ſalvamur: Et quid nos aliud concupiſcimus Fratres? Quæramus gratiam, per MARIAM quæramus*, & juxta exemplum Venerabilis Patris Spinolæ de Societate JESU per SS. COR MARIÆ quæramus; quid enim aliud fuit in his terris hoc pretioſiſſimum COR Virginis, quàm Magnes potentiſſimus, qui etiam ipſum DEUM de cælo ad ſe in terram potuit attrahere? Ah pientiſſima Domina! ô benedicta Inventrix gratiæ! trahe & cor noſtrum ferreum ad te, ut per te inveniamus gratiam finalem & acceſſum apud DEUM, ut aliquando conſummato hoc Vitæ curſu ab illo audire mereamur:

S. Bern. ſerm. in Nat. Virg.

*Venite Benedicti*, &c.

) o (

CON-

# CONSIDERATIO XI.

## Filius DEI deſcendit de cælis, ut Filius hominis & Doloroſæ Matris fieret, in cruçe pro nobis immolandus.




Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. *Ex Symbolo Nicano.*

1\. QUantò major Rex in urbem aliquam adventare ſolet; tantò præconum ſeries longior præcedit; hinc infinitus DEUS tot figuras & vaticinia præmiſit, quæ adventum dilectiſſimi Filii ſui in carnem non tantùm populo illi Judaico indicarent, ſed & clariſſimis rationibus eundem orbis Redemptorem, paulò poſt ex Virgine naſciturum, demonſtrarent. Inter quas umbras & figuras non minima fuit mirabilis illa ſcala, quam Jacob Patriarcha à terra usque ad cœlum pertingentem, per eam Angelos deſcen-

ſcendentes, & aſcendentes, imò & ipſum DEUM huic ſcalæ innixum, atque ad deſcenſum jamjam paratum de intempeſta nocte conſpicatus eſt:
Gen. 28. 12. *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram: & cacumen illius tangens cœlum; Angelos quoque DEI aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Stupenda viſio? portentum ingens, & pluribus refertum myſteriis. Quid obſecro, per hanc ſcalam cæleſtem olim Jacobo præſignatum fuit, & cur ipſe Dominus huic ſcalæ innixus videbatur: *Et Dominum innixum ſcalæ?* Littera Hebraica legit: *Pedes in ſcala habebat veluti deſcenſurus*; magnum hìc latet myſterium; attende.

Rup. Abb. hic in Gen. Reſpondet Rupertus Abbas & plures alii, quòd per dictam ſcalam Jacobo Patriarchæ VERBI DIVINI Incarnatio, & tota Chriſti Jeneratio, ex ipſo Jacobo per varios gradus & generationes usque ad Joſephum & B. Virginem MARIAM deſcenſura, fuerit repræſentata, & quòd jam tunc præfatus Jacobus in illa extaſi clariſſimè agnoverit, VERBUM ad nos deſcenſurum, & carnem humanam ac paſſibilem ſuſcepturum: *Pedes* ſubintrat hìc Barradius, *in ſcala habebat, veluti deſcenſurus quaſi diceret: Adveniet tempus, ô Jacob, cùm ego deſcendam, humanamque naturam de ſtirpe tua aſſumam*; ſed & aſcendam exinde de novo per ſcalam, quam vidiſti, in cælum, hoc eſt, per crucem, in qua lapſum genus humanum per ſanguinem meum recuperaturus ſum: *Crux*, ait Cornelius, *eſt ſcala & via, per quam Chriſtus, omnésque Chriſtiani in cælum conſcenderunt, & indies conſcendunt*: Proin pro lemmate huic ſcalæ affiximus:

Barrad. l. 3. cap. 13.

Cornel. hic.

## Deſcendendo: Aſcendendo.

2. Pulcherrima eſt illa quæſtio, quam in tractatu de Incarnatione VERBI movere ſolent Theologi: an Chriſtus in in carne humana in hunc mundum veniſſet, ſi Adam primus homo non peccâſſet? Sunt, qui cum ſubtili Scoto, Suarez, & aliis ſentiunt, in dicta hypotheſi Chriſtum venturum fuiſſe, ſed non in carne paſſibili, cùm præcipuus Incarnationis finis, ac motivum juxta illos Auctores fuerit ſumma tanti myſterii excellentia, & alia bona ex eo conſecutura, atque à peccato omnino independentia. Verùm ſi rem perſpicaciori mentis oculo perpendimus, unicum ac præcipuum incarnationis motivum videtur fuiſſe reperatio generis humani, ita quidem, ut ſi homo non peccâſſet, Incarnatio ex vi præſentis Decreti facta non fuiſſet, &c.

Hanc veritatem Theologicam non tam ſacræ Paginæ, quàm & SS. Patrum luculentiſſima teſtimonia confirmant: *Sic DEUS*, inquit Veritas Chri-
Joan. 3. 16. ſtus, *dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Nota hìc, quæſo, ſingula Chriſti verba quàm magnam in ſe emphaſim contineant, & quomodo amorem

DEI

Digitized by Google

DEI in nos miſeros *τὸ Sic* emphaticè exaggeret. Item in alio loco: *Venit* Luc. 19. 10.
*Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat*, aliàs non venturus, niſi homo periiſſet. Et in alio loco: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs* Joan. 10. 10.
*habeant*: audi & Apoſtolum: *Fidelis ſermo*, inquit, *& omni acceptione dignus,* 1. Tim. 1. 15.
*quòd Chriſtus JESUS venit in hunc mundum, peccatores ſalvos facere*; hinc & Eccleſia in Symbolo Concilii Nicæni canit: *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt*, &c.

Accedunt teſtimonia SS. Patrum, unde illud S. Auguſtini. *Si homo non periiſſet, Filius hominis non veniſſet*, & in alio loco: *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere*; cui aſſentit S. Irenæus: *Si non haberet caro ſalvari. nequaquam Verum caro factum eſſet*: & S. Ambroſius: *Quæ erat cauſa incarnationis, niſi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* Quibus adjungo S. Athanaſium: *Ut Verbum*, inquit, *fieret homo, nunquam deſtinatum fuiſſet, niſi hominis neceſſitas id poſtulâſſet.* Mitto quàm plurima alia SS. Patrum teſtimonia, aſſerentium, Incarnationem VERBI in remedium peccati, & redemptionem generis humani præcipuè fuiſſe factam, quæ ſententia utpote alterâ longè probabilior, etiam multò magis Divinam in nos charitatem ac bonitatem commendat, quàm ſi dicatur, Chriſtum ob perfectionem univerſi fuiſſe in mundum venturum.

S. Auguſt. Serm. 8. de Verbis Apoſt. Idem Serm. 9. S. Iræneus l. 5. cap. 14 S. Ambr. l. de Incarn. cap. 6. S. Athanaſ. Serm. 3. contra Arian.

Ex quibus, prudens Lector, collige immenſæ in te clementiæ, & Divinæ Bonitatis argumentum; quid enim meruit homo, peccator tam abominandus, & læſæ Divinæ Majeſtatis reus, quàm ut cum Angelis Apoſtaticis propter demerita æternis deputaretur ſuppliciis? *Quis tibi imputabit*, ait Sapiens, *ſi perierint nationes, quas tu feciſti: non enim alius eſt DEUS, quam tu*? Et ſi univerſus terrarum orbis coram DEO non aliud eſt, quàm *unica guttula roris antelucani*, quota pars es tu? Proinde ſi totus mundus periiſſet, habitâ DEI ratione perinde fuiſſet atque ſi canis aut culex, vel aliquid eò minus interiiſſet: *Hinc bonitas effulget*, ſunt verba S. Damaſceni, *quòd figmenti ſui, hoc eſt, hominis imbecillitatem DEUS non contempſit: ſed lapſi vicem doluit, eique manum porrexit*, O quantùm igitur obligatus es, anime mi! SS. Trinitati pro admirabili hoc conſilio ſuper animæ tuæ ſalute? Quantùm obligatus Filio DEI, cujus Incarnationis ſcopus unicus fuit redemptio tua, & inſtauratio Divinæ Imaginis, quæ in te per peccatum tam fœdè erat deformata? Quantùm denique obligatus B. Virgini MARIÆ, quæ ſuo ſingulari aſſenſu in Incarnationem mundo ſuccurrit perdito? *Filii DEI Incarnatio & paſſio*, ait Quareſmius, *Deiparæ Virgini Mariæ fidei, obedientiæ, ac bonis operibus, ſingulariter tribuenda eſt*, &c. O beatiſſima Virgo & Mater! verè qui te non amat, anathema ſit.

Sap. 12. 12. Sap. 11. 23. S. Damaſc. lib. 3. fidei Orthodx. cap 1. Quareſm. To. 4. c. 19. ſect. 11.

3. Hoc admirandum Incarnationis myſterium, ex quo totum fidei noſtræ orthodoxæ fundamentum pendet, jam à prima mundi ætate revelavit DEUS Adamo, dum ei ſomnum immiſit: *Immiſit ergo Dominus DEUS ſo-* Gen. 2. 21.

*porem*

Digitized by Google

S. Auguſt. quem citat Cornelius, & alii plures hic. Gen. 3 15. Gen. 5. 29 porem in Adam, in quo ſomno, ſeu potiús mentis extaſi non tam ſcientiam infuſam omnium rerum naturaliumà Deo accepit, ſed & ſublime illud Divini verbi aliquando incarnandi myſterium agnovit, quod illi denuo per illa verba inſinuatum fuit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius*, hoc eſt, per Chriſtum ex B. Virgine incarnandum.

Agnovit & Lamech, pater Noëmi: *Vocavitque nomen ejus Noe, dicens, iſte conſolabitur nos ab operibus & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Ubi juxta Rupertum, Cornelium, & alios, Meſſiam naſcendum in umbra Filii ſui non obſcurè prævidit, proinde illi nomen impoſuit *Noë*, quod idem eſt, quàm: *Quies*, aut: *Quieſcere faciens*, aut: *Conſolatio generis humani*; conſolatio autem generis humani factus eſt Chriſtus JESUS ex Virgine incarnatus, & pro ſalute univerſorum crucifixus, cujus deliciæ ſunt

Gen. 6. 14 Ven. Beda in hunc loc. eſſe cum filiis hominum; hinc Vernerabilis Beda verba illa: *Fac tibi arcam*, &c. Patri æterno pulcherrimè accommodat: *Quod dicit*, inquit, *fac tibi arcam, conſilium Patris poteſt intelligi ad Filium de aſſumptione carnis, &c.*

Gen. 2. 12. Agnovit & Noë, filius Lamech, in cujus gratiam DEUS finito univerſali diluvio in ſuperiori aëris regione arcum, ſeu iridem ſuſpendit: *Hoc ſignum fœderis, quod do inter me & vos, & omnem animam viventem*, &c. Per quam

Cornel. hic iridem Noëmo & poſteris ejus Verbum, ſuo tempore pro ſalute mundi incarnandum revelatum eſt: *Iris*, inquit Cornelius, *eſt verbum incarnatum, & carne velatum, ſive eſt ipſa caro verbi, &c.* Per quod verbum, & in quo verbo omnia in integrum reſtaurata ſunt. O magnum, ô admirabile Divinæ Incarnationis ex Virgine myſterium, & quis eſt, qui hoc conſiderat?

4. A Noëmo ad Abrahamum tranſeamus, genere Chaldæum, & à DEO ſæpius per varias tribulationes probatum, ac tunc præſertim, cùm jam centenarius a DEO juſſus eſt, ut filium ſuum unigenitum, quem diligebat, Iſaac, ſibi in holocauſtum ſuper unum montium immolaret; & ecce, cùm alligâſſet Iſaac, gladiúmque arripuiſſet, quo innocentis prolis jugulum feriret, in ipſo extremæ neceſſitatis articulo, & in ipſo limite mortis adeſt repentè de

Gen. 22. 12. cælo nuntius, qui filio parcere jubet: *Non extendas manum tuam contra puerum*, &c. Res miranda! nunquid DEUS omnino eſt immutabilis, non tam phyſicè, quàm & moraliter? Nunquid ex animi inconſtantia aliud velle poteſt, quàm quod ſemel decrevit? An non ipſe apud Malachiam dicit:

Malach. 3. 6. *Ego Dominus & non mutor*? ad quid ergo hic ſuam immutavit ſententiam? priùs juſſerat, ut feriret, modò vociferatur, ut parcat?

Adverte, anime mi! magnum hic latet myſterium. Promiſerat quondam idem pientiſſimus DEUS ſancto illi Patriarchæ, quòd de ſtirpe ſua in

Gen. 22. 18. tempore opportuno eſſet incarnandus Unigenitus DEI Filius: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*; ubi per ſemen Abrahæ intelligitur Chriſtus, ex eodem Iſaac ſecundum carnem naſcendus, in qua Divina prole omnes gentes

eſſent

Digitized by Google

eſſent benedicendæ,& ab interitu (ſi vellent veræ fidei lumen agnoſcere) redimendæ: *Abraha*, inquit Apoſtolus, *dictæ ſunt promiſſiones*, &c. Et B. Virgo ad Eliſabeth: *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, & ſemini ejus in ſæcula*; quæ omnia per adventum Chriſti in carne adimpleta eſſe liquet. Vivat igitur filius tuus Iſaac,& non occidatur: *Non extendas manum tuam contra puerum*, quia ex illo ſurget Chriſtus de Virgine incarnandus, qui vices in eodem monte ſuo tempore ſupplebit,ubi ſuper ſtruem lignorum,hoc eſt,in ara crucis pro ſalute omnium erit immolandus. Similitudinem cape ſis ex tenero ſurculo, trunco veteri implantato,ut arbor nova exurgat,& fructus ſuos in tempore afferat,quem ſi confringis ſurculum,tota arbor, & rami ejus futuri pereant,neceſſe eſt. Sic ſi Iſaac à Patre fuiſſet tunc obtruncatus,omnis Chriſti generatio & genealogia ab Abraham usque ad JOSEPHUM & MARIAM uno ictu gladii fuiſſet extincta, & conſequenter videtur, quòd nec Chriſtus fuiſſet incarnatus ex Virgine, filia Abrahæ: *Nunquam Angelos apprehendit*, ſubintrat iterum Apoſtolus, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit*; qui tunc cum Iſaac filio ob tam generoſum facinus de congruo meruit, ut Chriſtus ex ſua proſapia,& non ex alia ſecundùm carnem naſceretur.

Gal. 3. 16. Luc. 1. 55. Hebr. 2. 16.

5. Roboremus hanc veritatem per alium conceptum. Dicite, quare Iſaac nunc ſenex & brevi moriturus dilecto filio ſuo Jacob,ſtatim ut ſenſit odoris fragrantiam,quam veſtibus ſuis ſpargebat, tam amanter, & inſolita perfuſus lætitiâ benedixerit: *Det tibi DEUS de rore cæli, & de pinguedine terræ*, &c. Ad quid iſta benedictio?

Gen. 27. 28.

Reſpondet S. Auguſtinus,benedictionem iſtam in Chriſti incarnatione eſſe adimpletam,cujus adventum tunc Iſaac in umbra prævidebat, unde & antiqui Patres eundem orbis Salvatorem, ut rorem de cœlo cadentem deſiderabant: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum*; Beatus Theodoretus verò eleganter per illum rorem cœli Divinitatem Verbi, & per pinguedinem terræ ejus humanitatem à terra virginea ſuſcipiendam intelligit: *Ros Chriſti Divinitas, pinguedo terræ humanitas.* Viden' hîc prudens Lector, & perpende cum B. Petro Chryſologo, quomodo Incarnatio Verbi negotium fuerit omnium ſæculorum,& quomodo ab origine mundi de communi hoc mundi remedio actum fuerit,donec tandem intra clauſtra Virginis Nazarethanæ hoc ſummum, admirabile ac cœleſte negotium compleretur: *Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium,& vocabitur nomen ejus Emanuel.*

S. Aug. l. 16. Civit. 37. Iſa. 45. 8. B. Theodor. q. 81. in Gen. B. Petrus Chryſol. ſerm. de Annunt. Iſa. 7. 14.

6. Si vis, anime mi! Agglomeremus argumenta. Dic, quænam perſona ex SS. Trinitate Moyſi,in deſerto oves paſcenti,in rubo ardente,& incombuſto,apparuerit: *Vidi afflictionem populi mei: Deſcendi, ut liberem eum?* Reſpondet Theodoretus,fuiſſe Filium DEI,magnum illum conſilii Angelum, qui jam tunc miſericordiâ motus deſcenſum de cœlo parabat,ut pro omniũ

Exod. 3. 7. Theodoret. loc. cit. in Gen.

ſalute incarnaretur,ſed placuit SS.Trinitati grande hoc opus adhuc aliquantiſper & in tempus magis opportunum differre.

Dic ulteriùs,quiſnam ille fuerit, quem olim Nabuchodonoſor Rex in camino ignis ardentis, in quem Ananias, Miſaël & Azarias conjecti ſunt,ſimilem Filio hominis conſpicatus eſt: *Et ſpecies quarti ſimilis Filio DEI*? [Dan.3.92.] Reſpondet S.Hilarius,Juſtinus,Tertullianus & alii,quod ipſe DEI Filius fuerit, [S. Hilar. Juſtin. Tertull.citati à Cornel. hic.] qui jam tunc, antequam incarnaretur, humanæ naturæ ſimilitudinem induerat, & ſic ad futurum redemptionis officium ſe exercebat, quia *deliciæ ejus ſunt eſſe cum filiis hominum.* [Prov.8.31.]

Placet ulteriùs progredi. Dic,cur Ezechias Rex pientiſſimus, cùm illi ab Iſaia in ægritudine inſinuatum fuit illud fatale: [Iſa.38.1.] *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*, mox ad parietem ſe converterit: *Et convertit Ezechias faciem ad parietem, & oravit ad Dominum*? Reſpondet S. Gregorius Magnus, [S. Greg. M. cit. à R.P. Euſtach. à S.Roſ. in Proëmiali.] per illum parietem orientalem, ad quem Rex ægrotans ſe in lecto convertit,adumbratam fuiſſe incarnationem & humanitatem Chriſti,quam à B.V.MARIA ſuo tempore erat ſuſcepturus; ad hanc igitur Rex mœſtiſſimus,& nunc morti proximus ſummis votis aſpirabat, nam *ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*; [Cant.2.9.] hinc tam amarè flebat, quia formidabat, à generatione Chriſti ſe eſſe excluſum, &c.

Vide hìc, anima Chriſtiana, quàm ardentibus quondam votis Reges, Patriarchæ,& Prophetæ ad Incarnationem Verbi aſpirârint; hinc Iſaias ait: [Iſa.62.1.] *Ptopter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non requieſcam, donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* O mortales omnes! cur non erubeſcitis, quòd hoc ſummum Incarnationis beneficium,& opus miſericordiæ Divinæ planè immenſum tam parvi faciatis? *In nullo*, [S. Bernh. ſerm de dilig. Deo. cen.3.24.] inquit Mellifluus Doctor, *DEUS ſic commendat charitatem, quomodo in myſterio Incarnationis ejus & paſſionis; in nullo ſic revelatur ejus pietas; in nullo ſic apparet benignitas, quomodo in humanitate*, &c. Erat enim tunc porta ſalutis occluſa omnibus,& tot millenis annis usque ad illud tempus per flammeum,atque verſatilem Cherubini gladium cuſtodita; clavum Imperii tenebant Gentiles, & idololatræ; peccata omnium populorum totum inundabant orbem; imò & ipſe populus Hebraicus, licet à DEO electus, innumeris ſcatebat vitiis & erroribus; verbo: [Geneſ.1.2.] *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, unde ſucclamabant Patres: [Iſa.64.1.] *Utinam dirumperes cœlos & deſcenderes*; & ecce ubi tandem [Gal.4.4.] *venit plenitudo temporis, miſit DEUS Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege,ut eos, qui ſub lege erant, redimeret.* O immenſa charitas! ô abyſſus miſericordiarum DEI! quid ultra potuiſſet nobis facere DEUS, & non fecit? Et quis eſt, *qui recogitat corde?* [Jer.11.12.]

7. Mirabatur olim electus DEI populus, dum vidit mare rubrum virtute unius virgæ Moſaicæ apertum,& ſciſſum, viamque Hebræis in Palæſti-



Digitized by Google

nam ex Ægypto reſerantis,unde Vates Regius: *Mare vidit, & fugit.* Quid, Pſal. 113. 3.
obſecro,penſaſſet ille populus, ſi ipſum VERBUM Patris vidiſſet de cœlo in gremium unius Puellæ Hebraicæ deſcendere,ac tandem per virgam crucis viam omnibus,ſe ſequentibus, ad cœleſtem Palæſtinam adaperire? *Nihil DEO ſublimius,* ait Mellifluus, *nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione DEUS deſcendit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit ad DEUM, ut quidquid in eo DEUS fecit, limus feciſſe credatur, tam ineffabili, quàm incomprehenſibili Sacramento.* S. Bernh. ſerm. 3. Vigil. Nat. f.n.


Vidit quondam,& attonitus ſtetit orbis terrarum,dum tempore Joſue ſolem in medio curſu ſtantem, & tempore Regis Ezechiæ per decem gradus retrogredientem ſpectavit. Sed quid iſta? Nunquid mirari magis debet mundus, dum videt ipſum DEUM, verum illum juſtitiæ ſolem, adeò in utero Virginis humiliatum,adeò exinanitum,ut de ſe ipſo dicere non vereatur: *Vermis ſum ego, & non homo?* Joſuæ. 10. 13. Iſa. 38. 8. Pſal. 21. 7.

Vidit Jordanis Arcam Fœderis ſibi appropinquantem, & præ ſtupore ſtetit ex una parte attonitus; & ex altera rapido curſu in mare mortuum effuſus, liberum populo reliquit tranſitum: *Jordanis converſus eſt retrorſum.* Pſ. 113. 3.
Sed nunc cernit mundus veram & animatam DEI Arcam, hoc eſt, ipſum DEUM carne humanâ veſtitum,in mundum ingredientem, ut ſalvaret, quos condidit. O maxima miſeratio, quia maxima tunc erat miſeria: *O Domine, quid eſt homo, quòd memor es ejus?* Pſal. 8. 5.

Jacob quondam ingrato Labano,cui per tot annos fideliter inſervierat, in faciem objectavit: *Modicum habuiſti, antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es, benedixítque tibi Dominus ad introitum meum.* Gen. 30. 30. O anima Chriſtiana! dic, quid habebat mundus, antequam Chriſtus veniret in carnem,& à Virgine mortale corpus ſuſciperet, olim pro nobis in cruce tradendum? Ah nihil habebat, niſi peccata, & omnia miſeriis & calamitatibus referta: *Sed nunc*, rectè ait Rupertus Abbas, *dives effectus eſt mundus univerſus, benedixitque illi DEUS ad introitum Chriſti Filii ſui omni benedictione ſpirituali, quâ & imprimis illi omnia peccata condonavit, & deinde multiplicia ei contulit Spiritûs Sancti dona,* &c. Rup. Abb. cap. 37. in Gen. Quid igitur reſtat, niſi ut DEO T. O. M. animitùs gratulemur omnem gloriam ex tam admirabili Incarnationis opere promanantem. Gratulemur & Chriſto JESU Filio DEI, dum per naturam humanam ſibi unitam factus eſt etiam Filius hominis, imò & frater noſter. Gratulemur tandem & SS. Matri ejus talem Filium,& omnia bona per ipſum in eam derivata, dum per illum aſſenſum in Incarnationem plus meruit, quàm omnes Angeli & Sancti DEI, &c.

# CONSIDERATIO XII.

## B. Virgo jam ab illo inſtanti, quo Mater DEI eſſe cœpit, in Corde crucem & doloris gladium portavit.




Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.
*Luc.* 1. 35.

Rup. Abb. l. 4. in Cant.

I. MIra ac diverſa SS. Patribus puriſſimæ Virgini MARIÆ attribui ſolent elogia. B. Rupertus Abbas eam paradiſum voluptatis appellat, in quo DEUS primum hominem poſuit, qui apud ipſum in principio erat, hoc eſt, Chriſtum JESUM, novum illum ac innocentiſſimum Adamum. Richardus à S. Laurentio eandem Sacratiſſimam Deiparam lectulo pacifici Salomonis aſſimilat, in quo DEI Filius novem menſium ſpatio quievit. S. Amadæus illam feraciſſimam virginitatis plantam vocat, ex

Rich. l. 10. S. Amad. hom. 8.

Digitized by Google

ex qua immaculatum illud caſtitatis lilium inter ſpinas, hoc eſt, DEUS & Homo Crucifixus prodiit. S. Ambroſius ex eadem SS. Virgine craterem tornatilem facit, qui nobis carnem & ſanguinem Chriſti propinat. Alii eandem appellant theſaurum omnis ſanctitatis; ideam perfectionis, gratiarum aquæductum, ſolium gloriæ DEI, microcoſmum gratiarum, & radicem bonorum omnium, &c. Sed nec ille à veritatis ſcopo aberravit, qui hanc SS. Virginem horologio, ſeu potiùs ſolario Achaz aſſimilavit: *Et ecce, reverti faciam umbram linearum, & per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis.* Per quem ſolem rectè Sol ille juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, per novem autem gradus, novem Angelorum Chori, per quos Sol ille Divinus retrogreſſus eſt, per decimam autem lineam B. Virginis uterus, vel Crux, in quo utroque Sol ille oriens & occumbens requievit, intelligi poſſunt, ipſum autem horologium Achaz juxta mentem SS. Patrum Deiparam deſignavit, unde eam in Officio de Immaculata Conceptione paſſim in Eccleſia recepto, ſalutare ſolemus: *Salve horologium, quô retrogradiatur Sol in decem lineis, Verbum incarnatur, homo ut ab inferis ad ſumma attollatur.* In quem finem huic noſtro ſolario à ſole meridiano illuſtrato, & in umbra numerum decimum, id eſt, Crucem X. exhibenti illud Gabrielis pro lemmate inſcripſimus:

S. Ambroſ. l. de Inſtit. Virg. c. 14.

Iſa. 38. 8.

## Altiſſimus obumbrat.

Ita eſt, ô pientiſſima Virgo! enimverò obumbravit tibi Sol ille *oriens ex alto*, & occumbens in cruce; proinde meritò non tam ſub cruce, quàm etiam in Incarnatione Verbi dicere poteras: *Nolite conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decoloravit me Sol*, dum enim ad Archangeli vocem reſpondiſti: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, in quo inſtanti perfectiſſimâ voluntate paratam te exhibuiſti ad omnia adverſa cum Filio tuo impoſterum per omnem vitam toleranda. Juvat hîc pro ſtabilienda hac veritate in teſtem adducere magnum illum Theologiæ myſticæ Doctorem, Joannem Taulerum, qui ita cum hac SS. Deiparente ſermocinatur: *O MARIA præcipua Martyrum omnium, non hoc eſt initium dolorum tuorum ſub cruce; non hîc tua cœpit paſſio; non hîc prima eſt tui DEO obedientis abnegatio: Sed ſicut Chriſtus Filius tuus ab initio gratiſſimè ſe ſubdidit ad mortem uſque Patris voluntati, & toto vitæ ſuæ ſpatio paupertatem, perſecutiones, oblocutiones & contemptus ſponte ſuſtinuit; ſic tu Domina noſtra dulciſſima totam te reſignâſti DEO, quando Mater Filii DEI eſſe conſenſiſti*, &c.

Luc. 1. 78.

Cant. 1. 5.

Luc. 1. 38.

Joan Tauler. Exercit. Vitæ Chriſti cap. 18.

2. Ad roborandam hanc veritatem audiamus inſignem conceptum. Poſtquam cœleſtis ille paranymphus, & humanæ ſalutis nuntius, Gabriel Archangelus, hanc magnificam legationem à SS. Trinitate acceptavit, ut

VERBUM mox incarnandum intemeratæ Virgini MARIÆ annuntiaret, non ſine ambitioſo plurimorum Angelorum comitatu in aſſumpta hominis forma ad Domum Nazaræam, ubi Virgo plùs quàm Angelica puritate conſpicua commorabatur, ſe contulit, ad quam cùm ingrederetur, eam ſummâ cum veneratione ſalutavit: AVE. Hæret ad hanc Angeli vocem mens & lingua mea attonita; & quid hoc eſt, magne cœli Princeps & Archangele? Quare SS. Virginem, mox DEI Matrem futuram per *τὸ Ave* ſalutas? Cur non dicis: *Salve*? An non prorſus idem ſibi volunt *Salve* & *Ave*? Non equidem ignoro, quòd per *τὸ Ave* deſignata fuerit tota Sanctiſſima Trinitas, à qua immediatè Archangelus hunc ſalutandi modum mutuaverat, per A. enim ſignificatur *Alpha* & *Omega*, principium & finis, hoc eſt, Pater æternus; per V. indicatur VERBUM mox incarnandum; & per E. Emiſſio Spiritûs Sancti, qui à Patre, Filioque procedit; ſcio inſuper, quòd per AVE reparatum fuerit, quod priùs ab Eva deſtructum fuerat; proinde ſi *τὸ* AVE retro legis, nomen Eva prodibit, hinc verſus ille venit ex utraque parte legendus:

Robur Ave tenet, & te tenet Eva ruboR.

Scio ad hæc, quòd *τὸ* AVE idem ſibi velit, quàm A-VE, hoc eſt, ſine væ, ubi enim univerſum humanum genus huic communi væ in contrahendo peccato originali erat obnoxium, ſola puriſſima Virgo ſine ullo væ & noxa permanſit. Sed aliud hîc latet myſterium. Obſerva, prudens Lector, attentiore mentis oculo *τὸ* AVE; & quid, quæſo, hîc Echo Mariana reſonat? *Ave, Ave, Ave---væ, væ, væ.* O AVE gaudioſum, ſed & lacrymoſum! quia non ſine flebili *væ* hoc *Ave* pronuntiatur, & dum orbi ſalutem & B. Virgini Verbum incarnandum annuntiat, ſimul & longum *væ* per totam vitam SS. Cordi Mariano prædixit: *Angelus Ave dixit*, ait quidam recentior & inſignis Orator de Societate JESU, *& doloris gladius MARIÆ pectus transfixit, Filium enim ſe parituram audivit, & eodem momento Filii flagella vidit, ſpinas & crucem prævidit; Concipiebat, & jam ſub cruce ſtabat: Concipiebat, & jam Crucifixum deponebat: Concipiebat, & jam vulneratum lavabat: Concipiebat, & jam ſepultum deplorabat.* O gaudioſum, ſed & triſte, nimiſque luctuoſum AVE! O anima Chriſtiana! recordare hujus Ave, quando hanc Sacratiſſimam Matrem tuam Angelica ſalutatione honoras.

R. P. Caſp. Knittel. S. Jeſ. in Sabb. paſſ.

3. Verùm progrediamur ulteriùs, & inquiramus, quænam illa domus fuerit, quam ſibi quondam Sapientia ædificavit, & ſeptem firmiſſimis columnis ſuffulſit: *Sapientia ædificavit ſibi domum; excidit columnas ſeptem: immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Adverte, prudens Lector, ſingula hîc aliquid denotant; attentum te eſſe diſcupio.

Prov. 9. 1.

Sapien-

Sapientia illa æterna, Filius DEI eſt, qui communiſſimè à SS. Patribus Sapientia æterni Patris appellari aſſolet: Hæc, inquam, Sapientia ædificavit ſibi domum, in qua habitaret DEUS cum hominibus, hoc eſt, ſanctiſſimam ac puriſſimam Matrem ſuam, in cujus Sacratiſſimo utero per novem menſes requieſcere dignatus eſt: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Eccl. 24. 12. Suffulſit autem hanc domum ſeptem columnis, per quas B. Petrus Damianus ſeptem Spiritûs Sancti dona intelligit, Mellifluus verò tres virtutes Theologicas: Fidem, ſpem, charitatem, & quatuor Cardinales, hoc eſt, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem & temperantiam, quibus SS. Virgo dotata, & velut firma domus DEI ſuffulta fuit, de qua myſtica domo & ille Jacob Patriarcha vaticinatus eſt: *Non eſt hic aliud, niſi Domus DEI,* &c. Et ſequitur: *Immolavit victimas ſuas:* ubi advertit Venerabilis Beda, quòd Chriſtus non unam, ſed multas victimas obtulerit, & inſtar multarum victimarum fuerit, quia plurima tormenta exantlavit, quorum quodlibet ad eum necandum ſufficiebat, unde in plurali dicitur, victimas immolâſſe. *Miſcuit vinum,* quando in circumciſione, flagellatione, coronatione, crucifixione, Divinum Sanguinem largiſſimè pro ſalute noſtra effuſum, cum lacrymis afflictiſſimæ Matris ſuæ, quas præſertim ſtans ſub cruce dolentiſſimè profudit, quodammodo immiſcuit. Denique *propoſuit menſam ſuam,* dum Carnem & Sanguinem ſuum in SS. Euchariſtia non tam in cibum & potum, quàm etiam in victimam, hoc eſt, in Sacrificium, quod quotidie in altari DEO T. O. M. pro peccatis offertur, in ſignum infiniti amoris ſui reliquit.

B. Petr. Damian. ſerm. de Nat.
S. Bernh. ſerm. 9. inter parvos.
Gen. 28. 17.
Beda hîc.

O anima Chriſtiana! conſidera hîc planè immenſum SS. Cordis JESU & MARIÆ in nos amorem; quid enim aliud eſt Caro Chriſti, quàm Caro MARIÆ? Et quid Cor JESU, quàm Cor MARIÆ? De illa enim VERBUM ſuam carnis ſubſtantiam aſſumpſit, ſibique intimè univit; & quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; ergo dum SS. Euchariſtiam percipis, pariter & de puriſſima Matris DEI Carne & Sanguine reficeris? O bone DEUS! quis hanc perpendens veritatem, non colliqueſcat ſaltem aliquo amore erga JESUM & MARIAM, quorum tota vita à primo conceptionis inſtanti crux fuit & martyrium? Verè immortales illis pro hoc præſtantiſſimo nutrimento tenemur gratias perſolvere. Juvat hic audire B. Petrum Damianum: *Hic,* inquit, *dilectiſſimi fratres; hic rogo, perpendite, quam debitores ſimus huic beatiſſimæ DEI Genitrici, quantasque illi poſt Dominum gratias agere debeamus: Illud ſiquidem corpus, quod beatiſſima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod faſciis cinxit, quod materna curâ nutrivit, nunc de ſacro altari percipimus; & ejus Sanguinem in Sacramento noſtræ redemptionis haurimus. Impar eſt illi omne humanæ linguæ præconium, quæ de intemeratæ carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum, eum videlicet, qui de ſe ipſo perhibet: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.*

B. Petr. Damian. in ſerm. de Nativ.

4. O pi-

4: O pientiſſima Domina! cui ulteriùs te comparabo? Altare es, in quo immenſus DEI Filius ingrediens mundum (quando Verbum caro factum eſt) ſtatim à primo conceptionis inſtanti prompta voluntate & affectu ſe Patri æterno prima vice in holocauſtum & Sacrificium, & ultro, quia voluit, morti crucis ſe obtulit. Ita S. Methodius, & ex eo doctiſſimus Quareſmius: *Cor Virginis*, inquit, *fuit altare, in quo Filius ſe ipſum obtulit in Sacrificium.* Ad quod pariter alluſit Gentium Doctor Paulus, dum ad Philippenſes ſcripſit: *Humiliavit ſemetipſum Patri, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* O cœli obſtupeſcite! Chriſtus vix incarnatus, & pro nobis jam crucifixus? O cœli obſtupeſcite!

Quareſm. Tom. 3. c. 8. ſect. 8.

Philipp. 2. 8.

Jeremias olim, cùm in umbra tantùm hanc prævidiſſet veritatem, tam inſolito attonitus prodigio exclamâſſe perhibetur: *Novum faciet Dominus ſuper terram; fœmina circumdabit virum.* Verum novum, & admirabile, propter Virginis concipientis integritatem, nam Mater efficitur, & permanet Virgo. Novum, propter fœtus efformationem, animæque infuſionem, quæ in puncto & unico inſtanti à Spiritu Sancto peracta ſunt. Novum, quia DEUS factus homo paſſibilis & mortalis. Novum, quia tenerrimus Infans vix quò ad corpuſculi magnitudinem cum minutiſſima apicula tunc comparandus, omnimodâ tamen ac Divinâ pollebat Sapientiâ. Novum, quia ſanctiſſima anima Chriſti jam tunc in carcere materno incluſa eſſentiâ DEI vidit. Novum denique & maximè novum, quia jam tunc à primo conceptionis momento Divinus ille Infans in utero Virgineæ Matris ſuæ erat crucifixus, & cum eo pariter SS. Mater ejus. *O Verbum breviatum, quod fecit Dominus ſuper terram!*

Jerem. 31. 22.

Rom. 9. 28.

Olim de Eva dictum fuit: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Hoc longè meliori jure dicere poſſumus de B. V. MARIA, quòd Chriſto Filio in Incarnatione, paſſione ac redemptione generis humani adjutorium ſimile extiterit. *Hæc eſt*, ait Hugo Carenſis, *adjutorium Altiſſimi, quia juvat eum ad ſalvandum genus humanum.* O quàm benè igitur Mellifluus Bernhardus: *Quia indigus eras, cui donaretur DEUS, datus eſt MARIÆ, ut per illam acciperes, quidquid haberes*; & ſubjungit, *Nihil nos DEUS habere voluit, quod per manus MARIÆ non tranſierit.* Et cur igitur, ô animâ tepida ac languida, non accedis ad MARIAM, nam & ipſa *peccatores recipit*, quia propter ipſos Mater DEI facta eſt?

Gen. 2. 18.

Hugo Car. in Pſal. 90. 1.

S. Bernh in Vigil. Nat. Dom.

Luc. 15. 2.

5. Revocate hîc, ſi placet, in memoriam officioſiſſimam illam invitationem, quâ olim Sponſa dilectum ac cœleſtem ſuum Sponſum invitavit, ut in hortum ſuum dignaretur deſcendere, & fructum pomorum ſuorum deguſtare: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum*; cujus piæ ac juſtiſſimæ petitioni tandem acquieſcens Sponſus reſpondit

Cant. 5. 1.

*Veni*

Digitized by Google

*Veni in hortum meum, Soror mea Sponſa; meſſui myrrham meam cum aromatibus.* Magnum hîc latet myſterium; attentas arrigite aures.

Per hanc Sponſam rectè SS. Patres SS. Deiparam ſubaudiunt, quæ licèt optimè noviſſet, quæ & quanta Unigenito DEI Filio pro ſalute mundi conſummanda, per omnem vitæ curſum forent ſuſtinenda, cæleſtis tamen Patris voluntati humiliter obſecundans, hunc amantiſſimum animæ ſuæ Sponſum ardentiſſimè invitare non dubitavit, ut tandem ſecundùm promiſſa Patribus olim facta, de cœlo deſcenderet, & veniret in hortum ſuum, hoc eſt, per incarnationem in uterum ſuum virgineum ad comedendum fructum pomorum ſuorum, non infelix illud terreſtris paradiſi pomum, ex cujus comeſtione adhuc dentes poſterorum obſtupeſcunt, ſed fructum pomi illius, (hoc eſt, quod cauſavit illud pomum) nimirum dolores, gemitus, perſecutiones, injurias, ærumnas, verbera, flagella, ſpinas, crucem, mortem &c. Et placuit hæc tam ardens invitatio cœleſti Sponſo, qui ad vocem Virginis: *Fiat*, deſcendit de cœlis, venit in uterum ejus, tanquam in hortum omni virtutum genere excultiſſimum; *Et Verbum caro factum eſt*, ubi meſſuit myrrham cum aromatibus, per quam myrrham aſſidua Chriſti paſſio adumbrata fuit. Audite ſuperiùs memoratum Mellifluum: *Volve*, inquit, *& revolve vitam boni JESU, & non invenies eum niſi in cruce, ex quo enim carnem aſſumpſit, ſemper in pœna fuit, in amaritudine & anguſtia*, &c. S. Bernh. ſerm. de Paſſ. Dom.

Ex his collige, anime mi, quantum obligatus ſis tantæ Matri DEI & tuæ, quæ tibi non de condigno quidem, ſed tamen de congruo Chriſti, pientiſſimi Redemptoris tui, meruit incarnationem, & per conſequens & paſſionem, & tuam ſalutem. Juvat hîc audire Magnum Auguſtinum: *MARIA*, inquit, *multum gaudeo, multùm audeo; nos enim tibi, teque nobis mira viciſſitudo conſiderat, ut liceat pro nobis habeas id eſſe, quod es, nos verò per te id eſſe, quod ſumus; ſi enim nulla praceſſiſſet noſtra transgreſſio, non eſſet ſecuta noſtra redemptio, & ſi neceſſarium non eſſet redimi peccatorem, non eſſet neceſſarium parere Redemptorem*, &c. S. Auguſt. in ſerm. de Virg.

6. O puriſſima Virgo! quid ultra poſſum dicere de te? Ager es fœcundiſſimus, non trigeſimum, aut ſexageſimum, ſed centeſimum, imò & milleſimum fructum afferens, ex quo agro dulcis ille fructus, ſeu verum frumenti granum excrevit, pro omnium ſalute in cruce mortificandum. Vitis es fœcundiſſima; *Ego quaſi vitis fructificavi*; quæ Divinum illum botrum, Verbum incarnatum protuliſti, qui tandem in torculari crucis pro totius mundi redemptione ac ſalute uſque ad ultimam ſanguinis ſtillam expreſſus fuit: *Botrus Cypri dilectus meus.* Terra es illa benedicta, de qua Pſaltes vaticinatus eſt: *DEUS autem Rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Scio equidem, ô benedicta Inventrix gratiæ, ô Genitrix vitæ, ô Mater ſalutis! quod dulciſſimus Filius in medio terræ, hoc eſt, in monte Golgo-

Matth. 13. 23. Eccl. 24. 23. Cant. 1. 14. Pſal. 73. 12.

thæo (qui medium terræ dicitur) paſſus, & cruci affixus fuerit, atque in hoc loco omnium ſalutem operatus ſit; ſed & Sacratiſſimus uterus tuus, ita atteſtante Mellifluo, fuit illud medium terræ, in quo mundi ſalutem incepit operari: *Et tunc jam*, ſunt verba S. Bernhardi, *operabatur noſtram ſalutem in medio terræ, in utero videlicet Virginis MARIÆ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur; ad illam enim tanquam ad medium, ſicut ad Arcam DEI, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos, qui ſumus, & qui ſequentur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi, qui ſunt in cœlo, ut reſarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur, qui ſequuntur, ut glorificentur.*

S. Bernh. ſerm. 2. in Pentec.

7. Olim ad portam illam auream & ſpecioſam mendicus ille, & claudus ex utero Matris ſuæ, *quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa*, optatam & corporis & animæ ſalutem conſecutus eſt. Et nos quid aliud ſumus, quàm claudi in via virtutis, & miſeri mendici? ita D. Auguſtinus: *Omnes mendici DEI ſumus, ante januam magni Patrisfamilias ſtamus, imò & proſternimur, ſupplices ingemiſcimus, aliquid volentes accipere, & ipſum aliquid ipſe DEUS eſt.* Porta illa aurea & ſpecioſa B. Virgo & Mater DEI eſt, verè *porta cœli*, ad quam oportet nos ſedere, & mendicare, per illam enim acceſſum habemus ad Filium, à Filio ad Patrem: *Si peccata tua premunt te*, ait Mellifluus Bernhardus, *ut liqueſias ſicut cera à facie ignis, vade ad Matrem miſericordiæ, & oſtende ipſi vulnera, & ipſa pro te Filio ſuo oſtendet pectus & ubera, & Patri latus & vulnera; Pater non negabit Filio poſtulanti, neque Filius negabit Matri interpellanti, neque Mater negabit peccatori ploranti*; Civitas enim eſt refugii: O quàm *glorioſa dicta ſunt de te Civitas DEI!*

Actor. 3. 2. S. Auguſt. ſerm. 15. in Evang. Matth. de Verb. Dom. Gen. 28 17. S. Bernh. ſerm. 2. de Aſſumpt. Pſal. 86. 2.

Pro coronide hujus conſiderationis inveſtigare oportet adhuc aliquem conceptum, quare benigniſſimus DEUS, qui omnia ſuaviter ac prudenter ordinat in finem, pro primo & rebelli homine paradiſum illum voluptatis, ac locum deliciarum condere, eúmque tantopere exornare voluerit? Ad quid, obſecro, iſte ornatus? Nunquid præſcivit, Protoplaſtos brevi exinde eliminandos, imò & ipſum paradiſum in generali diluvio diſſipandum?


Rationem aſſignant SS. Patres, ut ex hoc figurante altiùs mente ad ipſum figuratum aſcenderemus, per illum enim paradiſum præſignata fuit SS. Deipara, MARIA, verè *paradiſus DEI*, ita S. Bernhardus: *Paradiſus deliciarum*, ita S. Ephrem: *Paradiſus voluptatis*, ita S. Bonaventura: *Paradiſus ſpiritualis ſecundi Adam*, ita S. Jacobus in Liturgia &c. Ad hunc ergo paradiſum properemus in noſtro exilio; non adſtat hìc Cherubim cum gladio ignito, atque verſatili; omnes acceſſum ad illum habemus. O pientiſſima Domina! reſpice in nos: *Ad te clamamus exules filii Evæ,*

S. Bernh. in precat. ad Virg. S. Ephrem. or. de Laude Virg. S. Bonav. in Spec. c. 2.

CON-

# CONSIDERATIO XIII.

## Mater amoris & doloris Verbo gravida, mirum in modum iratum Numen peccatoribus placavit.




Viſitavit nos oriens ex alto.
*Luc.* 1. 78.

1. PLuries in Sacris Litteris feliciſſimus Chriſti in carnem adventus orienti Soli comparatus eſt. Ita Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus*; & Zacharias: *Viſitavit nos Oriens ex alto*; hoc eſt, prout exponit S. Vincentius Ferrerius, *Viſitavit nos Oriens ex alto in incarnatione, ad inſtar ſolis illuminando mundum.* Solet autem ſol, velut ſupremus aſtrorum monarcha, mirum in modum annum & tempora diſtribuere; hinc cùm remotiſſimus à nobis eſt, & domum Capricorni, Aquarii & Piſcatoris in Zodiaco ingreditur, aſpe- (Mal. 4. 2. Luc. 1. 78. S. Vincent. Ferr. Fer. 5. poſt Lætare.)

 ram

ram ac triſtem hyemem annunciat. Cùm verò revoluto tempore ad ſignum Arietis & Tauri divertit, mox amœniora tempora & vernales reſerat delicias; ſi verò ſtationem Leonis ingreditur, ardentiſſimus exſtat, ſuaque geminat incendia. Verùm cùm ad ſignum Virginis divertit, mirum dictu? non modo ardorem ſuum ſuaviter temperat, ſed & fructus omnes facit matureſcere, & univerſæ naturæ optimam cauſare temperiem; hinc pro Symbolo noſtro ſolem in ſigno Virginis divertentem effingi curavimus, cum Lemmate: *Cœleſtes temperat iras*; vel ſi magis arridet:

## Jam mitiùs ardet.

Per hunc ſolem in ſignum Virginis ingredientem rectè Chriſtum Do-
S. Ambroſ. minum intelligimus, qui, quamdiu in veteri Lege tum naturali, tum Moſai-
ad cap 2. Cant. ca à nobis abfuit, aſpera & triſtis hyems extitit: *Ante adventum Chriſti*, ait S.
Ambroſius, *hyems erat*. Venit & in ſignum leonis, ubi ardorem iræ ſuæ in
Gen. 7. 17. peccatores terræ terribilem in modum effudit. Teſtatur hoc commune to-
Gen. 19. 24. tius mundi naufragium; ignes de cœlo lapſi, quibus etiamnum in ſuis cine-
Num. 21 6. ribus jacet Pentapolis; Serpentes igniti ac venenati; terræ repentini hiatus;
Num. 16. 13. tot ſanguinis in præliis effuſi maria; immiſſæ in gentes peſtilentiæ, & innu-
Geneſ. 19. 26. mera alia mala ac ſupplicia, quibus olim iratum Numen peccatorem, in fla-
Num. 20. 24. granti deprehenſum, non claudo ſed celeri pede opprimebat. Uxorem
Num. 12. 10. Loth conſule, ob levem culpam ſubitanea morte punitam; Moyſen & Aa-
3. Reg. 13. 24. ron, licèt amicos optimos, propter venialem diffidentiam ab ingreſſu Palæ-
Judic. 20. 46. ſtinæ excluſos; Sororem Moyſis Mariam ob levem murmurationem can-
Ezech. 5. 11. dente leprâ caſtigatam: Prophetam Legi DEI modicè repugnantem, à leone diſcerptum; Beniamitharum viginti quinque millia ob unius viri delictum gladiis trucidata; quæ plura & ſimilia Divini furoris monumenta, cùm aliquando Ezechiel attentiore mente conſideraſſet, humiliter DEUM deprecatus eſt, ut mitiorem vultum indueret, ſed loco reſponſi tulit: *Non parcet oculus meus, & non miſerebor.*

Verùm ubi venit plenitudo temporis, & Sol ille juſtitiæ, qui eſt Chri-
S. Antonin. ſtus DEUS noſter, ſignum Virginis ingreſſus eſt, dum humanam ab ea na-
p. 4. tit. 15. c. 22. turam & carnem aſſumpſit, mox DEUS iras ſuas temperare, & miſeris mortalibus placari cœpit; ita S. Antoninus: *Sol materialis*, inquit, *per mundum diſcurrens, ex ſigno leonis, quando eſt perfectiſſimus calor ejus ſuper terram, intrat in ſignum Virginis, ad innuendum, quod Sol juſtitiæ Chriſtus DEUS noſter ex tempore Veteris Teſtamenti, quando DEUS ultionem puniens terribiliter peccata, ex ferventiſſimo amoris calore intrans in uterum Virginis, totus factus eſt benignus, ſuavis & humanus.*

2. Pul-

2. Pulcherrimam de hac veritate figuram nobis exhibent Sacræ Litteræ. Conſidera, anime mi! quàm magnificus ac terribilis olim fuerit adventus DEI, cùm de cœlo in præruptum Sinai montem deſcendit, ut ibidem populo Iſraelitico Legem ſuam intimaret: *Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam; grando & carbones ignis.* Ubique tunc audiebantur tonitrua, ubique micabant fulgura, ubique clangor perſtrepebat buccinarum, populo interim univerſo præ timore & expectatione ad radices montis ferè exanimato: *Et totus mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne,* &c. Econtrariò cùm idem potentiſſimus DEUS & univerſorum Dominus in medio rubi ardentis Moyſi apparere dignatus eſt totum ſe manſuetum, totum benignum, atque pacificum demonſtravit: *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Res miranda & ſtupore plena! cur DEUS in monte Sinai adeò ſe terribilem, bellicoſum, & majeſtate plenum exhibuit, ad cujus conſpectum ne quidem aliquis Iſraelitarum audebat muſſitare, vel ad montem hunc ſanctum propiùs accedere, ſed rogabat populus Moyſen, ut ipſe locò omnium ad DEUM loqueretur: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur:* Econtra in monte Horeb in medio rubi ardentis & incombuſti inter ipſas ſpinas totum benignum ſe præbuit atque miſericordem. *Vidi,* inquiebat ad Moyſen, *afflictionem populi mei in Ægypto, & ſciens dolorem ejus deſcendi.* &c. Quæ, obſecro, ratio, & tantorum myſteriorum cauſa?

Pſ. 17. 14.

Exod. 19. 18

Exod. 3. 2.

Exod. 20. 19

Exod. 3. 7.

Obſerva, anima Chriſtiana! in monte Sinai ſe DEUS monſtravit ut ſummum Legislatorem ac Judicem, ſed in monte Horeb in humili rubo apparens, incarnationem ſuam voluit præſignari; quid enim aliud per rubum illum incombuſtum, & in flamma ignis illæſum, præfiguratum fuit, quàm SS Virgo MARIA? Ita ſancta Mater Eccleſia: *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem; DEI Genitrix intercede pro nobis:* in cujus puriſſimum uterum, ubi DEUS per incarnationem deſcendit, & homo factus eſt, mox totum ſe benignum, miſericordem & compaſſivum demonſtravit. Ita de Caſtillo: *In monte Sinai,* inquit, *nec in umbra adfuit MARIA, ſed in rubo erat DEUS velut in conſpectu Matris.* Hinc meritò Seraphicus Bonaventura SS. Cor Virginis & Matris DEI veram miſericordiæ venam appellavit, *quippe quæ ſtillavit è cordis venulis puriſſimi ſanguinis guttas, quibus formaretur Chriſtus, ad miſericordiam eximiè propenſus,* &c.

Brev. Rom ad laud. in Feſt. Circumciſ D.N.

I C. De Caſtillo de veſtib. Aaron. illat. 274.

S. Bonav. in Pſalt. Virg.

3. Hanc veritatem eleganti Symbolo adumbravit Jeſſæus Rex & Vates, dum Meſſiam, dilectum DEI Filium in carne venturum, unicorni, ſeu monoceroti aſſimilavit: *Et dilectus quemadmodum Filius unicornium.* De hoc animali recenſet S. Iſidorus & alii, quòd inter omnia animalia ſit ferociſſimum, & inſuperabili virtute præditum, quod nec blanditiis, nec minis, nec telis ob duram pellis loricam, nec alio humano labore ac ſtudio capi poteſt;

Pſal. 28. 6.

S. Iſidor. Lib. 12 c. 22.



Digitized by Google

ſed cùm venatores illi Virginem caſtam ac ſpecioſam,eleganti veſtimentorum apparatu condecoratam,& odoriferis imbutam aromatibus in deſerto proponunt,mirum dictu! mox omni ferocitate depoſita,in ſuavem illius odorem currit,atque in ejus ſinum placidè ſeſe demittens, ſomnum capit, in quo ad inſtar agni manſueſcit, facilique conatu capitur,& vitâ unà cum cornu (quò nihil pretioſius aut præſtantius juxta medicorum effatum contra venenum eſſe ſolet) privatur,cui unicorni,in ſinu Virginis placidè quieſcenti,quidam Academicus non incongruè pro Lemmate inſcripſit: *Virgineo placatur amore*; & alius: *Cum Virgine cicur*:

O beatiſſima Virgo! tu illa caſtiſſima puella es, omnium mortalium Sanctiſſima, cujus puriſſimum Cor ob peculiarem omnium virtutum fra-
Num.23.22. grantiam ipſum immenſum Numen, *cujus fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis*, de ſummo cœlo è ſinu Patris ad ſe in terram attraxit,ut non tantùm homo fieret,& de virgineo ſanguine carnem aſſumeret,ſed & tandem pro bono generis humani in ara crucis innocens immolaretur victima,ubi nobis *cornu ſalutis*,hoc eſt,SS. crucem, præſentiſſimum contra omne peccati virus
Pſal. 21. 6. remedium ac pharmacum,ad medelam reliquit: *Dilectus quemadmodum filius unicornium.*

4. De fortiſſimo Samſone refert Judicum Liber,quòd in ſinu Dalilæ omnem ſuam fortitudinem ac corporis robur amiſerit, unde facilè à Phili-
Judic.16.19. ſtæis captus,ligatus & in ſervitutem redactus eſt: *At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput*, &c. Ignoſce, ô Sacratiſſima Virgo, & Mater intemerata, ſi dixero,ipſum Omnipotentem DEUM,ſub quo curvantur, qui portant orbem, in ſinu tuo inermem & imbecillem factum,omnique fortitudine ac robore ſpoliatum, *qui ab eo tempore*, pro-
S. Chryſol. ſerm. 7. ut rectè inſinuat S. Chryſologus, *amari maluit, quàm timeri.* Audi & doctiſſimum Alphonſum Salmeronem: *Stilla cordis humani*, inquit, *præſertim*
Alphonſ. Salm. To. 3. Tract. 9. *Cordis Virginis mitiſſimi, ſunt præ quovis alio totius corporis ſanguine dulciſſimæ, ſuaviſſimæ, & velut ex pietate compoſitæ: & ideò, cùm Filius DEI ex hoc ſanguine ſuam formârit humanitatem, quomodo poterat non eſſe miſericors, benignus & compaſſivus, qui ex compaſſione & miſericordia MARIÆ Matris ſuæ erat compoſitus*, &c.

5. Vis plura hujus veritatis argumenta? Sponſam audi, & conſidera, nunc dilectum Sponſum ſuum faſciculo myrrhæ, nunc botro Cypri aſſi-
Cant. 1. 12. milantem: *Faſciculus myrrhæ*, inquit, *Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*; & mox in ſequenti verſu ſubjungit: *Botrus Cypri Dilectus meus.* Mirabile dictu! & res digna notatu! quid ais, ô Sacra Sponſa,quòd faſciculus myrrhæ & ſimul botrus Cypri ſit tuus dilectus? Quid amarius myrrhâ, & quid dulcius Cypri botro? Quomodo conveniunt amarum & dulce?

Ad

Digitized by Google

Ad dilucidandum hunc conceptum apprimè inſervit, quod Medici & Philoſophi de prolis ablectatione tradunt, quæ à matris lacte, ſimul & de natura, & moribus ejuſdem, ut plurimum hæreditare aſſolet. Romulum & Remum conſiderate à lupa lactatos, & ſimul feros ejus ac brutales mores induentes. Sic Tiberius Nero cur bibulus factus ſit, cauſam Scriptores ejus bibulæ nutrici adſcribunt. Et Caligula cur adeò ferox & ſanguinolentus evaſerit, cauſam ejus altrici imponunt, quæ, dum infanti lac præbuit, mamillas ſuas ſimul recenti humano ſanguine conſperſit, ſicque lac cum ſanguine infans potavit.

O dulciſſima Virgo & Mater intemerata! quàm longè ſuaviora ac mitiora fuerunt tua caſtiſſima ubera, quibus cœlorum Regem ac Dominum univerſorum lactâſti: Nihil hìc auſteri, nihil fellis, nihil amaritudinis reperiundum erat, ſed totum Cor tuum nil niſi perfectiſſimum amorem, & ſummam ſpirabat clementiam ac benignitatem; quid igitur mirum eſt, quòd dulciſſimus JESUS tuus etiam tam amabile, tam benignum, tam gratioſum ac pacificum Cor à te hæreditaverit? quænam enim major ſympathia fuit, aut eſſe potuit, quàm quæ in SS. CORDE JESU & MARIÆ extitit? Si verum eſt, quod tradunt Juriſconſulti, filios ut plurimùm matrizare, non potuit optimus JESUS non penitus matrizare, dum tu illi & Mater & Pater fuiſti, & ſic quodammodo una utriusque complexio, unum cor & naturæ identitas extitit. Ita pulcherrimè B. Petrus Damianus: *DEUS*, inquit, *ineſt uni creaturæ, videlicet MARIÆ Matri ſuæ identitate, quia idem eſt cum illa; hic taceat, & contremiſcat omnis creatura, & vix audeat aſpicere tantæ dignitatis immenſitatem. Habitat DEUS in Virgine, cum qua naturæ habet identitatem*, &c.

B. Petr. Damian. in ſerm. 2 de Nativ.

Ex his, prudens Lector, facilè erues ſolutionem prioris argumenti, quòd pientiſſimus JESUS à Sponſa faſciculo myrrhæ & ſimul botro Cypri fuerit comparatus: Faſciculus myrrhæ, ait Richardus à S. Laurentio, fuit Chriſtus in Lege, dum tunc DEUS cum impiis ac ſceleſtis peccatoribus ſine mora, & vehementi cum impetu proruebat ad ſupplicium; ſed nunc in Lege gratiæ DEUS & Homo Chriſtus, hærens in utero ac inter ubera virginea dilectiſſimæ Matris ſuæ, factus eſt velut maturus Cypri botrus mitis ac dulcis, miſericors & compaſſivus erga miſeros mortales, dum nunc omnes, non tantùm juſtos, ſed & peccatores, ad SS. COR ſuum peramanter ac ſuaviſſimè invitat: *Venite ad me omnes*, &c. O ſanctiſſima Virgo, quantùm tibi obligatus eſt univerſus terrarum orbis, dum non duntaxat, prout loquitur S. Thomas Villanovanus, *DEUM protuliſti & hominem, eumque tua pulchritudine & decore e cœlis allexiſti*, ſed & mirum in modum eum peccatoribus placâſti, ac propitium reddidiſti: *Cùm te aſpicio*, ſubintrat hìc verè Mellifluus Doctor Bernhardus, *nil niſi miſericordiam cerno, nam pro*

*miſeris*

Richard. à S. Laur. lib. 4. de Laud. Virg.

Matth. 11.

S. Thom. Villan. Conc. 1. de Nat. Chr.

S. Bernh. ſerm. 2. ſup. Salv. Reg.

*miſeris Mater DEI facta es*; *miſericordiam inſuper genuiſti*, *& demum tibi miſerendi officium eſt commiſſum*. O dulce ſolamen! quis non ſperet in SS. Corde MARIÆ? O quàm innumeri periiſſent, & jam in æternis arderent ardoribus, ſi per potentiſſimam interceſſionem hujus ſuaviſſimæ Virginis ac Matris DEI non fuiſſent ab interitu ſervati!

6. Laudent alii, atque ſuper æthera extollant manſuetiſſimum Cor Reginæ Eſther, ad quam Aman, cùm ſibi à Rege malum paratum cerneret, venerabundus accurrens, ad lectulum ejus tremebundus in genua procidit, humillimè rogans, quatenus iram Regis dignaretur temperare, & à ſe avertere: *Surrexit, ut rogaret Reginam pro anima ſua*: &c. Sed nihil impetravit miſer & infortunatus, non enim tanta erat hujus Reginæ pietas, ut ſe ipſam vinceret, ac pro inimico ſuo patrocinaretur. O mortales omnes! erigite vos in novam ſalutis ſpem, major eſt miſericordia, major amor virginei Cordis MARIÆ, dum neque infenſiſſimos hoſtes à ſe abigit: *Verè Domina*, ait S. Bonaventura, *Regina es miſericordiæ*, *quia non eſt in hac vita ſic deſperatus, ſic miſer, cui non impetres miſericordiam ſalutarem, ſi ad tuum declinaverit regimen* &c. Quis igitur de ſalute deſperet? Certè ego non.

Eſther 7. 7. S. Bonav. in Stim. Div. amor. p. 3. c. 19.

Hanc pientiſſimi Cordis Mariani clementiam jam olim in umbra & figura expertus eſt Pincerna ille regius in aula Ægyptiaca Pharaonis, qui ideò à perditione & à laqueo mortis tam miſericorditer erutus, atque in priſtinum dignitatis ac proſperitatis gradum reſtitutus eſt, quia ſpecioſam quandam vitem in ſomno vidit: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere, calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expreſſi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*, &c. per quam gratioſam vitem ſanctus Iſichius appoſitè beatiſſimam Virginem ac DEI Matrem MARIAM intelligit, de cujus fœcundo, ac puriſſimo Corde dulcis ille fructus & verus Cypri botrus, hoc eſt, Chriſtus JESUS, promanavit, qui in torculari crucis ad ultimam usque ſanguinis ſtillam pro ſalute mundi expreſſus eſt. Audi ipſam SS. Deiparentem: *Ego*, inquit, *quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris*. Supra quod Cornelius: *Vitis*, ait, *eſt Deipara, quæ uvam pretioſiſſimam protulit, puta Chriſtum, ex quo in torculari crucis preſſo, expreſſum eſt vinum rubrum, quod inebriat omnes fideles*, &c.

Geneſ. 40. 9. S. Iſich. ſerm. 2. de B. V. Eccl. 24. 23. Cornel. hic.

7. Cæterum inveſtigant Sacri Doctores, qualis ille calculus ignitus fuerit, quem olim Iſaias Propheta vidit ab Angelo in cœlo forcipe aurea ab altari, in quo DEO T.O.M. ſuaviſſimum & redolentiſſimum offerebatur thymiama, ſublatum, ad cujus Prophetæ oris & labiorum attactum mox omnis ejus iniquitas dimiſſa eſt: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari*, &c. Ad quod SS. Patres communiter reſpondent, quòd calculus ille ignitus carbunculus fuerit, gemma omnium pretio-

Iſa. 6. 6.

Digitized by Google

pretioſiſſima, ardens & lucens, velut pruna ſeu carbo accenſus, quem Angelus de altari forcipe aureâ reverentiæ causâ tulit, & ope illius labia, imò & cor prædicti Vatis mundavit. Juvat hîc audire Cornelium à Lapide, qui per præfatum calculum ignitum VERBUM INCARNATUM ſubaudit: *Calculus*, inquit, *hic nos accendens eſt Chriſtus, ſicut enim ignis unitur carboni, & carbo igni, humanitas unita eſt Verbo, ut Verbum incarnatum ſit quaſi carbo ignitus*: Per forcipem autem illam auream rectè S. Anaſtaſius SS. Deiparam intelligit: *Forceps autem Chriſti per duas pinnulas eum tenens, eſt intemerata ejus Mater*; & quomodo forceps: Obſerva: Sicut enim carbo ſuccenſus ſine læſione manuum contrectari & teneri non poteſt; ita quondam DEUS (quia *Dominus DEUS tuus ignis conſumens eſt*) à nulla alia creatura, quàm à SS. Matre ſua teneri, & placari potuit: *Tenui eum, nec dimittam*; ſupra quæ verba Richardus à S. Laurentio: *Tenui eum, ne ſcilicet percuteres peccatores, nec dimittam, ſed continuâ precum inſtantiâ furorem ipſius retinebo.* Et S. Antoninus Florentinorum Archiepiſcopus: *In Veteri Teſtamento*, ait, *erat DEus, ut leo rugiens, DEUS ultionum peccatores terribiliter puniens, ut patet exemplis in Sacris Litteris, ſed ferventiſſimo amoris calore in uterum Virginis intrans, factus eſt totus benignus ſuavis & humanus.*

Cornel. hîc. & alii.
S. Anaſtaſ. in dicta verba Iſa. cap. 6. 6.
Deut. 4. 24.
Cant. 3. 4.
Richard. à S. Laur. lib. 2. de Laud. Virg.
S. Antonin. 4. p. tit. 15. §. 4.

Finem huic Conſiderationi imponat Abiathar Sacerdos, vir morte digniſſimus, quia legitimo Regi ſuo rebellis, ſed ideò à Salomone in vita ſervatus, quia Arcam Domini coram Patre ſuo Davide portavit: *Abiathar Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum; equidem vir mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portâſti arcam Domini, &c.* O pientiſſima Virgo & Mater! tu es animata illa arca Domini, in qua ipſe DEUS & Homo Chriſtus per novem menſium circulum placidiſſimè quievit: *O quàm multi*, exclamat doctiſſimus Novarinus, *in infernum eſſent truſi, niſi hanc portâſſent arcam in corde ſuo, &c.* O Chriſtiani omnes, præſertim illi, qui aliquando in vita ſua graviore noxa DEUM ſuum, ſummum illud & infinitum Bonum offenderunt, ite, ite ad SS. Matrem veſtram, ut vobis iratum Numen mitiget, atque reconciliet, non enim eſt auditum à ſæculo, quòd ille ab hac dulciſſima Deiparente fuerit derelictus, qui devotus ejus ſervus in vita extitit: *Non eſt*, ait Seraphicus Doctor, *in hac vita ſic deſperatus, cui non impetres miſericordiam ſalutarem, ſi ad tuum declinaverit regimen, &c.*

3. Reg. 2. 26.
Novarin. in umbrâ Virg.
S. Bonav. in Stim. Div. amor. p. 3. cap. 19.

# CONSIDERATIO XIV.

## Expenditur charitas Matris amoris & doloris, dum DEO gravida Eliſabetham cognatam viſitavit.




Exurgens autem MARIA in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda.

*Luc.* 1. 39.

1. ABraham Patriarcharum Princeps & decus, ubi quondam tres illos Angelos, ſpeciem peregrinorum indutos, ad ſe de longè venientes conſpicatus eſt, ſine mora de oſtio tabernaculi ſui, in quo ſub meridiem & prandium ſedere conſueverat, ſurrexit, *& cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram.* Cor. 18. 2.

Adverte hic, anime mi! ingentem Abrahami charitatem & ſolertiam, quâ hoſpites & peregrinos excipere ſolebat, dum enim ſagenam ſuæ hoſpitalitatis expandit, non homines ſed Angelos ad hoſpitium recipere meruit; &

quia

quia eos Legatos DEI eſſe credidit, ideò illos humiliter in terram proſtratus adoravit, & ad frugale convivium invitavit. Nullus hîc erat in domo Abrahami otioſus, ſed omnes ad exemplum Patris familias ſua accelerabant obſequia, ut tanti hoſpites dignè exciperentur; ita ad rem noſtram peraccommodè antiquiſſimus Origenes: *Abrahamus*, inquit, *currit, uxor feſtinat, puer accelerat, nullus eſt piger in domo Sapientis.* Orig. Hom. 40. in Gen.

A domo Abrahami ad domum Zachariæ tranſeamus. Poſtquam Archangelus legationis ſuæ officio peracto, & verbo DEI incarnato, à Virgine diſceſſit, illico hæc SS. Virgo de viſenda B. Eliſabetha cognata ſua, quam in ſumma ſenectute ex ſingulari DEI beneficio filium concepiſſe ex Angelo intellexerat, conſilium cœpit; in quem finem de domo ſua Nazarethana (quæ nunc Laureti eſt) *exurgens abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth.*

O anima Chriſtiana! ſi vidiſſes hic SS. Virginem, mundi Dominam & cœli Reginam, ipſum DEUM in forma puſilli infantuli in utero ſuo geſtantem, & per excelſa ac aſpera montana cum feſtinatione abeuntem, ut S. Eliſabetham amiciſſimè ſalutaret, eique pro poſſibili inſerviret, atque Joannem in materni uteri ergaſtulo incluſum, per præſentiam Verbi Incarnati à peccato originali expiaret; quid, obſecro, præ ſtupore & exultatione mentis dixiſſes? An non quaſi à ſenſibus alienata exclamâſſes: *Manhu, quid eſt hoc?* Interim, ſicut quondam in domo Abrahæ, ita hic in domo Zachariæ parantur omnia, ut tanta Mater & hoſpes, imò ipſe DEUS in utero virgineo abſconditus, digno quo fieri poſſet, obſequio exciperentur; nullus hic aderat otioſus; currit Eliſabetha ad dilectos cognatæ amplexus: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini ad me?* Currit & Zacharias in occurſum ejus de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram, & licet tum adhuc mutus eſſet, Divinorum tamen myſteriorum non ignarus fuit, &c. Exod. 16. 15.

Nos interim his ſanctiſſimis Matribus, ſe invicem ſalutantibus, & arctis charitatis, amicitiæque nexibus amplexantibus, pro Emblemate duas Palmas erigamus, quæ ſe invicem, prout ſolent, reſpiciunt, faſtigia ſua inclinantes, ac mutuis oſculis ſeſe invicem ſalutantes, cum inſcripto Lemmate:

## Blandâ ſe pace ſalutant.

Talis palma B. Virgo & Mater DEI extitit, ita Divinus Sponſus: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, per quam ejus celſitudo animi præſertim in adverſis & paſſione Chriſti adumbrata fuit; ſed & ſancta Eliſabetha palmæ comparari poteſt, de qua Lemma fert: *quò annoſior, fructuoſior*, quod patet in S. Eliſabetha. Verùm progrediamur ulteriùs. Cant. 7. 7.



Digitized by Google

2. Inter alia Divinæ Potentiæ prodigia non minimum illud eſt, quòd olim populus Iſraeliticus ſicco pede Jordanem tranſierit, ubi ex una parte aquæ adinſtar montis in aëre pendulæ ſteterunt, ex altera verò in mare mortuum declinârunt; interim tum populus univerſus cum armentis & impe-
Joſ. 4. 11. dimentis pertranſit, Arca in medio Jordanis firma ſtetit; & tandem *cùm tranſiiſſent omnes, tranſivit & Arca Domini.* Supra quod doctiſſimus Toſtatus Abulenſis ex traditione Hebræorum recenſet, Arcam Domini tunc potiùs
Abulenſ. hic volâſſe, quàm tranſiiſſe Jordanem: *Elevata eſt Arca in ſublime, & volavit ſuper Jordanem, &c.*

A figurante ad figuratum tranſeamus. Arca Domini juxta mentem SS. Patrum B. Virgo eſt: *Arca*, inquit S. Chryſippus, *quæ excepit totius ſanctitatis theſaurum.* Arca illa Teſtamenti ex omni parte puriſſimo auro erat
S. Chryſip. Orat. de Virg. contecta, *in qua urna aurea, habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat*, aſſervabantur; per aurum charitatem Sacratiſſimæ Deiparæ in DEUM &
Hebr. 9. 4. proximum ſubaudi, per virgam Aaronis ſemper floreſcentem ejus perpetuam virginitatem, & per manna dulciſſimum Filium JESUM, quem in utero
Joan. 6. 51. geſtavit, qui de ſe ipſo ait: *Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.* Hæc, inquam, Arca myſtica & animata, verè Arca Sanctificationis, ubi ex Archangelo intellexit, cognatam ſuam B. Eliſabetham ex ſingulari DEI dono in ſenectute ſua concepiſſe Filium, mox ſurrexit de dulciſſima contemplationis quiete, & abiit cum feſtinatione, imò *volavit* in montana, ut Eliſabethæ non tam de hoc dono divinitus conceſſo, gratularetur, quàm & illi nunc ſeni & gravidæ ſua deferret obſequia: *Beata Virgo*, ait Sylveria, *charitate vulnerata non potuit quieſcere, quin cognatam inviſeret, ac præſentiâ, gratiâque ſuâ adjuvaret, & ut Joannes adventu Verbi ſanctificaretur.* Admirare hîc, anima Chriſtiana, Divinæ Matris humilitatem & charitatem, atque ingentem illius zelum, quo Joanni Baptiſtæ per præſentiam VERBI ſuccurrere voluit, ut eò citiùs ab originali noxa, & dæmonis ſervitute liberaretur; atque diſce ab ea, non duntaxat propriam quietem ac commoditatem, cùm agitur de ſalute animæ, contemnere, ſed & quævis etiam dura & aſpera pro unius animæ lucro tolerare, memor ſemper illius, quòd B. Jacobus pro coronide ſuæ Epiſtolæ Ca-
Jac. 5. 20. nonicæ inculcavit: *Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

3. De ape recenſet Eccleſiaſticus, quòd quidem parva & exigua inter cætera cœli volatilia exiſtat, ſed tamen fructus ejus, ſeu mel, quod conficit,
Eccl. 11. 3. inter omnes dulcedines primas teneat: *Brevis*, ait, *in volatilibus apis; & initium dulcoris habet fructum ejus*; ſolet autem apis, prout Plinius & alii argutè obſervant, cùm vehementior ventus inſtat, lapillum ſibi quærere, quem domum remeans, ut adversùs ventos ponderoſior fiat, pedibus geſtat, & ſic ſecura per ventorum furias ad alveare ſuum penetrat; proinde nonnemo ejus-
modi

Digitized by Google

modi apiculæ lapillum pedibus contra luctantes Euri rabies tenenti, pro Lemmate inſcripſit: *Dat vires pondus*; vel ſi magis arridet: *Sine pondere pondus.*

O beatiſſima Virgo, & Mater pulchræ dilectionis, tu ſimilis facta es ejusmodi apiculæ argumentoſæ, dum Deo gravida in montana conſcendiſti, portans tecum in utero lapillum ſine manibus de ſum̃o cœli monte deciſum, hoc eſt, illum lapidem angularem, Chriſtum, de quo Daniel non obſcurè vaticinatus eſt: *Donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam... qui factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Ex cujus myſtici lapidis geſtatione non modò nullum pondus ſenſit alma Virgo, ſed potiùs majus robur ac vires contra omnes ventorum mundanorum & infernalium furias accepit, unde Lemma: *Dat vires pondus*: vel ſi mavis: *Sine pondere pondus.* Subintrat hîc pro veritatis confirmatione S. Bernhardus: *Non miror*, inquit, *quòd feſtinàrit, portans enim portabatur ab eo, qui omnia in manu ſua portat, quique exultavit ut Gigas ad currendam viam ſuam.* Et in eodem loco interjectis quibusdam idem Mellifluus: *In ipſo*, ait, *conceptionis initio, quando potiſſimum cætera mulieres miſerabiliùs affliguntur, MARIA tota alacritate montana conſcendit, ut Eliſabeth miniſtraret. Sed & aſcendit Bethleem, imminente jam partu, portans pretioſiſſimum illud depoſitum, portans onus leve.* Collige ex his, anima Chriſtiana, pro te ſenſum moralem, quàm ſuave onus & jugum Chriſti eſſe ſoleat, & quàm bonum ſit ſervire DEO; ô ſi cognoſcerent mortales, ac præſertim illi, in quorum cordibus DEUS abſconditus & Euchariſticus verè quotidie manſionem facere aſſolet, quàm ſuavis ſit Dominus, & quomodo omnia poſſint in eo, qui illos confortat.

Dan. 2. 34.

S. Bernh. ſerm. in Signum magnum &c.

4. De ape ulteriùs refertur, & ipſa probat experientia, quòd floribus & herbuſculis non ſoleat eſſe oneroſa, ſed delibato nonnihil ſuavi illorum ſucco & odore cum gaudio revertatur ad propria, unde aliud lemma: *Viſitat; haud vitiat.* O quàm bene hoc iterum de SS. Virgine, Zachariæ & Eliſabethæ domum viſitante applicare poſſumus: *Viſitat; haud vitiat*, quinimò profectum virtutum omnium in hac domo promovit, ſiquidem ad ejus adventum Chriſti Præcurſor, nunc à labe originali mundatus, læto aſſaltu feſtum plauſum dedit; Mater ejus Spiritu Sancto repleta eſt, & Pater Zacharias defectæ loquelæ uſum cum dono Prophetiæ recepit. Et ut meliùs agnoſcas ſedulitatem hujus apis argumentoſæ; obſervat Cornelius à Lapide, quòd in hoc quadriduano itinere tertio die in tranſitu templum Hieroſolymitanum devotiſſimè viſitaverit, à Nazareth enim usque in Jeruſalem iter tridui eſſe ſolet, & à Jeruſalem usque in Civitatem Juda, hoc eſt, in Hebron, iter unius diei; exiſtimat ergo præfatus Cornelius, & plures alii, quos citat, B. Virginem in templo Hieroſolymitano Divinæ Majeſtati pro immenſo hoc incarnationis beneficio ſummas egiſſe gratias, & JESUM, Filium jam conceptum & accreſcentem, ſeque ipſam in holocauſtum, & victimam amoris obtuliſſe.

Cornel. hic in Luc. 1. 39.



Digitized by Google

O anime mi! quando tu aliquando fies vera Divini amoris victima? quoties te offers Deo in holocauſtum, ut tecum agat pro libitu & pro ſua Sacratiſſima voluntate; & venit parvula tentatio, & iterum in fervore ſuccumbis miſer & inconſtans? An non hoc eſt, de quo olim Iſaias vaticinatus eſt: *Quia venerunt Filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.* Eja anime mi, reſume animum, mœſtumque mitte timorem, quia dignus eſt DEus, ut illi ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus inſervias.

Iſa. 37. 3.

5. Recordor hic illius pretioſi ferculi, quod Regum ſapientiſſimus ſibi quondam fieri curavit, quod non tam vehiculum ſeu lecticam, quàm & thronum regium præ ſe ferebat, quo Salomon de die per urbem vehebatur, ſuamque gloriam & magnificentiam populo oſtentabat: *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani; columnas ejus fecit argenteas; reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum; media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem.* Singula innuunt, & indicant aliquid, attentum te eſſe cupio, prudens Lector!

Cant. 3. 9.

Per hoc ferculum rectè B. Virgo, cùm nunc DEO gravida in montana conſcendit, intelligi poteſt. Ferculum, inquam, fuit pretioſiſſimum, dum DEUM & Hominem Chriſtum, *qui plùs eſt quàm Salomon,* in SS. utero ſuo novem menſium ſpatio geſtavit. Erat autem illud ferculum Salomonis de lignis Libani, omnis corruptionis expertibus; *Libanus* idem Hebraicè, quàm *Candor* ſignificat; quid autem candidius & purius DEI Matre, quam ſplendor elegit, de cujus puriſſimo ſanguine, omnis corruptionis experte, à Spiritu Sancto Humanitas Chriſti formata eſt? Columnæ hujus myſtici ferculi fuerunt duo brachia, vere argentea, quia virginea, quibus ſtringebat DEI & ſuum Filium dulciſſima Mater. Reclinatorium pectus ejus ſuaviſſimum, ſupra quod ſe reclinans parvulus tam ſuaviter inter ubera Mariana requievit, non obſcurè adumbravit; ô verè *faſciculus myrrha Dilectus meus: inter ubera mea commorabitur!* Aſcenſus purpureus internum illud fuit B. Viriginis & Matris DEI martyrium, quod per omnem vitam ejus cor & animam torſit, & afflixit, non enim ignorabat hæc SS. Deipara, hunc ſuum ſuaviſſimum Natum ideò veniſſe in mundum, ut per immenſum ſanguinis ſui pretium & mortem crucis ſalvaret populum ſuum: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Juvat hic audire Rupertum Abbatem Tutienſem in perſona Virginis ita ad nos loquentem: *O commoratio, dulcis quidem, ſed plena gemitibus inenarrabilibus! ad ubera de foris ſtringebatur, & eiſdem lactabatur uberibus, ſimulque inter ubera intus in corde futurorum præſcio, ſemper parebat* (apparebat) *quaſi eſſet morte moriturus.*

Matth. 12. 42.

Cant. 1. 12.

Matth. 1. 21.

Rup. Abb. lib. 1. in civit. cap. 1.

Denique addit Sapiens: *Media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem*; textus Hebraicus legit: *Et medium tenet ipſe incenſus amore*; hoc eſt, prout exponit Cornelius & alii, Chriſtus, qui totus eſt amor & ardor, medium Cordis SS. Matris ſuæ occupat, & in eo quaſi in throno regali conſidet, ſuam-

Digitized by Google

ſuámque charitatem diffundit in filias Jeruſalem,ſeu in animas devotas, ad SS.Matrem ſuam in difficultatibus recurrentes, ipſa enim propter dignitatē VERBI INCARNATI à DEO electa eſt Mediatrix DEI & hominum, ita pulcherrimè Mellifluus: *Ipſa*, inquit, *Mediatrix noſtra eſt, per quam ſuſcipimus miſericordiam tuam DEUS, &c.* O Chriſtiane! quis non æſtimet, non colat, non amet talem ac tantam Matrem? Si quondam lectulum, in quo de nocte cubabat Sponſus, ſexaginta ex fortiſſimis ambiebant propter timores nocturnos; quot putas Angelorum millia ſtipâſſe latus MARIÆ, dum in ejus caſtiſſimo ſinu, ceu in lectulo ſuaviſſimo requievit DEUS & Homo Chriſtus, univerſorum Dominus? S. Bernh. ſerm. 2. de Aſſumpt. B. Virg. Cant. 3. 7.

6. His conſideratis conſiderandis, non miror amplius, quare Joannes, dilectus Chriſti Præcurſor, adhuc tenellus infans in utero materno adeò exultaverit, & tam inſolitò gaudio fuerit perfuſus, cùm Matrem DEO gravidam præſentem advertit. David Rex cùm Arcam Fœderis ſolenni pompâ à domo Obededom in Sion transferret, coram ea totis viribus ſaltâſſe perhibetur: *Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Cauſam hujus ſaltûs aſſignat S. Ambroſius, quia David ſuperiori lumine illuſtratus, per illam Arcam Fœderis prævidit SS. Virginem MARIAM ex germine & ſanguine ſuo oriundam, quæ ſola Chriſti & Meſſiæ digna Mater eſſet futura: *Ergo*, inquit, *ſaltavit Propheta David ante Arcam, Arcam autem quid niſi ſanctam MARIAM dixerimus? Siquidem Arca intrinſecus portabat teſtamenti tabulas, MARIA autem ipſius teſtamenti geſtabat hæredem. Illa intra ſemet Legem, hæc Evangelium retinebat. Illa DEI vocem habebat, hæc Verbum, &c.* Si hoc olim in umbra David; quid, obſecro, feciſſet, ſi SS. Virginem MARIAM, Arcam illam animatam, & DEUM in utero geſtantem præſentem vidiſſet? 2. Reg. 6. 14. S. Ambroſ. ſerm 25. de Sanct.

O quàm benè igitur exultavit præ gaudio S. Joannes: *Et factus eſt, ut audivit ſalutationem MARIÆ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth.* Supra quod antiquiſſimus Origenes: *Unde*, inquit, *exilivit? Et non ſimpliciter exilivit, ſed in gaudio? Senſerat enim veniſſe Dominum ſuum, ut ſanctificaret ſervum ſuum, antequam de Matris utero procederet.* Vide hìc, & perpende, anima Chriſtiana, quàm efficax fuerit ſalutatio & precatio B. V. MARIÆ. O quàm bene Eccleſiaſticus: *Sicut qui theſaurizat, ita qui honorificat Matrem,* ac præſertim illam Matrem, per quam nobis omne bonum in mundum venit, & ipſe DEI Filius ad nos de cœlo deſcendere dignatus eſt; proinde rectè Angelicus: *B. Virgo ex hoc quod eſt Mater DEI, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt DEUS; & ex parte non poteſt fieri melius, ſicut non poteſt eſſe aliquid melius DEO.* Luc. 1. 41. Origen. hìc. Eccl. 3. 5. S. Thom. Aqu. 1. p. qu. 25. a. 6. ad 4.

O pien-

Digitized by Google

O pientiſſima Domina! O Mater DEI & hominis! Mater Regis &
exulis! Mater Judicis & peccatoris! quid ultra habet ſervulus tuus, niſi ut ſe
valde humiliet coram te? *Tu es illa navis inſtitoris, de longe portans panem ſuum.*
Prov. 31.14. Syrus legit: *Tanquam navis mercatoris, de longinquo mercimonia advehens.*
Talis, inquam, navis & tu, ô Beatiſſima, extitiſti, dum in montana conſcen-
dens, de longè panem illum vivum, per quem omnia reficiuntur, ad nos de-
portâſti. Et ſi quondam ad præſentiam Arcæ fœderis domus Obededom
2. Reg. 6. 11. omni benedictione repleta eſt: *Et benedixit Dominus Obededom, & omnem
domum ejus.* Si domus Putipharis ob præſentiam Joſeph pari benedictione
Geneſ. 39. 5. à DEO cumulata eſt: *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joſeph*,
&c. Si domus Labani propter præſentiam Jacob ſimilem benedictionem à
Gen. 30. 27. benigno cœlo obtinuit: *Experimento didici, quia benedixerit mihi DEUS pro-
pter te.* Quænam mens, obſecro, cogitare, aut explanare poterit, quali be-
nedictione dotata fuerit domus Zachariæ ob actualem præſentiam Chriſti
Cant. 2. 9. JEſu, tunc *ſtantis poſt parietem, reſpicientis per feneſtras, proſpicientis per cancellos,*
& ob præſentiam SS. Virginis MARIÆ, tribus ibidem menſibus & quid ul-
S. Bernh. ſerm. de S. tra commorantis? *Manſit enim MARIA cum Eliſabeth,* ſunt verba S. Bern-
Joan. hardi, *uſque ad diem nativitatis Joannis; donec puerum natum ſinu beatiſſimo con-*
Bapt. & Car- *foveret, & uno pariete remoto propinquiorem redderet præſentiæ Salvatoris.* O
thuſ. Tom. 1. de B. V. dicitè, cœleſtes Spiritus! quis tunc vobis erat ſenſus? Zacharias jure meri-
l. 6. hom. 1. tiſſimo dicere poterat cum Sapiente: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter*
Sap. 7. 11. *cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius,* &c. O benedicta inter mu-
lieres, quæ inveniſti gratiam apud DEum; ah impetra & mihi indigniſſimo
ſervulo tuo gratiam Divinam, ut DEO meo ex toto corde poſſim
inſervire, eúmque in æternum tecum
laudare &c.

CON-

# CONSIDERATIO XV.

Virgo Doloroſa Filium ſuum parit, quem reclinat in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.




In propria venit, & ſui eum non receperunt.

*Joan.* 1. 11.

1. ABraham Patriarcharum Primas, ut filio ſuo Iſaac condignam Sponſam ſeligeret, Eliezer, primarium ſuum atque fidelem Miniſtrum, in Meſopotamiam amandavit, qui inveniens formoſam Rebeccam, eam Filio Domini ſui deſponſavit, in cujus rei fidem ei ſacratas arrhas, inaures aureas, & pretioſas armillas dedit: *Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, & armillas poſui in manibus ejus.* Gen. 24. 47

Mitiſſimus DEUS, cùm Unigenito Filio ſuo condignam Sponſam ac Matrem vellet eligere, non ex infimo ordine Angelum, ſed Gabrielem unum ex primis cœli Principibus in terram ablegavit, qui, cùm inter omnes creaturas ſolam ac unicam Sacratiſſimam Virginem MARIAM tanto Filio ac Sponſo dignam Matrem ac Sponſam reperiſſet, mox, obtento illius conſenſu *Fiat*, eam æterni Patris Filio deſponſavit, & pro arrha & dote pretioſas inaures, & armillas ei dedit: *Suſpendit itaque inaures ad ornandam faciem ejus, & armillas poſuit in manibus ejus*; ſed quam arrham, dices, & dotem huic puriſſimæ Virgini aſſignavit? O cœli obſtupeſcite! cruces, tribulationes, flagella, ſpinas, perſecutiones, opprobria, & perpetuum doloris gladium, qui ex illo tempore hujus tenellæ Virginis & Matris Cor intimè pertranſiit, dum enim hæc alma Virgo in incarnationem VERBI conſenſit, eodem quoque momento crucem, & paſſionem dulciſſimi Filii in ſe ſuſcepit, usque ad vitæ finem perferendam; hinc multi etiam graviſſimi viri exiſtimant, cœleſtem illum Nuntium & Arhcangelum legationem usque ad novem horas protraxiſſe, quo tempore B. Virgo ab Angelo longè meliùs & clariùs, quàm quondam Daniel, de paſſione & morte dulciſſimi Filii ſui edocta fuit, *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, &c.* Proinde rectè Dionyſius Carthuſianus: *Sic planè recolendo*, inquit, *quod à Gabriele perceperat: Ipſe ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum; vehementiſſimè condolebat, & concutiebantur omnia viſcera ejus materna ſuper innocentiſſimo Filio ſuo, ita ut cum Davide dicere videretur: O JESU! Fili mi JESU! quis mihi det, ut ego moriar pro te?* Unde venter illius rectè vocatur *acervus tritici, vallatus liliis*; ſupra quod pereleganter S. Iſidorus: *Triticum dicitur, quia granum ejus commolitur, ac teritur*, & quis *contritus eſt propter ſcelera noſtra*, niſi Dominus JESUS, MARIÆ Filius, in quo Pater poſuit iniquitates omnium noſtrûm?

Cornel. in Luc. cap. 1. v. 38. — Dan. 9. 26. — Dionyſ. Carthuſ. in hunc loc. — Cant. 7. 2. — S. Iſid. Ety. l. 7. cap. 3. Iſa. 53. 10.

Augebatur inſuper dolor SS. CORDIS MARIÆ, dum permiſit DEus, ut aliquo modo ſuſpecta fieret de adulterio, & S. Joſephus, Sponſus & Conjux ejus, in maximam incideret triſtitiam, dum non poterat capere, à quo, & quomodo in utero concepiſſet: *Inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto: Joſeph autem cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Quam afflictionem mitiſſima Virgo patientiſſimè tulit, non purgans innocentiam ſuam, neque revelans arcaniſſimum incarnati VERBI myſterium, ſed rem totam DEI voluntati commiſit, qui innocentiam ſuam, ſi neceſſe foret, Joſepho eſſet detecturus, quod & factum eſt, &c.

Matth. 1. 18.

Accedit, cùm nunc tempus partûs appropinquâſſet, quòd hæc prægnans, ac tenera Virgo, partui jam proxima, & itinere laſſa, nullum hoſpitium potuerit invenire, licet illud oſtiatim in civitate Bethlehem cum SS. Conjuge inquiſierit, unde ubique repulſam, contemptum & fortè etiam

aſpera

Digitized by Google

aſpera ac contumelioſa verba paſſa, coacta eſt in publico & obſcuro beſtiarum antro tempore hyemali divertere, ubi nec ſella, nec menſa, nec lectus, nec focus, nec quid aliud ad puerperium neceſſarium in promptu erat; & ecce: *Cum quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus venit.* O anima Chriſtiana! ſi vidiſſes hic Sacratiſſimam Virginem & dignam DEI Parentem flexis genibus bovem inter & aſinum conſiſtentem, & Salvatorem mundi ac Regem omnium ſæculorum ſine dolore, & clauſo virginali utero parturientem, quid, obſecro, penſâſſes? Aut quid dixiſſes? Et nunquid cum dilecto illo Diſcipulo exclamâſſes: *In propria venit, & ſui eum non receperunt?* O ingratum, ô infidum Idumæorum genus! priùs per tot ſæcula innumeris votis, ac precibus fatigabant cælum, ut Salvatorem in terram mitteret in ſalutem Iſraël! nunc cùm *in propria venit, ſui eum non receperunt.* Hinc pro Symbolo noſtro gallinam adumbrari curavimus (B. Virginis parturientis in alieno juxta S. Thomam Epiſcopum Villanovanum inſignem typum) cum Epigraphe:

Sap. 18. 14. — Joan. 1. 11. — Iſa. 45. 8. — S. Th. vill. Conc 3 in Nat. Virg.

## Parit in alieno.

2. Vide hìc, & conſidera, anima Chriſtiana, ſummam pretioſiſſimi Redemptoris tui & virgineæ Matris ejus pauperiem, humilitatem, & rerum omnium temporalium, honorúmque contemptum. Ille, qui pugillo mundum includit, viliſſimi præſepii nunc continetur anguſtiis. Ille, *qui tribus digitis appendit molem terræ*, nuna virgineis fovetur, & geſtatur in ulnis. Ille, *qui dat eſcam omni carni*, nunc modico Matris lacte paſcitur. Ille, qui innumeris Angelorum vallatur agminibus, nunc in ſordido beſtiarum catabulo recumbit. Ille, *in cujus manu ſunt omnes fines terræ*, veniens in mundum, non invenit locum in diverſorio; ô bone JESU! nunquid *paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſuum ſibi, ubi ponat pullos ſuos*, & tu non inveniſti, ubi requieſceret caput tuum? inter beſtias naſceris & inter latrones in cruce expiras? O Filius Benoni, id eſt, Filius doloris! Rachel hunc ſuum Benoni in Chanaam juxta Bethlehem in lucem edidit; ſupra quod pulcherrimè Cornelius; *Sicut Rachel*, inquit, *ſuum Benjaminum, ita B. Virgo peperit Chriſtum in Bethlehem; Chriſtus panis eſt & deliciæ hominum & Angelorum; Chriſtum, inquam, quaſi ſuum Benoni, id eſt, virum dolorum peperit in ſumma vilitate, & paupertate, quem proinde Pater cæleſtis ſuum fecit Benjamin.*

Iſa. 40. 12. — Pſ. 135. 25. — Dan. 7. 10. — Pſal. 94. 2. — Pſal. 83. 4. — Matth. 8. 20. — Gen. 35. 19. — Cornel. hìc in Gen.

Olim formoſa illa Rachel Deos aureos Labani patris ſui ſub fœno & ſtramine camelorum in ſtabulo abſcondit: *Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli.* Verùm B. Virgo non Deos aureos & falſos, ſed ipſum verum DEUM & Hominem Chriſtum, nunc recens natum infantem, in

Gen. 31. 34.



Digitized by Google

ſordido ſtabulo inter jumenta in fœno & ſtramine collocatum omnibus ad amandum, colendum & adorandum expoſuit. O pientiſſima Domina! ergo non aderat tibi alius & commodior locus, ubi theſaurum totius mundi reponeres? Audi, anime mi, & perpende Divi Thomæ Villanovani reſponſum, [S. Th. Villan. Conc. 1. de Nat.] *Non deerant*, inquit, *Virgini vires ad ſuſtinendum puerum: neque illum utique tali loco poſuiſſet, niſi magnum aliquod in illo præſepio myſterium ageretur; altiſſima namque nobis inde paratur eruditio; magna cathedra præſepium illud, ex quo* [Matth. 11.29.] *cunctis mortalibus DEI loquitur Sapientia cœleſtis, in ſtabulo Magiſter legit*, &c. Et quid legit, & quid docet? *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; quod enim poſtea in virili ætate verbo docuit, nunc ſtatim in lucem ortus ipſo opere demonſtravit, contemnens ſæculi voluptates, corporis delicias, mundanorum honores, &c. O divites! ô voluptuoſi! [Amos 6. 4.] ô delicatuli & effœminati! ô ignava & ventris & Veneris mancipia, *qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris*, audite hunc novum [Matth. 18. 3.] de cathedra præſepis loquentem Concionatorem; Sileant Prophetæ omnes quia VERBUM infans nunc loquitur: *Niſi efficiamini, ſicut parvulus iſte non intrabitis in regnum cœlorum.* Magna eſt iſta lectio, & quis eſt, qui conſiderat?

3. Mirabilem quondam ac portentoſam viſionem habuit dilectus ille Domini Diſcipulus, dum mulierem quandam in cœlo aëreo conſpicatus eſt ſole amictam, ſtellis coronatam, & pedibus lunam calcantem, quæ cum [Apoc. 12. 2.] clamore & cruciatu filium ſuum peperit: *Et in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat --- Et draco ſtetit ante Mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperiſſet, Filium ejus devoraret; Et peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.*

Quòd per hanc Mulierem Sacratiſſima Deipara fuerit præſignata, nemo eſt, qui ignorat, quam veritatem Mellifluus Eccleſiæ Doctor & devotiſſimus MARIÆ Filius S. Bernhardus in hæc verba Apocalypſeos: *Signum magnum apparuit*, pulcherrimè dilucidavit. Quod autem hæc B. Virgo cum clamore & cruciatu Filium ſuum JESUM pepererit, hoc equidem capere non poſſum, erat enim ſine gravamine gravida, & ſine dolore puerpera, imò & ſummo animi cum gaudio & inenarrabili cum lætitia dulciſſimum ventris [S. Birg. l. 7. Revel. cap. 21.] ſui fructum in lucem edidit; audi S. Birgittam: *Erectis*, inquit, *manibus, & oculis in cœlum intentis, ſtabat Virgo quaſi in exſtaſi contemplationis ſuſpenſa, inebriata Divinâ dulcedine: & ei ſic in oratione ſtante, illicò in momento & ictu oculi peperit filium.* Ad quid ergo S. Joannes in ſua Apocalypſi commemorat, hanc B. Virginem cum clamore (prout parturientes ſolent) & cum cruciatu filium ſuum maſculum peperiſſe, quem mox draco, id eſt, Herodes, pro- [Barrad. lib. 1. cap. 14.] ut aſſerit Barradius, devorare voluit, proinde *Mulier fugit in ſolitudinem* hoc eſt, cum Filio ſuo in Ægyptum?

Re-

Digitized by Google

Reſpondet Cornelius à Lapide, hanc Sacratiſſimam Deiparentem non dolore partûs, ſed maximo deſiderio pariendi, & videndi Chriſtum orbis Salvatorem fuiſſe cruciatam, ardentiſſimis enim votis omnium optabat ſalutem per Filii paſſionem & merita conſummandam; ita enim priùs ab Angelo cum S. Joſepho edocta fuit: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à pecca-* Matth. 1. 21.
*tis eorum.* Cruciata inſuper eſt moleſtiis itineris & alimoniæ, ac quàm maximè paupertate, quæ tanta fuit, ut non eſſet ei locus in diverſorio, ſed coacta fuerit tempore hyemali in ſtabulum ſecedere, & ibidem parere orbis Dominum, &c. Vide ex his, anima Chriſtiana, quòd omne gaudium Sacratiſſimæ Deiparæ in hac terra morantis, interno Cordis Martyrio fuerit permiſtum; ô pientiſſima Domina! quid adhuc tecum & cum Filio tuo fiet? Cant. 2. 1.

Nunc dilectiſſimus Natus tuus eſt tibi *flos campi*, ſed in paſſione ti- Cant. 1. 12.
bi fiet *faſciculus myrrhæ.* Nunc mille illum oſculis veneraris, & excipis, Luc. 22. 48.
ſed in paſſione per infidum Judæ oſculum tradetur in manus peccatorum. Pſalm. 21. 19.
Nunc pauperculis eum involvis pannis, ſed in paſſione omnibus ſpoliabitur veſtibus. Nunc virgineo illum lacte paſcis, ſed in paſſione felle & Matth. 27. 34.
aceto potabitur. Nunc reclinas eum in præſepio, ſed tandem ſuſpendetur in patibulo. Nunc placidè inter duas pecudes indormit, & requie- Marc. 15. 27.
ſcit, ſed moriens in cruce, tanquam in lectulo ſuo ſordo inter duos latrones obdormiet. Nunc naſcens non invenit locum in diverſorio, mo- Luc. 2. 7.
riens non habebit locum niſi in ſepulchro alieno. Nunc à te faſciis ſol- Joann. 19. 41.
licitè in cunis ligatur, moriturus funibus, catenis & clavis ferreis conſtringetur. Nunc Infans vagit inter arcta conditus præſepia, moriens autem Hebr. 5. 7. Luc. 2. 15.
cum clamore valido, & lacrymis ſe Patri in victimam offeret. Nunc ad colendum eum accurrunt Paſtores, in paſſione relicto eo omnes Diſcipuli aufugient. Nunc à tribus Magis ac Regibus humiliter adoratur ut DEus, Matth. 26. 56. Matth. 2. 11.
in paſſione à tribus iniquis Judicibus ad mortem condemnabitur. Nunc ab Angelis laudatur: *Gloria in altiſſimis DEO*: ſed in paſſione ab omni hominum genere innumeris maledictis, opprobriis & illuſionibus ſaturabitur, &c. O pientiſſima Virgo! O Mater amoris & doloris! ſi talis Luc. 2. 14.
eſt nunc Filii tui in orbem ingreſſus, qualis erit vitæ exitus? Si tale exor- Thren. 3. 36.
dium, qualis, obſecro, erit Epilogus? Collige ex his, anime mi, ſenſum pro te moralem, & diſce patientiam in adverſis, mundi immundi contemptum, abnegationem tui, ac præſertim petulantis carnis tuæ mortificationem, cùm tota vita Chriſti JESU & MARIÆ ferè continua crux fuerit & Martyrium, & qualis eſt vita tua?

4. De Rebecca recenſent Sacræ Litteræ, quòd Jacobum dilectum filium ſuum, ut eò faciliùs à Patre moribundo ſupremam obtineret bene-



Digitized by Google

dictionem, veſtimentis valde bonis & odoriferis induerit, ejusque colli nu-
Gen. 25. 15. da ac manus pelliculis hædorum protexerit: *Et veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum, pelliculásque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* En rurſus perelegantem Divæ Virginis & Matris typum, dilectiſſimum Filium ſuum JESUM veſtibus valde bonis & odoriferis, hoc eſt, carne humana ac virginea induentis, & glabritiem colli ejus ac manus nudas pelliculis hædorum contegentis. Supra quod ex men-
Cornel. hic te S. Auguſtini pulcherrimè Cornelius à Lapide: *Allegoricè*, inquit, *Jacob eſt Chriſtus, qui induit pelles hædinas, id eſt, noſtra peccata in ſe aſſumpſit, ut ea lueret*, ideò enim VERBUM incarnatum eſt, ut ſalvum faceret populum
S. Aug. ſerm. 10. de Nat. Dom. ſuum à peccatis eorum: *Ad hoc*, inquit S. Auguſtinus, *deſcendit Chriſtus in uterum virginis, ut exinde acciperet membra, quæ traderet cruci*, &c. O immenſæ charitatis prodigium!

5. Achab Rex in Iſrael, cùm ad bellum progrederetur, ne ab hoſte
3. Reg. 22. 30. agnoſceretur, *immutavit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.* O mi JESU! ô mi Redemptor! tu es ille Rex Iſraël, & omnium dominantium Dominus, qui, cùm in hunc mundum veniſti, contra diabolum, mundum, carnem, peccatum & infernum pugnam, heu quàm cruentam pugnaturus, habitum tuum immutâſti, & mortalem ac infirmam carnem, velut ſaccum heu, mille olim ſciſſuris, ac vulneribus conſcindendum) à Virgine indui-
Phil. 2. 7. ſti: *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

Jonas Propheta, ne alii exortâ in mari tempeſtate perirent, ipſe in-
Jonæ. 1. 12. teritum elegit: *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis.* Ah mitiſſimè JESU! tu es ille Jonas, qui vix in lucem à Virgine natus, ne perirent miſeri mortales, ſponte te in hos dolorum laborúmque fluctus abjeciſti, proinde rectè S. Maximus: *Chriſtum in has mundi procellas uterus maternus effudit.*

Moyſen infantulum in ſcirpea fiſcella fortunæ arbitrio in Nilo expoſitum MARIA ſoror ambulans juxta ripam fluvii conſervavit, ejusque ſe-
Exod. 2. 9. dulam curam geſſit: *Ad quam locuta filia Pharaonis: accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam.* O dulciſſime JESU tu eras ille Moyſes in præſepio ſaluti hominum expoſitus, quem ſuperba Synagoga rejecit, ſed gentilitas & Eccleſia, ac cumprimis Sacratiſſima Mater tua cum gaudio recepit, defendit, nutrivit & educavit, verè Ancilla & Mater, cujus brachia orbis Monarcham geſtârunt, lavârunt, faſciârunt, aliaque obſequia ſine aliarum ancillarum ope præſtiterunt.

6. Da-

Digitized by Google

6. David, cùm mirandam hanc Chriſti nativitatem in ſpiritu prævidiſſet, Verbúmque inter duas pecudes in præſepio ſuo tempore, hoc eſt, poſt mille annos reclinandum, non abhorruit hunc cœli, terræque Dominum jumento comparare: *Ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Pſal. 72. 23. O amantiſſime JESU! in veritate pro nobis ut jumentum in ſtabulo factus es, *cùm enim homo in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; Pſal. 43. 13. ſuperbus ſimilis factus eſt pavoni, avarus cani, luxurioſus hirco, invidioſus ſerpenti, iratus leoni, guloſus porco, & deſidioſus aſino, ut ergo hæc jumenta commutaret in homines, & à ſervitute diabolica redimeret, ipſe quaſi jumentum fieri dignatus eſt, dum omnium iniquitates in ſe ſuſcepit in cruce luendas & expiandas. O Adam ubi es? Et quid times? *Vocem tuam*, inquit, *audivi in paradiſo, & abſcondi me.* Gen. 3. 10. Ecce, qui olim tibi delinquenti objecit: *Ecce, Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, Gen. 3. 22. nunc ipſiſſimus tibi ſimilis factus eſt, ut te genusque humanum per paſſionem ac mortem ſuam ab æterna morte eriperet. O prodigium amoris! & quid tu rependis ac nos poſteri omnes?

CON-

# CONSIDERATIO XVI.

## Quomodo B. Virgo Doloroſa ſe in Circumciſione Chriſti dulciſſimi Filii ſui habuerit ?




Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum eſt nomen ejus JESUS.
*Luc.* 2. 21.

1. QUid hoc eſt ô beatiſſima Virgo ! verè Mater amoris & doloris, quòd innocentiſſimum Filium tuum offeras ad circumciſionem ? An ergo Legiſlator propriis ſubjacet Legibus ? Nunquid partus ſequitur ventrem ? Si tu, ô Domina totius univerſi, ab omni originali & actuali peccati labe ſemper immunis extitiſti, quantò magis Filius tuus, fons omnis Sanctitatis & Sanctus Sanctorum ? Ad quid erga circumciditur & inuritur ſtigmate peccatoris, qui peccatum non fecit, nec facere poterat ? O cru-

Digitized by Google

O crudelis, ô barbare, ô immitis culter! quomodo auſus es vulnerare innocentiſſimum agnellum? Quódnam tibi jus in Filium Virginis & DEI?

Adverte, Anima Chriſtiana, licet benigniſſimus orbis Reparator Chriſtus nullo modo circumciſionis mandato fuerit ſubjectus, voluit tamen à SS Matre ſua & à Patre Nutritio, S. Joſepho & ad hanc circumciſionem præſentari: *Primò*, inquit Doctor Angelicus, *ut oſtendat veritatem carnis humanæ contra Manichæum, qui dixit, eum habuiſſe corpus phantaſticum. Secundò ut approbaret circumciſionem, quam olim DEUS inſtituerat. Tertiò, ut comprobaret, ſe eſſe de genere Abrahæ, qui circumciſionis mandatum acceperat in ſignum fidei, quam de ipſo habuerat. Quartò, ut Judæis excuſationem tolleret, ne eum reciperent, ſi eſſet incircumciſus. Quintò, ut obediendi virtutem nobis ſuo exemplo commendaret, unde & in octava die circumciſus eſt, ſicut in Lege erat præceptum. Sextò, ut quia in ſimilitudinem carnis peccati advenerat, remedium, quo caro peccati conſueverat mundari, non reſpueret. Septimò, ut Legis onus in ſe ſuſtinens alios à Legis onere liberaret, ſecundum illud ad Gal. 4. Miſit DEUS Filium ſuum, factum ſub Lege, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret.* Tirinus adhuc aliam addit rationem, voluiſſe Filium DEI & MARIÆ circumcidi, ut diabolum falleret, quemadmodum olim Jacob induens veſtes Eſau omnes fefellit, qui Jacob pulcherrimus in hoc Chriſti typus fuit, formam ſervi & peccatoris induentis. Et denique circumcidi voluit, ut arrham mundo & Eccleſiæ ſuæ daret ſubſecuturæ paulò poſt redemptionis per profuſionem in cruce totius ſanguinis, &c. In hunc finem pro corpore Emblematis noſtri vitem adumbrari curavimus, quam Genius cultro usque ad profuſionem lacrymarum ſecat, cum inſcripta Epigraphe: *Vulnerat, & medetur.* Vel potiùs:

S.Th. 3. p. q. 37. a. 1.

Gen. 27. 15.

## Ut mero gaudeas.

Vitis Chriſtus eſt: *Ego ſum vitis vera.* Vitis autem, prout eleganter obſervat Mellifluus Bernhardus, non ſeminari, ſed in terra benè culta plantari ſolet; ita Chriſtus non ſeminatus, ſed in terra virginea plantatus eſt. Vitis circumfoditur, ad palum vinculis aligatur, & tempore vernali usque ad lacrymas ſcinditur, ut optatos ferat fructus, unde rurſus Lemma: *In lacrymis feracior:* Ita quoque Chriſtus in paſſione circumfoſſus: *Foderunt manus meas & pedes meos, &c.* ad palum crucis funibus, imò clavis ferreris alligatus, & mox die octavo Nativitatis ſuæ in præſentia Matris usque ad lacrymas, plùs dico; usque ad ſanguinem petrino cultro circumciſus eſt, *ut* tu, anime mi, *mero* illius *gaudeas*, hoc eſt, fructu lacrymarum & ſanguinis ejus, cujus unica ſtilla totum mundum redimere poterat, &c.

Joan. 15. 1. S. Bern. in Tract. de paſſione.

Pſal. 21. 17.

2. Æternâ memoriâ dignum eſt, quod refertur de S. Canuto Daniæ Rege & Martyre glorioſiſſimo qui, ubi regale ſuum diadema ad pedes Chriſti Crucifixi abjecit, humiliter ſeſe illi ſubjiciens, qui Rex Regum, & Dominus Dominantiū eſt, prævidens nunc ex tumultuante populo mortem ſibi pro-

Ex vita, 19. Jan. Item P. Benign. Kybl. de

Admirand. pter juſtitiam imminere, ad templum S. Albani M. tanquam ad locum certaminis Othoniæ confugit, ubi SS. Sacramentis præmunitus, & DEO agonem ſuum commendans, flexis genibus ante altare pro inimicis orans, telis & lanceâ confoſſus eſt, cujus glorioſiſſimi Regis ac Martyris ſanctitatem DEUS duplici miraculo illuſtravit, ſiquidem in eo loco, ubi occiſus eſt, ſine mora fons, ſanguine Martyris purpuratus, proſiliit; & cùm ſacrum corpus ad imperium Reginæ abinde aſportaretur, & portitores cum hoc ſacro pondere in foro quieſcerent, mox alter fons aquæ prorupit, uterque hominum infirmitatibus ſaluber, ac medicus.

Et nunquid, anime mi, in circumciſione Domini noſtri JESU Chriſti duplex fons & ſanguinis & aquæ mundo ſcaturire cœpit? Fontem ſanguineum reſeravit ſaxeus ille culter, dum in iñocentiſſimam tenelli Infantis carnem ſævire cœpit, qui dolor planè fuit acerbus, dum perſæpè alii infantes ex tali cruciatu moriebantur, in Chriſto tamen multò acerbiorem oportet fuiſſe dolorem ob ætatis teneritudinem, & delicatiſſimum temperamentum, ac perfectam, qua præditus erat, cognitionem, &c. quod tamen peccatoris & ſervi ſtigma patientiſſimè tulit, ut tuas peccatorum maculas jam tunc à prima vitæ ætate lueret. O bone JESU! quàm citò incepiſti pro delictis meis pati, & pœnitentiam agere? Unde rectè Iſaias tibi ex Virgine & Prophetiſſa naſcenti, hoc nomen indidit: *Voca nomen ejus; Accelera ſpolia detrahere: Feſtina prædari.* Supra quod doctiſſimus Baeza: *Optimè,* inquit, *noverat Iſaias naſcentis Chriſti curam, quando illum vocavit: Accelera; Feſtina; nam vehementer feſtinabat ſanguine ſuo nos redimere. Hoc erat illi in optatis; & illius Sacratiſſimus Sanguis pungebatur aculeô, ut quàm citiſſimè funderetur.* Et licet, quòd parvulus fuerit fons iſte Divini cruoris, crevit tamen in immenſum, dum in cruce ex toto corpore promanabant ſanguinum flumina: *Parvus fons, qui crevit in fluvium.* O mitis Agnelle, jam nunc candide & rubicunde, verè *ſanguinum Sponſus tu mihi es,*

Iſa. 8. 3.

Baeza lib. 1. cap 4. §. 1.

Eſther. 10. 6.

Exod. 4. 25.

Ecquis, obſecro, ô pientiſſima Virgo! erat tunc animi tui ſenſus, dum manantibus interim oculis, ac multis profuſis lacrymis hanc primam cruentam lanienam ſpectâſti? Et nunquid eodem ictu, quo ſaxeus ille culter Divinam Filioli carnem ſauciabat, interim quoque SS. COR tuum acutiſſimo doloris gladio, antequam Simeon illum prædiceret, diſſectum eſt? *Hodie,* ſunt verba Doctoris Seraphici, *incepit Dominus JESUS ſuum Sacratiſſimum Sanguinem pro nobis effundere, & hodie fortiter ploravit; ſed eo plorante, credisne, quòd Mater potuerit lacrymas tenere? Ploravit ergo & illa, &c.* En hìc duplicem fontem & ſanguinis & aquæ. O quàm durum, quàm ſaxeum eſt adhuc cor noſtrum! Rupes illa in Cades à Moyſe bis Virgâ percuſſa lacrymas aquas profudit: *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ;* nos undique malis premimur, & inceſſanter percutimur, & ſtamus adhuc immobiles; Numera lacrymas tuas, anime mi! quas pro peccatis tuis contra DEum, ſummum illud Bonum, commiſſis, fudiſti, an aliquas invenies?

S. Bonav. in Medit vitæ Chriſt. cap. 8.

Pſal. 77. 20.

3. Ob-

3. Obſervant autem Doctores & SS. Litterarum periti, quòd B. Virgo Sacroſanctum Cruorem in circumciſione dilectiſſimi Filii ſui effuſum in puriſſimo vaſculo diligentiſſimè collegerit, & cum præputio ingenti curâ aſſervârit; ſciebat enim, quòd *ſine ſanguinis effuſione non fieret remiſſio.* Ecquis, obſecro, melius immenſum hujus Divini Cruoris pretium poterat æſtimare, quàm talis ac tanta Mater? Ex quibus licet pauculis ſtillis prudentiſſimè colligebat, quòd forent præludium & aurora futuræ cruentæ paſſionis, poſt aliquot annorum luſtra explendæ, & quòd longè clementiùs ille Sanguis in cœlum clamaret, quàm quondam Abelis; unde S. Gregorius M. *Sanguis JESU meliùs loquitur, quam ſanguis Abel, quia ſanguis Abel mortem fratris fratricida petiit, Sanguis autem JESU vitam, &c.* O peccatores, quid agitis? Nunquid fruſtra ille Sanguis pro nobis effuſus eſt? Si non fuit remiſſio niſi in Sanguine JESU, cur non remiſſionem peccatorum veſtrorum per hunc Diviniſſimum Sanguinem à Deo Patre poſtulatis? Sanguis olim Agni Legalis in poſtibus & ſuperliminaribus tinctus Hebræorũ ædes à cæde primogenitorum ſervabat immunes; quid non poterit facere pretioſiſſimus Divini illius Agnelli Sanguis, quem jam à vitæ ſuæ primordio pro ſalute veſtra profudit, cujus unica ſtilla plus, quàm univerſorum Electorum merita, valoris habet, quia cum VERBO hypoſtaticè unitus fuit? Audite pro animæ veſtræ ſolatio S. Gregorium Nazianzenum: *Exiguæ*, inquit, *guttæ Sanguinis Chriſti orbem inſtaurârunt, &c.*

Fab. Amb. Spin. ſup. vitam & geſta Chriſti. Hebr. 9. 22. S. Gregor. M. lib. 13. Moral. cap. 9. Exod. 12. Orat. 2. de Paſch.

4. Hìc adimpletum fuit, quod olim Elias in nubecula illa parvula prævidit: *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Nubecula illa parva humanitas a verbo aſſumpta eſt; quæ licet in circumciſione paucas duntaxat guttas præmiſit, in paſſione tamen, ac præſertim in Calvariæ monte, in grandem ac ſanguineam pluviam effuſſa fuit: *Et facta eſt pluvia grandis*; ût eò copioſior eſſet redemptio, & *ut lavaret nos à peccatis noſtris in Sanguine ſuo.* Quæ omnia prudentiſſima Virgo ſuperiore lumine illuſtrata diligentiſſimè ſecum ponderabat juxta illud: *MARIA autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Proinde rectè S. Hieronymus: *Punctura acûs*, inquit, *Chriſto inflicta, vulnus lanceæ erat in Corde MARIÆ.* Pro ſenſu morali juvat hìc audire R.P. Hieremiam Drexelium è Societate JESU Scriptorem præclariſſimum, juxta ac pientiſſimum: *Imitemur*, ait de Chriſto naſcente, *Deiparam ſedulò, omnia Domini JESU verba, reſque illius geſtas penitiſſimo pectore conſervemus; præſepe, flagra, columnam, ſpinas, clavos, lanceam, crucem, ſpongiam, ſepulchrum, ſimul & labores, cruciatus, probra, ignominias, ludibria, mortem, cum immenſa majeſtate, gloria, dignitate conferamus. Et quæſo ſimul etiam amorem illius ardentiſſimum cum noſtri amoris hyeme, ſubmiſſionem illius cum noſtra ſuberbia, temperantiam illius cum gula noſtra, caſtimoniam illius cum luxuria noſtra, ipſius manſuetudinem cum noſtra iracundia ad trutinam juſtam appendamus, & quaſi arena maris iſta gravior apparebit.*

3. Reg. 18. 44. Apoc. 1. 5. Luc. 2. 19. S. Hieron. cit. à Quareſmio Tom. 1. cap. 12. P. Hieremi. Drex. de Chriſto Naſc. apud me. f. 396.



Digitized by Google

5. Neque dubium eſt, quin Chriſtus Infans tunc in doloroſa carnis ſuæ
circumciſione, & prima Sanguinis effuſione votum illud ab æterno emiſſum
patiendi in tempore pro gloria DEI & totius mundi ſalute, denuo non ſine la-
crymis renovaverit, atque in holocauſtum & Sacrificium ſe Patri prompta
voluntate & affectu obtulerit, ad hoc enim alludit Gentium Doctor Paulus:
Hebr. 10. 5. *Ideò ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti
mihi. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio*,
offerens tibi, ô Pater! pro primitiis paſſionis meæ modicas has ſanguinis ſtil-
las, ſed & totum Corpus meum flagellis, ſpinis, alapis, plagis, cruci, clavis,
lanceæ, morti, &c. DEus verò Pater, apud quem merces mercenarii non
uſque manè manere ſolet, ſed mox eam perſolvit, ita Propheta atteſtante:
Iſa. 40. 10. *Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo*; continuò dilectiſſimo Filio ſuo
Philipp. 2. 9. mercedem dedit; & qualem, dices? Audi Apoſtolum: *Donavit illi nomen,
quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur cæleſtium, terre-
ſtrium & infernorum, &c.* Quod Sacroſanctum Nomen B. Virgo MA-
RIA, verè & hìc Mater amoris & doloris, peractâ cruentâ circumciſione,
Luc. 1. 31. genu flexo maxima cum devotione primò inter homines pronuntiavit, &
ex Angeli juſſu Filio impoſuit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis
nomen ejus JEſum &c.*

6. O quàm inſignes doctrinas hìc poſſumus in noſtræ animæ commo-
Pſal. 18. 6. dum ſeligere. Circumciſus eſt ut tenellus Infans, & jam tunc *exultavit ut
Gigas ad currendam viam ſuam:* ut aſſueſceres, anima Chriſtiana, à teneris quo-
Thren. 3. 27. que annis Deo inſervire, & viam virtutis ſectari: *Bonum eſt viro, ſi portaverit
jugum ab adoleſcentia ſua, &c.*

*Circumciſus eſt*, ut amorem ſuum in te, ô anima, velut olim Sichem Prin-
Gen. 34. 19. ceps in Dinam teſtaretur: *Nec diſtulit adoleſcens, quin ſtatim, quod petebatur,
expleret: amabat enim puellam valde, &c.* Ut tu viciſſim, anima mea, chari-
tatem tuam Deo ac Chriſto etiam in rebus arduis & difficilibus compro-
bares; ſolet enim Deus etiam dilectiſſimis ſuis amicis, imò magis quàm re-
probis, plura adverſa immittere, quibus circumcidantur.

*Circumciſus eſt*, ut tu mentem tuam à pravis cogitationibus, cor à pravis
affectibus, os & linguam à pravis locutionibus, aures à detractionibus, &
ſenſus omnes tuos ab illicitis circumcideres.

*Circumciſus eſt*, ut pro peccatis tuis, contra puritatem admiſſis, primo hoc
1. Jo. 5. 19. Sanguinis ſui rore ſatisfaceret, ut tu diſceres ejuſmodi carnis illecebras & ſen-
ſuales amores, quibus mundus hic immundus totus, quantus immerſus eſt
ex animo deteſtari, fugere, luere.

*Circumciſus eſt*, neque peccatoris characterem in ſe ſuſcipere detrectavit
ille Sanctus Sanctorum, ut diſceres te humiliare terra & cinis utpote qui ha-
ctenus tot infernos pro tuis delictis commeritus es, & tamen bilem tibi mo-
vet, ſi ab aliis peccator haberis, ah miſer! gloriaris de iniquitatibus, & erube-
ſcis de remediis?

*Cir-*

Digitized by Google

*Circumciſus eſt* denique, ut tibi oſtenderet, quàm neceſſaria ſit carnis tuæ mortificatio. En DEUS tuus & Homo Chriſtus vix octiduum in mundo exegit, & jam ſummo ardet deſiderio pro te patiendi, & Sanguinem fundendi, quid tu poſt tot tranſactos vitæ tuæ annos pro JEſu laboris & difficultatis toleráſti? *Si regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, ubi eſt tua Matth. 11. 12.
violentia? tua mortificatio? An neſcis, quid Apoſtolus in utramque tibi Rom. 8. 13.
aurem inclamet: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini*? Et in alio loco: Gal. 5. 25.
*Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*? Collige ex his, an Chriſti ſis, vel alterius?

7. *Et vocatum eſt nomen ejus JEſus.* O dulce nomen, quia *non eſt aliud no-* Luc. 2. 21. Actor. 4. 12.
*men ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos ſalvos fieri*, ſed & nomen amarum, quia non niſi ſpargendo ſanguinem illud ſibi comparavit Deus & Homo Chriſtus, quod Sacratiſſimum quidem Nomen dulciſſimum COR Virgineæ Matris mirum in modum conſolabatur, ſed & peculiari quodam modo affligebat, quoties illud animo volvebat, non ignorans, amantiſſimum Filium ſuum & re & nomine eſſe JEſum, hoc eſt, orbis Salvatorem, qui per paſſionem ſuam, crucem & mortem ſalvum facturus eſſet populum ſuum à peccatis eorum, proinde ſtatim in primo vitæ ſuæ exordio hoc Diviniſſimum Nomen in arrham & pignus redemptionis noſtræ voluit publicari, ac tandem in virili ætate in crucis titulo ut cauſam mortis affigi: JESUS Jo. 19. 19.
NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Quæres, cur Angeli Apoſtatici momento è cœlo fuerint eliminati, & ad inferni barathrum ſine ulla ſpe obtinendæ veniæ detruſi: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem?* Reſpondet S. Bernhardinus, quia hoc Sacratiſſimum Luc. 10. 18. S. Bernhardin.
Nomen JEſu noluerunt agnoſcere, illudq; debito afficere honore, quando illis Sen. cit. à
tunc adhuc viatoribus intimatum fuit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus, &c.* Gal. Diſc. 6.
Quid ex Saulo Paulum, ex vaſe perditionis vas electionis, & ex lupo agnũ Quadr. Hebr. 1. 6. A-
fecit, nonne hoc unicum SS. Nomen JEſus: *Ego ſum JEſus, quem tu perſequeris?* ctor. 9. 5.
Quid mendicum illum claudum ad portam templi ſedentem momento Actor. 3. 6.
ſanavit? Nunquid hoc Sacratiſſimum Nomen JEſus à Petro loco eleemoſynæ illi donatum: *Petrus autem dixit: argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In Nomine JEſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.*

Quid Jobum in tot ac tantis conſtitutum miſeriis confortavit, ſolidavitque, ut læto animo omnia adverſa ſuſtineret? Audi ipſum loquentem: *Sit Nomen Domini benedictum, &c.*

Quid David contra Goliathum victoriam comparavit: *Tu venis*, inquit, Job. 1. 21.
*ad me cum gladio & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini, &c.* 1. Reg. 17. 45

Quid Apoſtolos, Martyres & Electos omnes inter tot pericula conſtitutos conſervavit? *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu conſilii, quoniam digni* Actor. 5. 41.
*habiti ſunt pro Nomine JEſu, contumeliam pati.* O dulce Nomen! cœlo venerabile, dulce miſeris, & inferno terribile. O peccatores, reſpirate: *Omnis, qui invoca-* Joël. 2. 32.
*verit Nomen Domini, ſalvus erit.*



Digitized by Google

# CONSIDERATIO XVII.

## Ex tribus muneribus Magorum Mater amoris & doloris deligit ſibi ſolam myrrham.




Obtulerunt ei myrrham.
*Matth. 2. 13.*

1. Licet myrrha ſpinoſa & amara ſit, miram tamen, ac variam vim (prout auctor eſt Dioſcorides) habere aſſolet, cujus arbuſcula duplicem ex ſe liquorem fundit; primus, quem ſponte ſudat, ſtacte vocatur, eſtque myrrha longè optima ac odoratiſſima, alter ex vulnere caudicis inciſi manat; uterque liquor cor mirè confortat, caput exhilarat, aërem inſalubrem arcet, caliginem oculorum diſcutit, ſaporem gignit, vocem expedit, ventris tineas enecat, vulnera ſanat, &c. Hinc nobiliores quondam fœminæ paſſim in Palæſtina pendulum è collo faſciculum, ex foliis, ramuſculis & floribus myrrhæ colligatum, geſtare ſolebant, ut ſanitati conſervandæ, morbiſque arcendis prudenter & maturè conſulerent.

Dioſcorides l. 1. cap. 67.

Ve-

Verumenimverò longè utilior, longè ſalubrior eſt illeDivinus myrrhæ faſciculus, quem B. Virgo & Mater è collo ſuo pendulum inter ubera ſua geſtat, proinde longè melius, quàm Sponſa olim gloriari poteſt: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*; Quaſi diceret: Quærant aliæ mulieres & delicatulæ ſua odoramenta, ſpicam nardi, caſiam, cinamomum, muſcum & pixides olfactoriales, in quibus pretioſa balſama & liquores condenſati continentur; quæram ergo unicè dilectũ meum JESUM qui eſt mihi odoratiſſimus, ac ſaluberrimus myrrhæ faſciculus, hunc ſemper memoria verſabit, intellectus contemplabitur, voluntas diliget; hinc non aurum à Magis oblatum, nec thus, ſed myrrham mihi reſervabo, quæ licet guſtui amara videatur, animæ tamen ſaluberrima eſt, unde Lemma: Cant. 1. 2.

## Amara, ſed ſalubris.

En! dilecta anima, pulcherrimum in Sacratiſſima Deipara exemplum, non enim ignorabat, myrrham hanc à SS. Regibus liberali manu oblatam eſſe prodromum futuræ paſſionis, mortis ac ſepulturæ Filii, proinde rectè cum Sponſa tunc dicere poterat: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham primam, & digiti pleni myrrhâ probatiſſimâ.* Hanc, inquam, myrrham & nos ex manibus MARIÆ ſumamus, & pectori noſtro abſtringamus: *Hâc myrrhâ*, ait Juſtinus Miechovienſis, *B. Vigrinis manus plenæ erant, quia illa dolores & cruciatus Filii ſui continuò animo volvebat à Chriſti nativitate uſque ad ejus mortem, imò & poſt ejus mortem dolores Chriſti perpetuò in Corde habebat, prophetica namque imò plusquam probetica mente Filii ſui mortem longè antè prævidebat: nam cùm Filium ſuum in ſinu fovebat, ulnis geſtabat, uberibus lactabat, ſpinas, flagella, crucem, clavos, lanceam, mortem, ſepulturam ejus oculis mentis contemplabatur*; hinc peroptimè & longè meliori jure, quàm illa Sponſa, dicere poterat: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham primam.* Cant. 5. 5. Juſtin. Miechov. in Litan. B. V. Diſc. 116.

2. De Regina Saba recenſent Regum Annales, quòd auditâ famâ de admiranda Regis Salomonis ſapientia è finibus terræ magno ſuorum procerum comitatu & pompâ verè regiâ Hieroſolymam venerit, ut ab ore Regis Solymæi audiret, ac diſceret ſapientiam, cui in donum dedit *centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis.* Obſervâ hìc: Aurum Regina Saba & aromata ſapientiſſimo Regi in donum, non autem myrrham præſentavit, quam tamen SS Magi & Reges Sabæi cum auro & thure liberali manu Chriſto, Regi Regum, & SS. Matri ejus offerebant, aurum quidem ut Regi ſapientiſſimo, thus ut DEO ac Sacerdoti ſummo, myrrham verò ut homini pro ſalute & redemptione generis humani paſſuro, morituro & ſepeliendo: *Obtulerunt ei myrrham.* Parcite, ſereniſſimi Reges, ah parcite; ad quid dulciſſimo ac Diviniſſimo Infanti vix in lucem nato, ac SS. Matri ejus myrrham præſentatis, paſſionis ac mortis Symbolum? Lætiora ac magis grata afferte munera. 3. Reg. 10. 10

Enim-

Digitized by Google

Enimverò non acceptius Chriſto & MARIÆ poterant offerre munus, quàm myrrham, aurum enim B. Virgo paupertatis amantiſſima, teſte S. Bonaventura, paulò poſt pauperibus erogavit, thus DEO & templo in obſequium deſtinavit, myrrham autem ſibi ac dilectiſſimo Filio reſervavit, non ignorans, utpote ſuperiori illuſtrata lumine, vitam JESU & ſuam continuam amaritudinem, dolorum ac laborum congeriem futuram. Juvat hìc audire S. Brigittam: *B. Virgo*, ait, *meliùs quàm Prophetæ præſcivit ſui Filii paſſionem, ideò eum lactans cogitabat, quòd felle & aceto eſſet potandus in cruce; quando eum manibus geſtabat, videbatur illi, quòd crucis brachiis eſſet confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum ex cruce depoſitum; quando oſculabatur, Judæ oſculum cogitabat; quando faſciis involvebat, funes cogitabat, quibus ligandus ab impiis carnificibus; quando manu ducebat: ducendum ad tribunalia, ut impiis judicibus ſiſteretur, &c.* Vide, anime mi! quomodo Mater amoris & doloris in cunctis ferè actionibus amariſſimam paſſionis myrrham animo verſârit, ſi enim Prophetæ longè ante Chriſtum eam ſpiritu prævíderunt, atque de ea tam multa etiam in particulari vaticinati ſunt, certè Reginam Prophetarum ad majus obtinendum meritum horum futuorum inſciam eſſe non decuit, nec oportuit, quia ita Patri placuit, Matrem Filio eſſe ſimillimam. Subintrat hìc Mellifluus pro reflexione noſtra morali: *Tu quoque ſi ſapis, imitaberis Sponſæ prudentiam: atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principatu tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens, quo poſſis dicere & tu: faſciculus mirrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, &c.*

S. Bonav. in lib. de vita Chriſti.

S. Birgitt. in Serm. Angel. c. 16. & 17. item S. Bern. Serm. 40. in Cant.

Vide Pſ. 21. & Iſa. c. 53.

S. Bern. ſerm. 43.

3. Et dubitas adhuc, anima Chriſtiana, quòd myrrha Magorum Chriſto Infanti & SS. Matri ejus gratior auro & thure, cunctiſque acceptior mundi theſauris acciderit? Adverte, quid in domo Simonis Leproſi evenerit. Erat Chriſtus in Bethania pridie Dominicæ Palmarum ad convivium cum ſuis diſcipulis à dicto Simone, quem à lepra priùs curaverat, perhumanè invitatus; & cum Menſæ aſſideret, acceſſit ad eum Magdalena cum vaſe unguentario ex alabaſtrite facto, & magno devotionis affectu pretioſum nardi liquorem in Caput JEſu effudit; indignati quidem ſunt Diſcipuli, Judâ chorago & incentore hujus murmuris, ob inanem hujus, prout ipſi autumabant tam pretioſi unguenti profuſionem: *Ut quid perditio hæc?* verùm mitiſſimus Redemptor hanc mulierem non tam benignè defendit, quàm & publicè comendavit, quòd obſequium ſibi præſtiterit longè gratiſſimum, perpetuiſque annalibus, & hominum memoriâ digniſſimum: *Opus bonum operata eſt in me, mittens enim hæc unguentum hoc in Corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecerit, in memoriam ejus.* Quæres hìc, prudens Lector, quare hoc unguentum Chriſto Domino ſuper aurum & topazion placuerit?

Matth. 26. 9.

Audi

Digitized by Google

Audi ipſam Veritatem Chriſtum: *Ad ſepeliendum*, inquit, *me fecit*; per hoc enim odoriferum unguentum mulier, licet neſciens, præſagiit, & divinavit proximam Chriſti JESU paſſionem mortem & ſepulturam. Ex quibus facilè rationem colliges, cur myrrha Magorum plùs auro & thure, omnibusque mundi gazis, Chriſto & Sanctiſſimæ Matri ejus placuerit, per hanc enim myrrham eidem pientiſſimo Redemptori & Doloroſæ Matri jam tunc in antro Bethlemico non aliud præſagiebant, quàm carnis mortificationem, crucem & ſepulturam, proinde jam tunc in cunis Diviniſſimus Infans ad præfatos SS. Magos dicere poterat: *Ad ſepeliendum me feciſtis*. Siquidem myrrhâ Defunctorum corpora, ut maneant incorrupta, condiri aſſolent. Et quid dico? Nonne omnia illa tria munera, atteſtante Cornelio, allegoricè notabant Chriſtum paſſurum, crucifigendum, mortificandum, ac ſepeliendum? *Aurum*, quia ex aurea charitate & amore hominum ſeipſum in cruce immolavit. *Thus*, quia in cruce ſummam religionem, ſubmiſſionem, venerationem ac latriam erga Patrem commonſtravit: *Humiliavit ſemetipſum*, &c. Myrrha, quia amara, omnes Chriſti JESU & doloroſæ Matris ejus amaritudines in corpore & anima in vitæ curriculo perferendas præmonſtravit. O pientiſſima Mater! dic, obſecro, quid tunc animo volveris, cùm in puriſſimo ſinu tuo tam largiter oblatam myrrham conſpicata es? An non tunc temporis intervallo verificatum eſt: *Quaſi myrrha electa dedi ſuavitatem odoris*?

Cornel. in Matth. 2. 13.

Philipp. 2. 8.

Eccl. 24. 19.

4. O quàm largus hîc adaperitur campus de myrrha mortificationis tantoperè ad ſalutem nobis neceſſaria diſſerendi! Myrrha illa, quam Magi per arcanũ omen recens nato orbis Salvatori ac SS. Matri ejus in peculiare donum præſentaverant, erant ſuaveolentes & concretæ arborum lacrymæ amaræ quidem, ſed & ſaluberrimæ: Et quid aliud præſignârunt, quàm crebras Chriſti & Matris doloroſæ lacrymas ac copioſos ſudores, aſſiduo labore ac vario expreſſos dolore? Conſideremus attentiore mentis oculo, quàm rigidam, auſteram, & in omnibus ſenſibus mortificatam vitam hæc SS. Deipara duxerit. Si ſpecum illam perpendis, in qua mundi Redemptorem enixa eſt Virginea Puerpera, non reperies niſi ſummam pauperiem, inter pecudes enim natus, & inter latrones crucifixus eſt JESUS, ſed non ſine Matre: *Invenerunt Puerum cum MARIA Matre ejus*. Anime mi! ſi vis cum his SS. Regibus invenire JESUM, ſine Matre doloroſa, & ſine myrrha mortificationis non invenies. Audi ipſam hanc Sacratiſſimam Virginem ad B. Eliſabetham loquentem: *Filia dico tibi, quòd nullam gratiam, donum vel virtutem habui a DEO ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione & multa afflictione, exceptâ ſanctificationis gratiâ, quâ ſanctificata fui in utero Matris*. Et addidit: *Pro firmo ſcias, quòd nulla gratia deſcendit in animam, niſi per orationem & corporis afflictionem.*

Matth. 2. 11.

S. Bonav. cap. 3. Meditat. vitæ Chriſti.

*Mater Doloroſa.* Q O quàm

O quàm rara eſt hæc avis in terra noſtra, propria videlicet corporis afflictio, & quàm multi hìc dormiunt, qui etiam boni ac ſeduli volunt videri Chriſtiani! (Cornel. in Proverb. 31. 27.) *Beata Virginis*, ſubintrat hìc Cornelius, *ſevera & rigida vita fuit in jejuniis, orationibus, lacrymis, perſecutionibus, doloribus, paſſionibus, &c.* Et qualis eſt vita tua, ô mi Lector! neque dicas mihi, mortificationem ſolis illis debere eſſe propriam, qui relicto ſæculo in aliqua religioſa familia ſe DEO conſecrârunt. (Matth. 18. 8.) Erras hìc, bone vir! cùm mortificationis ſtudioſos eſſe oporteat, quotquot deſiderant ſalvari: An non Veritas jubet, ut oculum tibimet eruas, manum reſeces, pedem abſcindas, ſi quidem periculum tibi inſtat, graviter offendendi DEUM? (Luc. 9. 23.) Nunquid mandat, ut abneges temetipſum, tollaſque crucem tuam non ſemel in anno, ſed *quotidie?* An obſervas hoc? O quàm aliter Sancti omnes! (S. Birgitt. in ſerm. Angelico. cap. 16.) de B. Virgine ſcribit S. Birgitta: *Sicut roſa creſcere ſolet inter ſpinas, ita B. Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes: Et ſicut roſâ creſcente creſcunt & ſpinæ, ſic hæc electiſſima roſa, MARIA, quantò plùs creſcebat ætate, tantò fortiorum tribulationum ſpinis acutiùs pungebatur.* Evolve res geſtas Sanctorum & Electorum omnium, (2. Cor. 4. 10.) & invenies cunctos in ſe fuiſſe rigidiſſimos, *ſemper mortificationem JESU in corpore ſuo circumferentes.* Quomodo ergo tu ſine myrrha mortificationis in cœlum ibis? Vidèris mihi, anime mi! (ignoſce, obſecro, ſalutem tuam quæro) ut avicula illa, quam S. Anſelmus Epiſcopus Cantuarenſis olim non ſine lacrymis longiore filo à puero ligatam conſpicatus, & contemplatus eſt; volebat hæc quidem nunc ſubito volatu ferri in cœlum, nunc rurſus à puero ludente ad ima retrahebatur. En hic luſus tuus eſt: modò proponis, modò iterum deficis, non abſimilis illis, prout ingenioſè & piè obſervat (S. Bernh. in ſerm. de OO. SS.) Doctor Mellifluus, qui *indignantur adverſus Adam, quòd obedierit voci uxoris ſuæ plùs quam DEI, & ipſi quotidie Evam ſuam, carnem videlicet audiunt plus quam DEUM.*

(Actor. 12. 10.) 5. Olim per portam ferream patebat ingreſſus in Jeruſalem: *Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta eſt eis*; ſupra quod (V. Beda hic apud Cornel.) Venerabilis Beda: *Ferrea porta*, inquit, *quæ ducit ad Jeruſalem cœleſtem, eſt crux, mortificatio, tribulatio, martyrium.* Jacob, quia durum ſibi lectum paravit, Dominum cœli, ejuſque Angelos nunc per ſcalam deſcendentes, nunc aſcendentes videre meruit: (Geneſ. 28. 11.) *Tulit de lapidibus, & ſupponens capiti ſuo dormivit.* (S. Ambroſ. lib. 2. de Jacob.) Ita, ſubintrat hìc S. Ambroſius, *cœli auleos durus lectus, durus victus, omnia dura decent.* Et tu, miles delicate, quid ad hæc? David contra Goliam, immanem illum gigantem pugnaturus baculo, fundâ & lapide ſe armavit, cui in terram proſtrato proprio gladio ſceleratum caput amputavit: (1. Reg. 17. 49.) *Percuſſit Philiſtæum in fronte, &c.* Per baculum D. Auguſtinus crucem Dominicam ſubaudit; (Matth. 21. 4.) per lapidem Chriſtum, qui eſt lapis angularis, vivus, reprobatus quidem à Judæis, ſed factus in caput anguli. Per Goliam, quem S. Chryſoſtomus *turrim carneam* appellat, rectè caro noſtra rebellis intelligitur; & per gladium

mor-

mortificatio ſenſuum, quæ velut gladius in hac pugna ſpirituali inſultanti carni (prout loquitur Cornelius) *caput abſcindit, ne præſit, ſed ſubſit.* Age anime mi! apprehende arma, gladium & ſcutum, & contra hanc hydram (carnem tuam) generosè dimica; audi S. Auguſtinum: *Noli*, inquit, *extrinſecus pecus, quod mactes, inquirere, habes in te, quod occidas.* Occide propriam voluntatem, & myrrham DEO gratiſſimam ac probatiſſimam cum SS. Regibus obtuliſti: *Tantùm enim proficies*, rectè ait Kempenſis, *quantum tibi ipſi vim intuleris.* Cornel. hîc. S. Aug. in Pſal. 50. Th. Kemp. lib. 1. c. ult. in fine.

6. Redeo ad SS. Magos, primos Chriſtianos, & inſignes B. Virginis cultores, qui, viri ſereniſſimi, licet ſtellâ duce per longa terrarum ſpatia profecti ſint, ut DEI Filium è ſummo cœlo ad nos venientem humiliter adorarent, eique ſua devotiſſima præſtarent homagia, illa tamen non obſtabant obſequia, quò minùs & SS. Deiparentem debito hyperduliæ cultu venerarentur, cui proinde omnium gentium nomine gratias pro materna illa cura, quâ orbis enutriret Redemptorem, egerunt, ſupplices rogantes, dignaretur ipſos clientum loco habere, &c. Addit à Lapide: Non eſſe dubium, SS. Magos cum B. Virgine, quia dono linguarum pollebat, per ſe Arabicè fuiſſe locutos, ab eaque didiciſſe modum conceptionis, partûs, & nativitatis Chriſti, ideoque Chriſtum ut DEUM, DEI que Filium adoràſſe, ac terna ei munera, imò & pectora ſua obtuliſſe. O quantùm mirati ſunt viri iſti ſancti, ubi à Virgine Parente edocti ſunt, regnum Chriſti non in opibus, faſtu, pompis, palatiis & hujus ſæculi commoditatibus, ſed in paupertate, humilitate, mundi contemptu & carnis mortificatione ſitum eſſe. O quàm alius eſt nunc mundi ſenſus, quàm alius moderni ſæculi ſtylus! Cornel. hîc in Matth.

Et tu; anime mi! quid agis? Quid muneris offeres DEI Filio & SS. Matri ejus? Trina pariter à te petunt munera, an recuſabis? S. Mechtildis Virgo enixè quondam dilectum animæ ſuæ Sponſum precata eſt, quid muneris ſibi vellet offerri? Et reſponſum tulit: COR. Hoc & tu offeres, ſed contritum, humiliatum ac mortificatum, nullum enim Chriſto & doloroſæ Matri magis eſt acceptabile Sacrificium. Imitare proinde Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalem Robertum Bellarminum, qui, ut filialem ac integerrimum amorem ſuum in Chriſtum JESUM & SS. Deiparentem teſtaretur, medium COR ſuum JESU Crucifixo, alterum verò dimidium MARIÆ Matri doloroſæ legavit. Hoc, inquam, illuſtriſſimum & tu imitare exemplum. Si religioſa es anima, poteris offerre loco auri, thuris & myrrhæ tria ſubſtantialia ſtatûs tui vota: pro auro paupertatem voluntariam & votivam, quia paupertas hæc ditiſſima eſt, & præ omni auro DEO ac SS. Virgini acceptiſſima; pro thure obedientiam, quâ DEO & Superioribus ſenſum tuum, intellectum, voluntatem, totumque te ipſum in holocauſtum conſecras; pro myrrha caſtitatem, quæ ex corporis afflictatione, je- Nadaſi. in An. Cœl. 1. Jan. Jo. Wey. S. J. de Fil. Apopt. Tom. 1. L. 4. cap. 23.

 junio,

junio,carniſque mortificatione naſcitur,cuſtoditur,ac ſervatur,& hæc myrrha illis erit probatiſſima.

Si Eccleſiaſticus es,offerre poteris quotidie DEO tuo aurum, thus & myrrham,hoc eſt: Sapientiam,orationem & mortificationem; vel ſi mavis: Aurum benefaciendo pauperibus,thus ſupplicando DEO in Miſſæ Sacrificio,& myrrham commoriendo Chriſto Crucifixo,& compatiendo SS. Matri ejus doloroſæ.

Si Laicus es,habes & tu,quomodo aurum,thus & myrrham Omnipotenti quotidie offeras: Fidem ut aurum fulgens,ſpem ut thus odoriferum, charitatem ut myrrham, Eccleſiæ membra à corruptione ſervantem, ac conglutinantem. Vel ſi magis arridet,per ejuſmodi trium Regum munera eleëmoſynam,orationem & jejunium accipe: *Aurum*,inquit S. Auguſtinus, *à nobis accipit Chriſtus, ſi eleëmoſynam facimus: Thus, ſi orationem fundimus: myrrham, ſi pro illo moriamur.* Eja anime mi! reſume animum, & noli apparere vacuus in conſpectu DEI tui, &c.

S. Auguſt. lib. 50. homil. in 1. l. in cap. 2. Matth.

CON-

# CONSIDERATIO XVIII.

## B. Virgo & Mater Doloroſa Chriſtum Filium in templo præſentat, cui S. Simeon doloris gladium prædicit.




Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius
*Luc.* 2. 34.

1. MIror ſanè, quoties mecum perpendo, quòd B. Virgo & Mater Doloroſa, cùm dilectum Filium ſuum JESUM æterno Patri in victimam pacificam præſentavit, eundē dulciſſimum Filium ſuum non juxta exemplum Annæ Elcanæ uxoris ſumō Sacerdoti reliquerit, ut perpetuò in templo, velut alter innocens Samuel, DEO inſerviret, donec ſe tandem hominibus manifeſtaret ut mundi Salvatorem. Et nunquid figurans debet correſpondere figurato? Si de Anna & Samuele filio dicitur: *Adduxit eum ad domum Domini in Silo; Puer autem erat adhuc infantulus, & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli: & commodavit eum Domino cunctis diebus.* 1.Reg.1.24.

 Et

Et cur, obſecro, non pari ratione SS. Deipara in templo Unigenitum ſuum reliquit, illumque DEO Patri cunctis diebus commodavit?

Luc. Burg. in Luc. 2. Reſpondet Lucas Burgenſis, ideo B. Virginem oblatum Domino Puerum noluiſſe in templo relinquere, quemadmodum olim Anna fecerat, *quia non voluit eum Synagoga proprium eſſe, quem pepererat mundi Salvatorem.* Noverat enim optimè SS. Virgo, quòd pro ſalute univerſorum venerat, eumque eſſe Sponſum illum, de quo in Canticis: *Ego flos campi & lilium convallium*; (Cant. 2. 1.) itaque noluit, ut hic flos campi intra muros templi, vel unius civitatis mœnia concluderetur, ſed ut omnibus ac ſingulis in mundo pateret, cunctique ad SS. COR JESU liberum haberent acceſſum, hinc ſuo tempore non in civitate, ſed extra portas in publico campo cœlum inter & terram medius in cruce mori voluit, *ut ſanctificaret per Sanguinem ſuum populum*, non unum, ſed totius mundi. (Hebr. 13. 12.)

2. Et ecce dum in templo DEO Patri hæc Divina præſentatur Hoſtia, eodem temporis articulo ſupervenit Sanctus ille Simeon, qui à Spiritu Sancto erat edoctus, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini, quem proinde ut vidit, & ut verum DEUM ac Hominem agnovit, mox ſubmiſsè adoravit, atque in brachia ſuſceptum DEO T.O.M. in ſacrificium placationis pro totius mundi delictis obtulit. Tum ſatiatus ex hoc mundo & omni re temporali, velut Olor candidus jamjam moriturus, illud cygneum & ſuaviſſimum edidit canticum: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace, &c.* (Luc. 2. 29.) Quid hoc eſt, vir ſanctiſſimè? Vix dulciſſimum JESUM Infantem inter ulnas recepiſti, & Cordi tuo affectuoſiſſimè non ſine lacrymis appreſſiſti, & mox mortem ſubire deſideras: *Nunc dimittis, &c.* Optimè ſenex, quid agis? An deliras? Vitam amplexaris, & mori vis? Quanto deſiderio hujus Divini Puſionis exſpectâſti adventum? En adeſt tandem *deſideratis cunctis gentibus*, & inter tua ſenilia brachia dulciter quieſcit, *qui appendit tribus digitis molem terræ*, & tu mortem exoptas? Mortem inclamas? ut citò te conficiat? quàm paradoxa ſunt iſta! (Agg. 2. 8. Iſa. 40. 12.)

Adverte, anime mi, Simeon à Spiritu Sancto pleniſſimè illuminatus, & inſtructus jam tunc perfectè prævidit, quæ & quanta impoſterum deberet perferre tormenta SS. COR JEſu; vidit igitur, quomodo hoc Diviniſſimum COR omnia in ſe ſuſceperit hominum peccata, propria morte & ſanguine in cruce expianda. O quàm graves erant amaritudines iſtæ! proinde jam tunc SS. COR JESU dicere, & in has querelas erumpere poterat: *Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis*, ô homo ingratiſſimè! prævidit inſuper ſanctus ille Simeon, quomodo puerulus iſte Divinus poſitus eſſet in ſignum, cui in paſſione & cruce contradicendum eſſet; verbo: Vidit totam vitam Chriſti JESU & SS. Matris ejus, quomodo futura eſſet continua crux & martyrium, hæc & ſimilia venerabilem illum Senem eò promoverunt, (Job. 13. 26.)

ut

Digitized by Google

ut in hac mortali vita nihil ampliùs, quàm ſolam mortem & feſtinam deſide- Timoth.
raret; ita Timotheus Hieroſolymitanus: *Dimitte*, inquit in perſona Simeo- Hieroſol. de
nis, *me nunc obſecro, ne videam nefarium Judæorum in te facinus, ne videam ſervum alapam* Proph. Si-
*infligentem, ne videam ſimul & Matrem tecum clavis cruci affixam, & ſpirantem, &c.* Un- meon.
de ad SS. Deiparam converſus, illi doloris gladium, qui adinſtar fulminis SS.
COR ejus eſſet transfixurus, non ſine lacrymis intimavit: *Ecce poſitus eſt hic* Luc. 2. 34.
*in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur, & tuam*
*ipſius animam pertranſibit gladius.*

In quem finem pro noſtro Symbolo caſtiſſimum COR Virginis & Ma-
tris DEI crudeli romphæâ transverberatum adumbrari juſſimus, cui pro
Lemmate illud Apoſtoli placuit inſcribere: Hebr. 4. 12.

## Uſque ad diviſionem animæ.

3. Hîc ſta, & delibera, quisquis iſta legis, aut percipis, homo Chriſtiane,
& ſi verus doloroſæ Matris filius & ſervus eſſe deſideras, perpende, quomo-
do ad hoc vaticinium Simeonis pientiſſimæ Virginis viſcera haud aliter fue-
rint commota, ac ſi *rhomphæa bis acuta* SS. Cor ejus pertranſiſſet: *Commota ſunt* Eccl. 21. 4.
*quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo.* Et dic, obſecro ſodes, ſi quis ſanctitate conſpi- 3. Reg. 3. 26.
cuus & Spiritu Prophetico clarus illuſtri cuidam Matronæ prædiceret: Filius
tuus unicus ac ſuaviſſimus, quem nunc ut cor ac animam tuam diligis, pau-
cos poſt annos in manus truculentorum carnificum innocens tradetur, à
quibus poſt ſexcenta alia exantlata opprobria & innumeros cruciatus tandē
coram innumerabili hominum multitudine infami patibulo ſuſpendetur,
& tu ô Domina tunc ipſa præſens in tormentis & morte filii eris, ubi gladius
doloris intimè COR tuum & animam tranſadiget. Si, inquam, vir ſanctus
hæc vel ſimilia illuſtri cuidam Matronæ prædiceret, quid, obſecro, ejusmodi
infelix Mater ad tam funeſtum vaticinium non diceret? Heu quis gemitus
illius & luctus poſſet enarrare? An non toties cor ejus, quoties impoſterum
in filium oculos converteret, novo dolore afficeretur? *Et nunquid oblivisci po-* Iſa. 49. 15.
*teſt mulier infantem, ut non miſereatur filio uteri ſui?*

Nunc perpende, quàm immenſo dolore puriſſimum COR MARIÆ
fuerit affectum, cùm Simeon Prophetico ſpiritu præditus illi in templi atrio
prædixit: *Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam per-* Luc. 2. 34.
*tranſibit gladius.* O triſtiſſimùm vaticinium! quid agis, venerande Senex? Cur
piiſſimum COR hujus tenerrimæ Virginis, tunc decimùm quintum ætatis
annum agentis, adeò affligis? Si hæc alto preſſiſſes ſilentio, ô quot mœſtiſ-
ſimas prævertiſſes lacrymas? Certe nunquam ampliùs per omnem vitæ cur-
ſum hæc pientiſſima Virgo hujus fatalis vaticinii oblivisci poterat: *Conſerva-* Luc. 2. 19.
*bat enim omnia verba hæc, conferens in corde ſuo:* proinde quotiescunque impoſte-
rum oculos in hunc ſuum dilectiſſimum Filium convertebat, toties novus
dolor ac cruciatus illius animam affligebat, ô verè Mater amoris & doloris!

Ob-

Obſerva hîc, prudens Lector, quàm alia ſunt judicia DEI, quàm alia hominum, ſic nimirum agere ſolet DEUS etiam cum ſuis dilectiſſimis, dum voluit innocentiſſimam Matrē Filio, cujus tota vita crux fuit & martyrium, in omnibus eſſe conformem atque ſimillimam, ut ſic non tam fructuū crucis, quàm & meriti ac coronæ particeps fieret. Vide ex his, quantùm te ipſum decipias, ſi crucem à DEO ſubmiſſam execraris, & in perfruendis hujus ſæculi voluptatibus tuam collocas felicitatem; ô quantùm aberras!

4. Accedit, quòd hæc SS. Deipara omnium figurarum & vaticiniorum veteris teſtamenti perfectiſſimā habuerit notitiam, atque Unigeniti paſſionem plùs, quàm Iſaias cap. 53. & Prophetæ omnes, præviderit, unde dolor Sacratiſſimi CORDIS ejus ex conſortio & colloquio Filii in dies augebatur; proinde dum ſuaviſſimo ſuo Nato dulce lac præbuit, animo illius obverſabatur, quomodo in cruce, felle & aceto eſſet potandus. Dum JESUM inter duo jumenta in præſepio placidè quieſcentem intuita eſt, latrones illi in mentem incidebant, quos inter in cruce animam eſſet expiraturus. Dum tenellum Filium ligavit faſciculis, & pannis involvit, cogitabat, quomodo ſuo tempore funibus & catenis, duriſſimisque clavis foret conſtringendus & configendus. Dum illum in cunis vagientem & lacrymantem conſpicata eſt, contemplabatur, quomodo in ligno crucis non tam lachrymas, quàm omnem ſanguinem uſque ad ſupremam ſtillam eſſet profuſurus. Dum illi pedes tanquam DEO, manus tanquam Domino, & faciem ac præſertim Sacratiſſimum COR tanquam Filio, materno ac devotiſſimo delibabat oſculo, occurrebant illius memoriæ quinque illa doloroſiſſima vulnera pro ſalute humani generis aliquando perferenda, &c. O beatiſſima Virgo! ô Mater afflictiſſima! quis dicet, quantam jam tunc anima tua ſenſerit amaritudinē, dum probè noveras, quòd omnes virgineæ lactis tuæ guttæ, quibus tum tenerrimum Infantem nutrieras, in ſanguinem eſſent convertendæ, paulò poſt in paſſione à tuo dilecto ſanguinum Sponſo pro ſalute mundi effundendū. Audi ipſam hanc Sacratiſſimam Deiparam apud Rupertū Abbatem Tuitienſem loquentem: *Nolite*, inquit, *ſolùm attendere horam vel diem illam, in qua vidi talem dilectum ab impiis comprehenſum malè tractari, illudi, ſpinis coronari, afflgellari, felle & aceto potari, lanceari, mori & ſepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertranſivit; ſed antequam ſic pertranſiret, longum per me tranſitum fecit. Prophetiſſa namque eram, & ex quo Mater eius facta ſum, ſcivi eum iſta paſſurum. Cùm igitur talem Filium ſinu meo foverem, ulnis geſtarem, uberibus lactarem, & talem ejus futurum mortem ſemper præ oculis haberem, & prophetica, imò plùs quàm prophetica mente prævidere; qualem, quantam, quàm prolixam me putatis materni doloris pertuliſſe paſſionem.* Rup. Abb. lib. 1. in Cant.

5. Occurrit hîc mihi gladius illius Cherubini, quem DEUS ante paradiſum januam conſtituit, ut hunc voluptatis hortum cuſtodiret, de quo gladio com-

Digitized by Google

com memorat Scriptura, quòd non duntaxat in omnes partes verſatilis, ſed & flammeus & ignitus fuerit, ut per illum eos feriret Angelus, qui poſt Adamum eliminatum temerè illum paradiſum ingredi attentarent: *Et collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque verſatilem.* Gen. 3. 24.
O bone DEUS! hic gladius Simeonis non tam flammeus atque verſatilis, ſed & fulgurans fuit, quia ſicut terrificum fulgur uno momento piiſſima Matris viſcera penetravit, dum à Simeone audivit: *Ecce, poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur*; hoc eſt in ſignum crucis, ut quondam ſerpens ille æneus, de quo in libro Numerorum: *Et poſuit eum pro ſigno, quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur*; & paulò poſt addidit S. Simeon: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius;* ſupra quod Euthymius: *Gladium*, inquit, *nominavit dolorem acutiſſimum, maximeque dividentem, qui penetravit Cor Matris DEI, &c.* Num. 21. 9.

Gladius, quem Aod Filius Gera ſibi quondam paraverat, non tantùm anceps, ſed & acutiſſimus extitit, in medio habens capulum, & ex utraque parte aciem penetrantem, quem gladium Aod ſibi ipſi cudit, & exinde data occaſione in viſcera Regis Eglon adegit: *Extenditque Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitque eam in ventre ejus tam validè, ut capulus ſequeretur ferrum.* Gladius Simeonis, quia ſpiritualis & ideò acutiſſimus, non ſolùm uno ictu amabiliſſimum COR JESU, ſed & Virgineum COR MARIÆ vulneravit, & pertranſivit: *Ferrum pertranſiit animam ejus.* Judic. 3. 16. Pſalm. 104. 18.

Samuel validiſſimo gladio Regem Agag, cui Saul contra voluntatem DEI vitam condonaverat, ex zelo juſtæ vindictæ per medium concidit & in victimam Juſtitiæ Divinæ ſacrificavit: *Et in fruſta concidit eum Samuel.* 1. Reg. 15. 12.
GladiusSimeonis non quidem intemeratæ Virginis COR materialiter ſauciavit, nec diviſit, nec mortem ipſi intulit, ſed tamen, quod plus eſt, usque ad diviſionem animæ penetravit, erat enim *penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diviſionem animæ ac ſpiritûs, compagum quoque ac medullarum.* Hebr. 4. 12.

Abraham gladium ſuum, quo Iſaac Filium ſuum DEO in holocauſtum immolare ſtatuerat, tantùm per triduum in luctuoſo illo itinere usque ad monten Moria portavit: *Ipſe verò portabat in manibus ignem & gladium.* Sed beatiſſima Virgo & Mater intacta immitem Simeonis gladium non per tres duntaxat dies, ſed per triginta & ampliùs annos, imò ad finem usque vitæ ſuæ conſtanter in corde ſuo geſtavit: *O mucro Domini! usque quò non quieſces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* Gen. 22. 6. Jer. 47. 6.

6. Verumenimverò, haud immeritò hìc quæres, piè Lector, quis tandem crudelem illum & immitiſſimum gladium Simeonis fabriccatus eſt?

Quis cruentiſſimum hunc enſem cudit & paravit? ex cujus officina hæc fulminans rhomphæa prodiit, quæ Sacratiſſimum COR JESU & MARIÆ unà ſimul vulneravit? Heu! ad quid interrogo miſer? In promptu cauſa eſt, mea ac tua peccata, quibus DEUM offendimus, hunc vulnificum gladium parârunt. Ah pientiſſima Domina, ignoſce, ego, ego ſum, qui Filium tuum interemi, ego, ego ſum ille fabricator malorum; ego, ego ſum
Jerem. 9. 1. plaga tui doloris: *Ah quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte!*

O peccator! quomodo hæc audis, & rides? Ecce Sacratiſſimum COR JESU pro tuis expiandis demeritis ſe DEO Patri prima vice in tem-
Phil. 2. 8. plo in victimam præſentat: *Humilians ſemetipſum, & factum obediens usque ad mortem.* Et tu rides? Matri innocentiſſimæ prædicitur lamentatio, immenſus dolor & gladius pertingens usque ad diviſionem animæ & ſpiritus: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius?* & tu rides? Simeon, ne videre debeat mala gentis ſuæ, & DEI Filium inter latrones infami patibulo expirantem, ac Sacratiſſimam Matrem ejus doloribus confectam, mortem feſtinam deſiderat: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*: Et tu rides? & peccata peccatis accumulas? O pecus ingratum, ô portentum abominandum! hæccine reddis Sacratiſſimo CORDI JESU & MARIÆ?

Pædag. Chr. p. 1. c. 2. Audi, quid S. Coletæ contigerit; cui Divæ, cùm ferventiores aliquando preces pro peccatoribus ad SS. Deiparam funderet, ipſa beatiſſima Virgo ſpectabilem ſe reddidit, ſed vultu lugubri ac mœſtiſſimo tenens manibus dulciſſimum Filiolum ſuum JESUM, ſed eheu interfectum, ſaucium, & toto corpuſculo quaſi in fruſta conciſum; ad quod lamentabile ſpectaculum cùm S. Coleta præ mœrore & compaſſione deficeret, Sacratiſſimam Deiparentem ita loquentem audivit: *Quid vis, ut pro illis intercedam, qui peccatis ſuis Filium meum, quantum quidem ipſi poſſunt, ita ut hic videtur, in fruſta diſcerpunt.*


Vide ex his, & perpende, anime mi! quomodo peccata tua non duntaxat Chriſtum Dominum, Benefactorem omnium maximum ac Redemptorem tuum pretioſiſſimum, ſed & COR SS. & afflictiſſimæ Matris ejus
Pſal. 118. 139. novo doloris gladio ſaucient, atque transfigant: *David vidit prævaricantes, & tabeſcebat.* S. Paulus *vidit ſcandalizatos, & urebatur*; ſic videns B. Vir-
2. Cor. 11. 29. go peccatores Filium ſuum graviter offendentes, offenditur & ipſa Mater, cui cum Filio ferè communia ſunt omnia; ô portentoſum, ô ſathanicum peccatum, quod Sacratiſſimum COR JESU & MARIÆ uno actu & ictu tam graviter, tam protervè vulnerat!

Ah

Abner cùm videret, quòd gladius Joab in Iſraëlitas crudeliùs ſæviret, ſtans ex adverſo in campo ad illum exclamavit: *Num uſque ad internecionem tuus mucro deſæviet?* O anima peccatrix! hoc idem ad te clamat pientiſſima Virgo & Mater doloris ac amoris, oſtendens & exhibens tibi ſuaviſſimum Filium ſuum ſaucium, cruentatum, plagatum, &c. *Num uſque ad internecionem tuus mucro deſæviet?* Quid peccavit in te Filius meus, & quid tibi mali feci? En jam in tenella ætate dulciſſimus Filius meus Patri pro tuis delictis ſe offert in Sacrificium matutinum, & tandem in virili ætate in ara crucis pro te ſe offeret in Sacrificium veſpertinum, & hoc non te moveat ad eum redamandum? Nunc duos pullos columbarum, quia pauper & egenus pro te factus, Patri in hoſtiam præſentat, quarum ſanguis ſuper crepidinem altaris effunditur, qui in cruce pro te oblaturus eſt corpus & animam, omnémque ſanguinem in oblationem ſanctam & acceptabilem, & hoc duriſſimum cor tuum non emolliat? Nunc quinque ſiclis in templo à S. Joſepho redimitur, qui quinque vulneribus erat remdempturus orbem univerſum; & tu, anima ingrata, quid pro his omnibus retribuis Domino ac DEO tuo? Si Pater ille eſt, ubi eſt amor tuus in eum? Si Dominus, ubi timor? Si ego Mater tua, quomodo me colis & honoras? *Num uſque ad internecionem tuus mucro deſæviet?* O pientiſſima Domina, habes hìc confitentem reum, doleo, ah doleo ob innumeras offenſas meas, inpoſterum meliùs vivam, aut non ampliùs vivam. 2. Reg. 2. 26.

# CONSIDERATIO XIX.

## Doloroſa Mater in fuga in Ægyptum, & in aliis perferendis difficultatibus Divinæ voluntati ſe penitiſſimè committit.




Qui conſurgens accepit Puerum & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. *Matth.* 2. 14.

1. QUocunque ſe movet ſereniſſimus aſtrorum Princeps Sol, ſequitur & heliotropium, non tam ſereno, quàm & nubilo cœlo. Sol amœniſſimus doloroſæ Matri ſemper fuit dilectiſſimus Filius; quocunque hic ſe movit, ſequebatur. & heliotropium, dulciſsima Mater, & ſereno & turbato cœlo Agedum SS. Domina! migrandum eſt, non enim habemus hic manentem civitatem; & quo tandem? Vix cum amantiſsimo Filiolo tuo & SS. Patre Nutrio à civitate Solymæa poſt oblationem in templo

plo factam in patrium ſolum & in oppidum Nazarethanum reverſa es, ut rei domeſticæ, velut ſolicita Martha, curam gereres; ecce, creſcente magis magiſque famâ de orbis Salvatore in urbe Bethlehem in lucem nato, & à SS. Magis adorato, crevit & furor impiiſſimi Herodis, quo ſtatuit Divinum hunc Infantem, quocunque tandem medio, dolo, aut ſanguinis humani diſpendio, è medio tollere; in quem finem ſcribuntur milites, parantur ſicæ, acuuntur rhompheæ, vulgantur edicta, & Matribus ac prolibus cruenta in illa regione imminet tempeſtas. O qualis tunc tibi erat animi ſenſus, ô Domina mundi? O gladie Simeonis, quouſque ſævies? Tanto facinori ut occurreret DEUS, Angelum (prout credit S. Anſelmus & plerique alii) S. Gabrielem, humanæ ſalutis Nuntium amandavit, qui Puerum ab inſtanti erueret laniena; unde S. Joſepho in ſomnis apparens in tempore eum monuit, ut de fuga ſibi conſuleret, atque cum Puero & Matre ejus in Ægyptum ſecederet: *Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum:* Matth. 2.13. *Et eſto ibi, uſquedum dicam tibi, futurum eſt enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.*

Conſidera hîc, Mariophile! qualiter doloroſa Mater & S. Joſephus prima facie, audito hoc mœſtiſſimo Nuntio, fuerint contriſtati atque afflicti; quid enim in Ægypto, in terra aliena, inter homines tam barbaros & idololatras, exules illi tam venerandi ac miſerandi ſperare poterant, quàm injurias, contemptus, ærumnas & perſecutiones? Et licet pro illo temporum intervallo Puer Herodis gladio ſubtraheretur, truculenti tamen Pharaonis unguibus relinquebatur dilacerandus. His tamen non obſtantibus, reſignavit ſe penitiſſimè dolentiſſima Virgo in divinam voluntatem omnia & quæcunq; adverſa Divino abitrio, ejuſque SS. voluntati humiliter reſignans. Unde Theophyl. in Luc. c. 1. rectè Theophylactus SS. Cor doloroſæ Virginis, ob altiſſimam obedientiam in DEUM, ac ſtupendam prorſus rebus in omnibus voluntatis propriæ & judicii abnegationem candidæ telæ ſeu tabulæ ad quamcunque picturam paratæ aſſimilavit: *Tabula ſum pictoria, pingat pictor, quod voluerit; faciat DEus, quod ipſi placuerit.* Hinc rectè pro Lemmate inſcribes ejuſmodi tabulæ:

## Quæ forma placebit.

*Paratum Cor meum, DEUS*, *clamitat MARIA*, ſubintrat hîc S. Bernhardus, *cunctos homines ſuo ad imitationem provocans exemplo, paratum quantum ad dura, paratum quantum ad proſpera, paratum ad humilia, paratum ad ſublimia, paratum ad univerſa; quæcunque perceperis, fiat, fiat, quidquid Divinæ placuerit Majeſtati, &c.* S. Bernh. Serm. 2. in c. Jejun.

2. Hanc in Ægyptum fugam jam longè antea prævidit Prophetarum Princeps Iſaias: *Ecce Dominus*, inquit, *aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus.* Iſa. 19. 1. Per



Digitized by Google

S. Ambroſ. Exhort. ad Virgines. 1. Reg. 5. 5. quam nubem levem S. Ambroſius rectè doloroſam Virginem intelligit, cujus ſacris ulnis ac brachiis Chriſtus Infans in Ægyptum delatus eſt. Et quemadmodum olim ad præſentiam Arcæ Domini Dagon idolum protinus in terram corruit, & in varias partes comminutus eſt: *Porro Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo, &c.* Ita ad ingreſſum Domini JESU & SS. ac doloroſæ Matris ejus in Ægyptum omnia inania Deorum ſimulacra corruêre. Tostatus in qu. 60. in 2. c. Matth. Juvat hìc audire Toſtatum: *In Heliopoli*, inquit, *fuit priùs Virgo cùm Chriſto, quàm in alio loco Ægypti; & cùm primò veniſſet, non habens aliquem locum; in quem ingrederetur, vel ad quem diverteret, intravit quoddam templum, in quo erant idola trecenta, & ſexaginta quinque, juxta numerum dierum anni, quibus ſingulis diebus exhibebatur cultus. Ad Chriſti autem & Matris ejus ingreſſum univerſa idola corruerunt.* Vide hìc, & conſidera, anima Chriſtiana, quomodo Pater Cœleſtis dulciſſimi Filii ſui ac Matris doloroſæ ingreſſum in Ægyptum voluerit honorare, dum enim homines ſuum non agnoſcebant Dominum, arbores incurvato in terram trunco eos veneratæ ſunt, aviculæ adventantibus ſuavi cantu ac melodiâ applaudebant, & idola juxta Propheticum oraculum in terram cadebant. Abulenſ. in c. 2. Matth. Et quid aliud ſunt paſſiones inordinatæ & affectus noſtri malè compoſiti, quàm ſimilia idola? Confringe illos, & allide ad petram, quæ Chriſtus eſt. Pergamus ulteriùs.

3. Quæres hìc, Lector prudens! quare Chriſtus à facie irati Herodis fugerit in Ægyptum, ut ſuæ conſuleret ſaluti? Ad quid fuga iſta? Salmer. hìc in Matth. 2. *Eſt autem*, ſubintrat hìc Salmeron, *omni dignum admiratione, cernere quis fugiat; videlicet Verbum æternum, incarnatum, quod vinci nequit, quòd fugiat homunciones ſcilicet vermibus & formicis debiliores*? Ad quid Filius DEI hominem timet? Nunquid qui orbem generali extirpavit cataclyſmo, Pentapolim igne ſulphureo, Pharaonem & exercitum ejus in mari rubro, rebelles Idumæos per ignitos ſerpentes in deſerto, Senacherib & copias ejus in campo, &c. Ille talis, ac tantus, qui tribus digitis appendit molem terræ, coram quo curvantur, qui portant orbem, ad cujus nutum & imperium pendent univerſa; ille, inquam, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, faciem irati Herodis formidat, & de noctis medio cum SS. Matre ſua & S. Joſepho in Ægyptum fugam accelerat? O cœli obſtupeſcite!

Suſpende hìc judicium, anime mi! *quod fugit*, ait Gloſſa hìc, *ſacramenti fuit, non timoris*; non enim mortem fugit, qui venerat per mortem crucis de Luc. 4. 30. hoſte reportare victoriam; poterat ad hæc (ſicut alio tempore fecit, dum eum in adultiori ætate de montis ſupercilio volebant præcipitem agere) per S. Leo ſerm. 5. de Epiph. medium ſuorum hoſtium tranſire indemnis, fugit tamen, *ut ſanguinem ſuum*, ait S. Leo, *pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem*; & citatus Salmer. Tom. 3. Tr. 44. Salmeron: *Dum parvulus eſt, fugit; magnus autem ultro ſeſe offert petentibus eum ad mortem*; quia voluit domare orbem non ferro, ſed ligno. Obſer-

Digitized by Google

ſervant hìc Doctores, quòd S. Joſephus ab Angelo de hac fuga ſine mora apprehendenda monitus mox pientiſſimæ Matri hoc divinitus denuntiatum imperium inſinuaverit, quæ ad hoc triſte nuncium non expoſtulavit, neque murmuravit, aut in re minima conqueſta eſt, ſed promptiſſimè DEI ordinationi ac voluntati ſeſe ſubmiſit, atque unâ cum dilectiſſimo Filio alacriter, licet non ſine lacrymis, quas amor illi expreſſerat, in exilium nocte concubiâ & obſcurâ profecta eſt: *Nunquam,* ait Africanum Eccleſiæ lumen S. Auguſtinus, *te deſeruit Mater tua, bone JESU! non in infantia, non in juventute, non in paſſione tua, nunquam tibi defuit ejus ſolatium, ſed neque obſequium. In infantia paſſa eſt circumciſionis Filii dolorem, Herodis perſecutione nocturnæ fugæ amaritudinem, in paſſione Judæorum crudelitatem, quia voluntatem ſuam perfectiſſime Divinæ conformarat, dicens: Ecce, ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum: Et vocabis Nomen ejus JESUM, &c.* O ſi ita voluntatem noſtram rebus in omnibus cum doloroſa Virgine Divinæ ordinationi ſubjiceremus, quàm citò perfecti eſſemus. Non excepit hæc tenerrima Mater contra temporis opportunitatem, non contra hyemis aſperæ, aut viæ perlongæ incommoditatem, non contra homines idololatras totius hoſtes honeſtatis, non contra infeſtum tyrannum, mortem Filio & exitium meditantem, non petit ad aliquem ex tribus Magis mitti, ubi commodè, ſecurè ac gloriosè cum Filio degere potuiſſet, ſed promptiſſimè ac pientiſſimè DEI voluntati in omnibus quibuſcunque difficultatibus ſe ſubjecit. Diſce hìc perfectionem obedientiæ; diſce tuam cum Divina conformare voluntatem: diſce ſuperiorum judicio te prompte ſubmittere, &c. DEI enim ordinationi reſiſtit, qui ſuperioribus reſiſtit.

S. Auguſt. cit. à Vanh. Conc. 15. fol. 144.

4. Miror, quòd Sponſus ille Divinus dilectæ ſuæ Sponſæ auratas comas capillis caprinis aſſimilàrit: *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.* Alludit hìc Sponſus ad Jacob Patriarcham, Labanum ſocerum ſuum cum capris & pecoribus fugientem, & montem hunc Galaad cum grege ſuo conſcendentem; ita vult dicere Sponſus, eſt cæſaries tua, ô Sponſa! ſicuti caprarum bene paſtarum ex herbis pretioſis Galaad, quæ aquis crebrò lotæ nitent & fulgent. Verùm non ſenſum litteralem ſed myſticum hìc inquiro, Non equidem ignoro, quòd Nicephorus B. Virgini tribuat flavos, pulcherrimóſque capillos: *Colore,* inquit, fuit triticum *referente, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens; & in rebus ejus omnibus multa divinitus inerat gratia, &c.* Et quia Chriſtus ſanctiſſimæ Matri ſuæ erat ſimillimus, pergit idem Nicephorus: *Egregio, vividoque vultu fuit. Corporis ſtatura ad palmos prorſus ſeptem: cæſariem habuit ſubflavam; Ex oculis ſubflaveſcentibus mirifica prominebat gratia, acres ii erant, & naſus longior: barbæ capillus flavus, nec admodùm dimiſſus; capitis porrò capillos tulit prolixiores, novacula enim in caput*

Cant. 4. 1.

Nicephor. lib. 1. Hiſt. cap. 22.

*ejus*

*ejus non aſcendit, neque manus aliqua hominis præterquam Matris in tenera duntaxat ætate ejus. Perſimilis denique per omnia fuit Divinæ & immaculatæ ſuæ Genitrici, &c.*

Rup. Abb. hic in Cant. Juvat hic pro hujus conceptûs dilucidatione audire Rupertum Abbatem, qui per capillos Virginis doloroſæ ejus cogitatus omnes accipit, qui revera aurei, pulchri & ſancti erant, quippe in caput ſuum, hoc eſt, in Chriſtum dulciſſimum Filium ſuum omni, & ſereno & turbido tempore dirigebantur: *Capilli tui,* inquit *ſicut greges caprarum*; & alloquens ulteriùs Virginem, ait: *Tu quoque longum in cogitationibus tuis præſcia futuræ paſſionis Filii tui pertuliſti Martyrium: Sicut illi, qui circuierunt in melotis & pellibus caprinis, diu egentes, anguſtiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis & in cavernis terræ.* Ita, vult inferre memoratus Rupertus, ô doloroſiſſima Virgo! magnas tu quoque ob Chriſtum, & cum Chriſto per omnem vitam tuam, ac præſertim in fuga illa & exilio tam longo paſſa es ærumnas, dolores, calamitates, perſecutiones, ubi in terra aliena cum Dilecto & unico votorum tuorum anguſtiata & afflicta in ſolitudinibus, montibus, ſpeluncis & cavernis commorata es. O quot virtutes in hac triſti fuga & exilio per ſeptem annos excercuerunt hæ ſanctiſſimæ Perſonæ: *Quam citò,* ait Gloſſa, Chriſtus *apparuit mundo, incepit in eum perſecutio.* Et Eutymius: *Vide,* inquit, *quomodo ipſe ſtatim à cunis appetitur inſidiis: Fugit quoque Mater & Joſephus, &c.* Et quidem de nocte intempeſta, nullam interponentes moram in obediendo DEI mandato: *Credibile eſt,* ait Maldonatus, *propè fuiſſe carnifices, qui Puerum quærebant, quando intempeſta nocte fugere jubetur.* Interim mœſtiſſima Virgo, cùm S. Joſephus aliquantiſper in parandis neceſſariis in Bethlehem moraretur, in ſpelunca delituit, ne vertagis Herodianis unà cum Filiolo in cruentam prædam cederet, & cùm DEO infanti mammillas porrigeret, nonnullæ dulciſſimi lactis ejus ſtillæ in durum ſpeluncæ lapidem effuſæ ſunt, quæ hoc ſaxum non tam emollierunt, quàm & candidiſſimum effecerunt, ex cujus tenuiſſimo pulvere etiamnum Latini, Græci & Saraceni panes parvulos conficiunt, quibus ad variorum morborum ſanitatem utuntur. O pientiſſima Virgo! pro nobis miſellis etiam unicam ejusmodi virginei lactis tui guttulam, ac tunc præſertim, quando nobis in ſumma mortis amaritudine conſtitutis ad æternitatem migrandum erit.

Hebr. 11. 37.

Gloſſa & Euthym. hic.

Maldonat. hic in Matth. Chriſtoph. de Caſtro Hiſt. Deip. cap. 10. & alii plerique.

5. Qualem autem vitam, quàm ſanctam, morigeram, DEO placentem, & ad omnes honeſtatis leges perfectiſſimè compoſitam in exilio ſuo tres iſti SS. Exules per ſeptem annorum ſpatium duxerint, & quomodo de virtute in virtutem tranſierint, DEO potiùs, quàm hominibus patet: *Porrò non dubium eſt,* ait Cornelius, *multos Ægyptiorum viſa ſanctitate B. Virginis & Joſephi, atque ex crebra cum eis converſatione & colloquio DEUM verum cogno-*

Cornel. in Matth. 2. 15.

*cognoviſſe, coluiſſe* & *amáſſe.* Inopes erant, non tamen adeò egentes, ut ſtipem oſtiatim colligere, & januas opulentorum obire cogerentur, ſed caſtiſſima Virgo acu, & ſanctus Joſephus arte ſua fabrili victum & amictum ſibi comparabant. Menſa erat admodum tenuis, lectus durus, & plerumque humus paleis ſtrata, hoſpitium miſerrimum, nam potiùs ſpeluncam Heliopoli quàm tectum incolebant. Neque hic locorum certam ac ſtabilem ſedem figere poterant, ſed locum ex loco mutantes, cùm non deeſſent perſecutiones, nunc Hermópolim, nunc Memphim, nunc Tanaim, nunc Nitriam, nunc Alexandriam peregrinati ſunt. Quin & Magni anni partem, ubi Nilus regionem illam quotannis inundare conſuevit, huc, illucque vecti naviculis in aquis tranſegerunt, &c. Ludolh. Abulenſ. Brocard. & alii.

Vide hìc, anime mi! quid ſit vita noſtra: *Quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*, quod incarnata Patris Sapientia Chriſtus cum SS. Matre ſua maturè voluit experiri, ut doceret nos, quomodo in hoc exilio ad æternam patriam aſſiduis debeamus votis anhelare: Ille, *cujus eſt terra & plenitudo ejus*, non habebat, ubi caput reclinaret, & obſervat Ludolphus: *Quinetiam*, inquit, *aliquando Filius famem patiens panem petiit, nec unde daret, Mater habuit. Nonne in his & ſimilibus totaliter concutiebantur viſcera ejus*? Quid nos ad iſta? Et cur adeò fugacibus ac terrenis inhiamus bonis? Ille, *cui omnia inſerviunt*, maluit à vitæ primordiis eligere, quæ magis ſenſui ſunt adverſa, ut diſceres ſenſus quoque tuos refrænare, proprium ac ſenſualem in te extinguere amorem. Ille, *cui venti & mare obediunt*, extorris à patria cum SS Matre ſua diverſis jactabatur injuriarum, perſecutionum ac dolorum fluctibus; ah quis dicet. quibus affectibus jam tunc SS. COR JESU æſtuaverit, quas lacrymas mitiſſimus Infans propter tot offenſas Divinæ Majeſtati illatas profuderit, & tu pergis DEUM offendere? Lacrymante JESU, lacrymabatur & Virgo noſtris animitùs condolens miſeriis, & tunc præſertim non poterat abſtinere à lacrymis, cùm mundi lactaret Salvatorem: *Præſentiebat enim*, ait Religioſiſſimus quidam Aſceta, *ſingulas guttas lactis materni, quas Divinus Infantulus duceret, in Sacratiſſimum ejus Sanguinem convertendas, qui flagellis, ſpinis, clavis, aliisque intolerandis cruciatibus ex venis omnibus illi exprimeretur, ut ne guttula ſupereſſet, etiam mortuo lanceâ latus aperiendum.* O Chriſtiane tepide! Si non amas JESUM & MARIAM, anathema ſis.

2. Cor. 5. 6.

Ludolph. de vita Chriſti P. 1. c. 13.

Sainct. Jul. rel. des eſtus c. 6. ſect. 2. Nierenb.

6. Acceſſit novus planè ingens dolor in CORDE Sacratiſſimæ Deiparæ, ubi cruentam illam SS. Innocentium ſtragem intellexit, imò & meliùs quàm Prophetæ omnes, prævidit. Videbat, licet tunc abſens à Judæa, in animo fulminantes furere ſicas, ſtringi gladios, cruentari militum manus, parvulos ad terram allidi, puſillos à bimatu & infra calcibus obteri, Matrum ſinus innocuo ſanguine conſpergi &c. O crudelis laniena, quam

unius viliſſimi, ac impiiſſimi homuncionis ambitio ſubornavit. O gratiſſimum cœlo ſpectaculum, quia pro Chriſto mactatæ ſunt victimæ, ſed & Matri doloroſæ doloroſiſſimum: *B. Virgo*, inquit Lyræus, *totidem animo vulnera, quot infantes occubuerant, excepit.* Audiamus ipſam SS. Deiparentem ad S. Birgittam loquentem: *Ille dolor*, ait, *non erat minimus, quem habui, quando Filium meum deferebam, fugiens in Ægyptum: Et quando audivi pueros occidi innocentes, & Herodem perſequi Filium meum.*

Hadr. Lyr. in Triſag. Mar. F. 211. Revel. S. Birg. lib. 6. cap. 66.

O impie, execrande, & omnibus diris devovende tyranne! actum agis, nimiúmque inſanis, dum inter tot funera doloroſæ Matris Filium è medio quæris tollere: *Non coques hædum in lacte Matris ſuæ*; hoc eſt, non occides Chriſtum Infantem & Matris ubera lactentem in gladio, qui reſervatus eſt à Patre, ut aliquando in virili ætate regnaret à ligno, damna ligni ut ſolveret. Solus Moyſes infans, cùm ex mandato Pharaonis omnes Iſraelitarum filii ad mortem depoſcerentur, à matre in fiſcella ſcirpea in profluentem abjectus, per ſororem Mariam indemnis conſervatus eſt. Solus Joas Puerulus de medio filiorum Regis Ochoziæ, qui omnes interficiebantur, per Joſabam abſconſus, ac tandem in Regem Iſraelitarum inunctus eſt. Et quid ni Providentia Divina invigilaverit in protegendo Filio DEI & MARIÆ, cujus regni non erit finis? David quondam, cum Arcam Domini in civitatem ſuam intuliſſet, immolavit hoſtias & pacifica. Ita Pater æternus, cùm humanitatem Chriſti (per Arcam illam præſignatam) in civitatem David intuliſſet, voluit, ut & ſibi victimæ, non brutorum, ſed filiorum Iſrael, immolarentur: *DEUS enim erat*, ſubintrat hic S. Auguſtinus, *qui natus eſt, innocentes hi debentur victimæ, quia venit damnare mundi malitiam; agnelli debent immolari, quia agnus futurus eſt crucifigendus*; & hoc in ſummum parvulorum commodum, *qui per mortem hanc*, pergit idem Eccleſiæ Doctor, *ad æternam ſalutem pervenerunt*, qui aliàs impio fortaſſe Moloch à parentibus, natum DEI Filium non acceptantibus, fuiſſent immolati, unde Pſaltes Regius: *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis*: Vide ex his omnibus, quàm ſuaviter Divina Providentia ſoleat cuncta in ſuum ordinare finem. Diſce pro coronide à doloroſa Matre in rebus omnibus & quantumvis arduis te penitùs in voluntatem & arbitrium DEI reſignare, qui non patietur, ut tenteris ſupra id, quod potes, ſed faciet cum proventu finem.


Exod. 23. 19. Exod. 2. 3. 4. Reg. 11. 2. 2. Reg. 6. 17. S. Auguſt. ſerm. 8. de Sanct. Pſal. 105. 37.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO XX.

## Expenditur Dolor & amor afflictiſſimæ Matris DEI, dum Filium ſuum duodennem perdidit.




Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.
*Luc.* 2. 48.

1. JUſſerat quondam DEUS, ut viri omnes ter in anno, hoc eſt, in Feſto Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum in Templo Solymæo ſeſe præſentarent, & ibidem ſupremum Numen ſpecialibus donis ac oblationibus honorarent: *Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino.* **Exod. 23. 17.** Ad hoc Divinum obſervandum præceptum S. Joſephus, qui hactenus Nazarethi morabatur, cum Puero JESU nunc duodenni & SS. Conjuge ſua MARIA Hieroſolymam ad Feſtum Paſchale aſcen-

dit, ubi expletis ſeptem ſolemnitatis diebus, & peractis de more pietatis officiis, cum amicis, notisque concivibus Nazarethum in patrium ſolum viam relegere cœpit; verùm triſti & luctuoſo cum eventu, dum Puer JESUS inſciis parentibus ſolus Jeroſolymæ remanſit, quem piiſſimi Parentes in via inter cognatos, & notos ſummo animi cum dolore per triduum fruſtra quæritabant.

O triſte triduum! quod teſte D. Ambroſio illius affictiſſimi tridui præludium extitit, in quo Chriſtus, tanquam innocens victima à Patre pro ſalute mundi deſtinata, poſt 21. annos in ara crucis erat immolandus. Audi in hanc rem S. Eucherium: *Religioſi Parentes*, inquit, *per ſingulos annos ibant in Hieruſalem, ut Legem audirent, Sacrificiis participarent, ſolemnitatibus intereſſent, & ejus adhuc umbræ ſerviebant, cujus jam tenebant veritatem: Tota enim illa ſolemnitas Chriſti paſſionem & reſurrectionem & cætera, quæ de ipſo ſcripta ſunt, ſignificabat. Erat igitur JESUS in ſolemnitate, qui totus erat cauſa ſolemnitatis; ipſe jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus Sacrificiis offerebatur. Mater quoque ejus multa ibi in Lege & Prophetis cantari audiebat, quæ de ipſo dici intelligebat*, dum ex lectione & oraculis Prophetarum, & vel maximè ex revelatione VERBI optimè cognoſcebat, quòd per ſingula ejusmodi Sacrificia, quæ propriis etiam ſpectabat oculis, nil aliud in umbra præſignaretur, quàm Chriſti Unigeniti ſui paſſio, crux & mors cruenta. O pientiſſima Mater, quis mœrorem & dolorem Sacratiſſimi CORDIS tui condignè poterit explicare? Et tu, ô amantiſſime JESU! quomodo in tantum poteris affligere Sacratiſſimum COR innocentiſſimæ Matris tuæ, ut tota ejus vita tecum pari ratione fieret perpetua crux & Martyrium?

S. Eucher. hom. in Luc. 2.

2. Pro reſponſione & ſolutione hujus quæſtionis præfixum oportet inſpicere Emblema, in quo duæ columbæ, roſtro ſeſe invicem ferientes repræſentantur. Solet autem columba maſcula prout bene in rem noſtram advertit Guerricus Abbas, ſociam ſuam, quam fido proſequitur amore, in peculiare amoris pignus ſæpiùs roſtro ſuo ferire, unde Lemma Areſii ex illo Proverbiorum cap. 3. v. 12. mutuatum: *Quam diligit, percutit*; vel ſi magis arridet illud Apocalypſeos c. 3. v. 19.

## Amat & caſtigat.

Ita eſt: Amat DEUS & caſtigat, ô pientiſſima Virgo, verè Mater amoris & doloris; tu illa ſocia es columba: *Amica mea, columba mea, immaculata mea*, quam DEI Filius in ſignum ſummi & puriſſimi amoris, quo ſemper hanc Sacratiſſimam Matrem ſuam complexus eſt, innumeris propemodum afflictionibus & immenſa amaritudine in hac mortali vita replevit

Cant. 5. 2.

ut

Digitized by Google

ut in veritate de hoc Sacratiſſimo CORDE MARIÆ illud dici poſſit Eccleſiaſtis: *Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni ſunt.* Eccl. 2. 23.

De turture referunt, quòd, ſi conſortem perdit, aſſiduò gemere, & mœrere ſoleat, in quem finem ſolitaria non amplius in ramo viridi, ut priùs ſolebat, ſed ſemper in arido reſidet, hinc Virgilius: *Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.* Talis turtur & dolentiſſima Virgo extitit, unde in Epithalamio: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra,* cujus afflictiſſimum COR Cant. 2. 12. ob dilectum ſuum, nunc per triduum amiſſum, diu, noctuque inenarrabilibus gemitibus in cœlum ſuſpiravit. O quoties vox hujus myſticæ turturis in hoc luctuoſo triduo audita eſt: *Fili mi, quare nobis ſic feciſti? Ecce, Pater* Luc. 2. 48. *& ego dolentes quærebamus te; quò abiiſti dilecte Cordis mei? Quò declinâſti? Oſtende mihi iterum faciem tuam: Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Cant. 2. 14.

3 Si videbat hæc afflictiſſima Mater tunc in itinere quaquaversùm diſcurrens, rubum quendam aut dumetum, penſabat in corde ſuo: Fortè in hoc ſpineto erit Dilectus meus abſconditus, quia Moyſes non inter oblectamenta & roſarum, florumque delicias, ſed in ſpinoſo rubo DEUM invenit: *Apparuit ei de medio rubi.* Exod. 3. 2.

Si per florentes Palæſtinæ vineas tranſibat pretioſa Virgo, cogitabat mœſtiſſimum COR ejus: Fortè hic in vineis morabitur Dilectus meus, quia *Botrus Cypri eſt mihi in vineis Engaddi.* Cant. 1. 13.

Si dulciſſimum Filium ſuum per vicos & urbis quærebat plateas, oſtiatim amicorum & notorum pulſans fores, in mentem illi incidebat: Fortaſſe Dilectus meus inter privatos latebit parietes, quia DEus obſconditus eſt: *En* Cant. 2. 9. *ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.*

Si filias Jeruſalem, cognatas & amicas offendit ad illas ſe lacrymoſo vultu convertens, rogavit: *Quò declinavit Dilectus meus? Adjuro vos filiæ Jeruſa-* Cant. 5. 8. *lem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo?* cui Sacratiſſimæ Virgini reſponderunt Filiæ Sionidæ: *O pulcherrima mulierum, qualis eſt Dilectus tuus?* Quibus ſubjungebat mœſtiſſima Mater: *Dilectus meus candidus & rubicundus; electus ex millibus, & ſpecioſus præ filiis hominum.* O pientiſſime JESU! ô Fili Benoni! obſecro, tam diu puriſſimum COR SS. Parentis tuæ poteras affligere?

4. Sic Anna quondam ineffabili cordis cum dolore dilectum & unicum filium ſuum Tobiam, in peregrinas ac remotas regiones abeuntem, quotidie inquirebat; proinde ad montana excurrens de longè ſpeculabatur quando tandem adventurus eſſet tot deſideriis exoptatus Filius: *Illa autem* Tob. 10. 7. *nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes: per quas ſpes remeandi videretur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet, venientem.*



Digitized by Google

Ita Sponſa Veteris Teſtamenti, cùm Dilectum cordis ſui amiſiſſet, omnis moræ impatiens non deſtitit eum ubique locorum inquirere, unde ad forum contendit, exiſtimans, quòd fortè dilectus animæ Sponſus in conventu hominum foret inveniendus. Civitatem exinde petit, omnesque ejus plateas peragravit, ſed nec invento illo ad vicos & pagos pertranſiit:
Cant. 3. 2. *Surgam*, inquiebat, *& circuibo civitatem, per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea: Quæſivi illum, & non inveni.*

Quis ignorat, qua animi cum ſollicitudine bonus ille Paſtor oviculam ſuam perditam quæſierit, quem ab inveſtigando nec horridum deſertum, nec viarum longitudo, nec ſpinarum auſteritas, nec fames aut ſitis, nec alia
Luc. 15. 4. ſexcenta incommoda poterant abſterrere, *Vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam.*

Pari curâ & ſtudio prorsùs indefeſſo Mulier illa Evangelica drachmam ſuam amiſſam inquiſivit, dum Lucernam accendit. cunctos luſtrans domûs angulos, ubi ſpes affulgebat, hanc ſuam pretioſam reperiundi drachmam:
Luc. 15. 8. *Quærit diligenter, donec inveniat.*

De Ruben refert Scriptura, quòd, cùm ad ciſternam veterem, in qua Joſeph detinebatur, denuò reverſus fuiſſet, nec ibidem hunc fratrem ſuum reperiſſet, præ doloris vehementia ipſe ſibi veſtimenta ſua conſciderit, lacry-
Gen. 37. 30. moſa voce in cœlum inclamans: *Puer non comparet, & ego quò ibo?*

5. Nunc conſidera, anima Chriſtiana, quantus debuit fuiſſe dolor & amor afflictiſſimi CORDIS MARIÆ, dum in peregrinatione Hieroſolymitana inter tot hominum millia ſuaviſſimum Filium ſuum, amorem ac ſolamen ſuum unicum perdidit! O quoties in hoc luctuoſo triduo per montes & valles, per aſpera & plana, per ſylvas & agros ambulans hoc lugubre in cœlum ingeminavit: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Sciverat nimirum beatiſſima Virgo, illum eſſe DEUM, theſaurum totius mundi, & Bonum ineffabile, ac omnia benè ordinare in ſuum finem, proinde exiſtimabat, ſe fortaſſe in aliquo peccàſſe, quod tanto Filio diſpliceret, & ob quam cauſam ad Patrem cœleſtem uſque ad aliud redemptionis tempus aſcendiſſet. O mœror! ô luctus innocentiſſimi CORDIS MARIÆ! quis explicet mortalium, quo cum doloris ſenſu hæc dolentiſſima Mater hoc triduum traduxerit, & quam ingentem lacrymarum vim ob tam immenſam jacturam profuderit? O bone DEUS! ubi ſunt noſtræ lacrymæ, ubi cordis mœror, ubi vera ac ſincera contritio? Ah quoties te, ô ſummum Bonum! ô infinitum Bonum! ô immenſum Bonum! per peccata noſtra perdidimus, & ridemus miſeri, & plaudimus, neque emendamus?

6. Sed dic, obſecro, amantiſſime JESU! quid peccavit in te innocentiſſima Mater tua, quòd tota vita illius ferè aſſiduus mœror & dolor, crux &
Job. 6. 10. Martyrium fuerit? Unde meritò cum Job dicere poterat: *Et hæc mihi ſit*

*con-*

Digitized by Google

*conſolatio, ut affligens me dolore non parcat*; Si illam amas, ô mi Salvator, ſuper omnia creata ſimul, quare ergo eam tam durè caſtigas? Et hoccine amare eſt, ô mi JESU! *caſtigare & amare*?

Siſte judicium tuum, anime mi, & tuam pauliſper differ ſententiam. Dic, quæſo, an non DEUS Pater ſuper omnia Filium ſuum Unigenitum dilexit; Audi illum de cœlo intonantem: *Hic eſt Filius meus dilectus*; ſed quomodo & qua ratione dilectus? Audi Apoſtolum: *Quid ergo dicemus ad hæc? qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ergo hoc diligere eſt: *Flagellat, & diligit*? O amor mirandus, ô charitas inaudita! ut ſervum redimeret, DEUS Filium ſuum tradidit, & tamen amavit. O portentum amoris! Joan. 3. 17. Rom. 8. 31. Hebr. 12. 6.

Proinde nullatenus mirandum eſt, quòd DEI Filius neque Sacratiſſimæ Matri ſuæ pepercerit, ſed in hac vita mortali Sacratiſſimum COR & animam ejus perpetuis afflixerit doloribus: *Quia acceptus eras DEO*, dicebat quondam ad Tobiam Angelus, *neceſſe fuit, ut tentatio probaret te*; & ipſa Veritas: *Ego quos amo, arguo, & caſtigo*; nam in DEI amore non vivitur ſine dolore, imò & ipſe amor menſura doloris eſt: Voluit itaque benignus Dominus hìc ſingulare nobis in Sacratiſſima Matre ſubminiſtrare exemplum, quomodo pariter DEUM dolentes debeamus quærere, qui in diliciis minimè invenitur. Et nunquid Joſeph Ægyptiorum Pro-Rex Benjaminum ſuper omnes fratres ſuos dilexit? Qui tamen illi neutiquam pepercit, ſed ſacco illius, ac ſi omnium fur & latro peſſimus fuiſſet, ſcyphum ſuum argenteum imponi juſſit, & duriùs illum cæteris omnibus tractavit. Tob. 12. 13. Apoc. 3. 19. Gen. 44. 2.

En typum perelegantem, quomodo Sapientia æterna ludere ſoleat cum Electis ſuis, quos in hac vita mortali duriùs, quàm reprobos pati, contemni, atque vexari ſinit, ut illos tanden ad gloriam majori cum merito axaltet, atque æternum coronet? ſic Chriſtus Dominus præ cæteris omnibus dilectis ſuis primò Sacratiſſimæ & amantiſſimæ Matri ſuæ paſſionis ſuæ calicem longè amariſſimum deguſtandum præbuit, ut non tantùm Martyrum coronas omni jure mereretur, ſed & tandem, tanquam Regina Martyrum, in cœleſti regno ſuper omnes creaturas exaltaretur.

7. Figuram pulcherrimam de hac veritate Sacræ ſubminiſtrant Paginæ; & nunquid Aſſuerus potentiſſimus Perſarum Rex Eſther Reginam ſuam ſuper omnia dilexit: *Et adamavit eam Rex plùs, quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite ejus*? Et tamen contra eam virgam ſuam extendit, & ſuper collum ejus impoſuit: *Extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu, ipſaque accedens oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus.* Eſth. 2. 17. Eſth. 15. 15.

Per Aſſuerum Chriſtum JESUM, Regem Regum, & Dominum Dominantium ſubaudi, qui in hac vita mortali contra innocentiſſimam ac dilectiſ-

ſimam

Digitized by Google

ſimam Matrem ſuam, quam unicè, ut pupillam oculi adamaverat, pariter
S. Bonav. in 3. Sent ep. 5. a.2. q.2. virgam regni, hoc eſt, prout obſervat Seraphicus Doctor, virgam crucis liberaliter extendit: *Et poſuit ſuper collum ejus*, imò & in CORDE ipſius, non duntaxat virgam crucis, ſed & paſſiones & afflictiones omnes, quas ipſe pro ſalute generis humani perpeſſus eſt, in quem finem eam intereſſe voluit quibuslibet luctuoſiſſimis ſpectaculis & ipſi morti crucis, *ut ſic*, prout optime infert devotiſſimus Landſpergius, *Chriſti paſſionis, redemptionis quoque noſtræ fieret particeps & cooperatrix, quomodo Incarnationis fuerit Divinæ.*
Landſperg. hom 48.

8. Proinde non mirare ampliùs, anima Chriſtiana, ſi te DEUS in hac vita caduca diverſimodè arguit, atque in multis exercitat adverſitatibus:
Prov. 3. 12. *Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi*; ſic enim definitum eſt, neque tibi DEUS & Homo Chriſtus ad cœlum viam aliam pinget, quàm illam, quam ſibi & dulciſſimæ Matri ſuæ doloroſæ præparavit:
Cant. 2. 6. *Læva ejus*, dicebat quondam Sponſa, *ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Per lævam ſeu ſiniſtram, Cornelio à Lapide atteſtante, adverſa hujus mundi, & per dexteram proſpera ac felicia indicantur: priùs Chriſtus ſub capite Sacratiſſimæ Genitricis ſuæ lævam ſuppoſuit, ſed tandem in fine Sacratiſſimum COR ejus immenſo grudiorum pelago replevit: *Juſtum*, ait
Sap. 10. 10. Sapiens, *deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum DEI*, per quas vias rectas Jonathas Chaldæus in ſua Paraphraſi hujus mundi adverſitates intelligit: *Filium, ait, deduxit Dominus per vias aſperas*, &c. Hæc enim via aſpera crucis, via regia, via ſancta, via rectiſſima eſt, per quam omnes Electi &
Actor. 14. 21. Dilecti DEI ad cæleſtem patriam pervenerunt: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Vis & tu, ô mi Lector?

Redeo pro coronide ad afflictiſſimam Deiparentem MARIAM: ô mitiſſima Domina, ſiſte nunc lacrymas, & pone luctum tuum Filia Sion! inventus eſt, quem tot votis hactenus per triduum deſideravit anima tua; en in templo in medio Doctorum ſedet, cujus ſapientiam mirantur omnes, ſuſpiciunt univerſi; ô quis dicet, quàm ineffabili gaudio Sacratiſſimum COR tantæ Virginis ac Matris tunc temporis afficiebatur? Tunc demum revixit ſpiritus ejus, velut quondam Patriarchæ Jacob, cùm Joſeph filium ſuum,
Gen. 46. 30. quem tot annis perditum credidit, rursùs ſanum & incolumem invenit: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* O beatiſſima Virgo! ô Mater doloris & amoris! lætamur & nos indigniſſimi clientes tui in unum, atque ob tantum repertum theſaurum tibi omnes ex tota cordis latitudine congratulamur, humiliter te deprecantes, quatenus nobis miſeris ac pauperculis hanc à DEO gratiam exorare digneris, ut poſt hunc mortalis vitæ curſum JESUM Filium tuum invenire, & unà tecum in cœleſti gloria æternum gaudere poſſimus.

CON-

# CONSIDERATIO XXI.

## Omne gaudium Doloroſæ Virginis in hac vita mortali triſti abſynthio permiſtum erat.




Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.

*Thren.* 3. 15.

1. INter omnes mundi flores facilè principem ſibi locum vendicat Granadilla, ſeu flos paſſionis, cujus decor & odor venuſtatem, odoremque roſæ longè excedit, ac ſuperat; hinc Indi, atque Americani ejusmodi florem ſecum ad pectus geſtare aſſolent, ut & ipſi hujus admirabilis floſculi beneficio odoriferi reddantur. Solet autem flos ille diſtinctè ac dilucidè Sacratiſſimæ paſſionis Dominicæ inſtrumenta præſeferre, unde non abſque peculiari guſtu in illo cernes columnam cum baſi & capitello

ad formam illius columnæ, quæ nunc Romæ in templo S. Praxedis religioſè aſſervatur, ad quam NUDA VERITAS Chriſtus flagellatus eſt. Videbis inſuper in eodem prodigioſo flore coronam ex quinque virgulis ſe invicem illigantibus & vincientibus efformatam, ac ſeptuaginta duabus ſpinis rigidam, tot enim ſentibus venerandum Chriſti caput doloroſiſſimè fuiſſe ſauciatum etiamnum hodie ſacra Sindon Auguſtæ Taurinorum piiſſimè aſſervata ſatis luculenter demonſtrat. Conſpicies ad hæc in hoc venuſtiſſimo flore Dominicam crucem, tres & ſubinde quatuor clavos abinde pullulantes, ſpongiam cum vaſe aceti, funes, arundinem, lanceam ac præſertim quinque SS. vulnera rubeis totidem notis eleganter depicta. proinde rectè à nonnullis flos quinque plagarum ſolet appellari. Et ſi quis acutiore oculo hoc naturæ portentum conſiderat, non reliquam duntaxat Dominicæ paſſionis ſupellectilem, ſed & ſeptem gladiolos in memoriam ſeptem dolorum B. Virginis & Matris doloroſæ inveniet, ita Drexelius: *ſub rotundo*, inquit, *folio emergunt viridantia ſeptem oblonga & acuta foliola, velut mucrones aut gladioli.* Solet autem flos ille quam maximè in partibus Indiæ Occidentalis ſponte ſua in campo naſci, ex quibus locis unus in Europam ad Paulum V. Pont. Max. delatus brevi temporis intervallo adeò adauctus fuit, ut in multis Italiæ partibus modò ſimiles Granadillæ reperiantur: *Atque hinc apparet*, ſubintrat hic doctiſſimus Quareſmius, *quam admirabilis fuerit natura Opifex in iſta Granadillæ arbuſcula, cùm in gratiam dilectiſſimi Filii ſui & paſſionis ejus, quam voluit in flores convertere, & illam in noſtrum commodum ſpirituale ac corporale tranſire, dum ex illius aſpectu in nobis Dominicæ paſſionis refricatur memoria; & illius fructu paſcimur, & potamur.* Audi Poëtam:

R. P. Drex. de Chriſt. Mor. apud me. f. 540.

Quareſm. lib. 1. c. 2. ſect. 5.

R. P. Joan. Nierenb. Ariſt. nat. L. 14. c. 10.

*Pulcher in America Moſcho redolentior eſt flos,*
*Qui gerit occiſi nobile ſtemma DEI.*
*Conſcia flagrorum croceo ſtat in orbe columna,*
*Circumſtant granis vulnera quinque rubris.*
*Cum clavis reſidet ſpinoſum in vertice ſertum,*
*Reſperſus violam pingit ubique cruor.*
*Viſitur in plantæ foliis penetrabile ferrum,*
*Sacrum quo fodit lancea dira latus.*
*Sed quæ vulnifici flores dant poma cadentes,*
*Ambroſius miſcet, Nectareusque ſapor.*
*Portenti novitas, & conſona rebus imago;*
*Adſtruit antiquam, clarificatque fidem.*

*Miſe-*

Digitized by Google

*Miſſaque Pontifici Romano, circuit orbem,*
*Fertque ſalutiferæ nuntia læta crucis.*
*Nam DEUS Omnipotens noſtros tulit ipſe labores,*
*Ipſius eſt nobis Crux paradiſus, Amen.*

Ex quibus colliges, prudens Lector! quòd pro Lemmate ejusmodi Granadillæ non inconcinnè Itali inſcribant: *Raſſembrano fiori, e ſono tormenti*, quod idem eſt: *Specie flores, re ipſa ſunt tormenta*; vel breviùs: *Chriſti tormenta figurat*. Aut ſi mavis ad propoſitum noſtrum meliùs dilucidandum:

## Delectat, & cruciat.

2. Ita eſt: Granadilla *delectat & cruciat*. Et quid dico? Si Gentiles & Barbari ad Orientem & Occidentem tanti ſuam faciunt Granadillam, eamque ob plurima commoda in pectore deferunt; quid Chriſti fideles oportet facere?, An non pari ratione hunc paſſionis florem in corde ſuo gerant, ut uberrimos inde paſſionis Dominicæ fructus ex illius vel aſpectu, vel meditatione, velut apes argumentoſæ, colligant? Unde arguté nonnemo Aſcetarum huic flori inſcripſit: *Unde piæ paſcantur apes?* Et licet Granadilla faſciculus myrrhæ non ſit, eſt tamen ſignificatione, virtute & effectu, quia pleraque Dominicæ paſſionis myſteria adumbrat, imò & ad vivum repræſentat, proinde meritò inter ubera noſtra, imò & intimis cordis medullis quotidie circumferatur juxta exemplar, quod nobis doloroſa Mater non in monte Calvario tantùm, ſed & per omnem vitæ ſuæ curſum commonſtravit, quæ eundem faſciculum nedum per jugem meditationem, ſed & per ſedulam imitationem jugiter in corde ſuo portavit; hinc Richardus à S. Laurentio ſupra illud Canticorum: *Coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus*, rectè & piè commentatur: *Coma tua, id eſt, cogitationes tuæ tinctæ ſunt in memoria Dominicæ paſſionis, & ſic effectæ ſunt cogitationes tuæ, quaſi recentem viderent ſanguinem de Filii vulneribus diſtillantem.* En quomodo aſſiduò Crucifixus JESUS in CORDE doloroſæ Virginis tanquam floridus Nazaræus ſit commoratus, delectans quidem, ſed & crucians; delectans, inquam, quia flos erat elegantiſſimus, juxta ac odoratiſſimus, ſed & crucians, quia paſſionem ſemper circumferebat, ex quibus neceſſariò ſequitur, omne gaudium B. Virginis abſynthio immiſtum.

Cant. 7. 5.
Rich. à S. Laurent. lib. de Laud. B. V. c. 5.

3. Perelegantem de hac veritate attendamus figuram. Jacob, quia Joſeph filium ſuum ob ſingularem vitæ, morumque innocentiam plùs quàm cæteros omnes natos ſuos dilexerat, ei in peculiarem paterni amoris teſſeram tunicam polymitam, id eſt, ex fruſtis & liciis diverſi coloris variegatam fieri curavit: *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios, eò quòd in ſenectute* Geneſ. 37. 3.

 genu-

*genuiſſet eum: fecitque ei tunicam polymitam.* Ad quid, obſecro, hæc tunica & veſtimentum variis contextum coloribus? Quare ſoli Joſeph ejusmodi veſtem procuravit Pater?

Obſerva, non ſine peculiari ratione hoc factum eſſe, prophetavit nimirum per hoc pientiſſimus Pater, talem & vitam filii ſui Joſephi eſſe futuram, variis tribulationibus ac conſolationibus immixtam: *Dedit ei*, ait D. Chryſoſtomus, *tunicam polymitam, id eſt, varii coloris; lætis triſtia miſcentur*, &c. Mellifluus verò Bernhardus per Patriarcham Jacobum Patrem cœleſtem ſubaudit, qui in ſenectute ſua, hoc eſt, ab æterno Filium ſuum genuit, per polymitam autem humanitatem Chriſti à Virgine ſuſceptam, variisque contextam coloribus, id eſt, nunc gaudiis & conſolationibus, nunc tribulationibus ac paſſionibus, nunc gloriâ & honore, nunc contumeliis & opprobriis immiſtam intelligit; tum ad Patrem cœleſtem converſus Mellifluus ait: *Reſpice Domine ſancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelſo cœlorum habitaculo: Cognoſce veram tunicam Filii tui Joſeph: Hæc fera peſſima devoravit eum, & conculcavit in furore ſuo veſtimentum ejus, omnem decorem ejus reliquiis cruoris inquinavit; & ecce, quinque ſciſſuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc eſt Domine veſtimentum, quod in manu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit.*

S. Chryſoſt. hom. 8. in Matth. 2.

S. Bernh. ſerm de Paſſ. Dom.

O pientiſſima Domina! ô Mater amoris & doloris! an non cum Unigenito Filio tuo omnis pariter vita ſimilis ejusmodi tunicæ polymitæ, id eſt, varii coloris extitit? Audiamus dictum Oratorem Aureum: *Enimverò miſericors DEUS mæſtis rebus quædam etiam jucunda permiſcuit. Quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas: Sed tum ex adverſis, tum ex proſperis juſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexit, quod hic quoque eum feciſſe conſidera*, &c.

S. Chryſoſt. loc. cit.

4. Probam audite, & invenietis, quòd gaudium & dolor, conſolatio & afflictio ſemper alternativè in vita doloroſæ Virginis ſibi invicem ſucceſſerint. Impetratur à DEO, tanquam donum omnium præſtantiſſimum, à ſanctis ſterilibus parentibus, ſed nonniſi per multas orationes, mortificationes, jejunia & fletus; unde quemadmodum S. Auguſtinus filius lacrymarum nuncupatus eſt, eò quia per lacrymas S. Monicæ Matris ad meliorem vitam fuit progenitus; ita & hæc Sacratiſſima Virgo meritò lacrymarum filia nominari poteſt, quam in commodum totius terrarum orbis piæ & aſſiduæ parentum lacrymæ impetrârunt. Naſcitur poſt novem menſium ſpatium ſummo parentum cum gaudio imò & Angelorum omnium in hunc mundum, ſed non niſi juxta piſcinam probaticam, quæ erat futuræ Dominicæ paſſionis typus. Præſentatur cum gaudio jam trimula in templo, ut à negotiis ſæcularibus remota eò liberiùs ſoli DEO vacaret, in quo tamen templo quotidie non niſi cruenta ſpectavit Sacrificia, quæ omnia, atteſtante Cor-

S. Epiphan. Ep. orat. de Laud. Virg.

S. Damaſc. l. 4. de fide cap. 15.

Eucher. homil. in Luc. 2.

Digitized by Google

Cornelio & aliis, Chriſtum in ara crucis ſuo tempore pro ſalute mundi immolandum præſignabant, cujus paſſionis hæc tenera Virgo non ignara fuit. Deſponſatur S. Joſepho applaudente cœlo, ſed mox ob occultationem Sacramenti Incarnationis Divinæ in ſuſpicionem venit, videndo quippe S. Joſeph gravidam Virginem, in conturbationem incidit maximam. Parit Filium ſuum primogenitum & unigenitum cum exultatione, ſed non niſi in viliſſimo tugurio, quia non erat ei locus in diverſorio, quod ſine dubio animum hujus Sacratiſſimæ Deiparæ ſummè cruciabat. Lactat gaudens Filium ſuum ubere de cœlo pleno, ſed non ignara, lac illud virgineum in ſanguinē illum pretioſiſſimum vertendum, quo ſuo tempore mundus redimeretur univerſus. Offert hunc ſuum dulciſſimum Natum ſecundum Legem ad circumciſionem, eique Sacratiſſimum Nomen JESUS, quod priùs ab Angelo audierat, venerabunda imponit, ſed quo dolore, putas, COR ejus ſauciatum fuit, dum tenellum hunc Infantulum de vulnere cruentum, lacrymantem, & quaſi exanimem in materno ſinu recepit? Honoratur à Magis, qui apertis theſauris ſuis liberali manu aurum & thus ei offerebant, ſed & myrrham ab eis in ſinu ſuo recepit futuræ Filii paſſionis, mortis ac ſepulturæ typum & prodromum. Præſentat delicias ſuas in templo æterno Patri in Sacrificium matutinum, gaudent Angeli, laudantes & benedicentes Dominum; ſed quis dicet, quo mœrore materna tunc viſcera torquebantur, cùm à Simone audivit: *Poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur.* &c. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*? In domum exinde Nazarethanam revertitur, & in re domeſtica ſollicitam Martham agit, verùm mox iterum tumultus: Herodes Puero machinatur necem, & tenera Puerpera intempeſta nocte, ac rigida hyemis ſtatione cogitur fugam in Ægyptum arripere. Dic, quo animi cum luctu? O quot gemitus ac ſuſpiria tunc mœſtiſſima Virgo edebat auditâ tot infantium cæde? Defuncto Herode ad Angeli monitum cum gaudio revertitur ad patrium ſolum: *Vade in terram Iſrael, defuncti ſunt enim, qui quærebant animam Pueri.* Sed mox iterum mœror; audiens enim, quòd Archelaus pro Herode patre ſuo regnaret, timuit illò ire. Aſcendit cum filio ſuo duodenni in templum, DEUM in ſpiritu & veritate adoratura, verùm rurſus hîc cithara verſa eſt in luctum, dum per triduum ſuaviſſimo Filio ſuo, ac unico animi ſolatio privata eſt. Collige ex his, anime mi! an non omne gaudium Sacratiſſimæ Deiparæ in hac vita triſti fuerit commiſtum abſynthio? Unde rectè Propheta Threnologus: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſynthio.*

Matth. 1. 18. — Luc. 2. 7. — Luc. 2. 21. — Matth. 2. 11. — Luc. 2. 34. — Matth. 2. 19 — Thren. 3. 15.

5. Quid reliquum commemorem hujus doloroſæ Virginis vitæ curſum? Spondanus refert, quòd Sereniſſimus Marchio Badenſis inter alia ſua cymelia pretioſum quendam lapidem habuerit, olim ab homine Villano in agro inventum, qui, in quamcunque demum partem vertebatur, ſingulari natu-

Spond. ad an. 1415.

Boſius de Cruce triumph.

naturæ miraculo accuratam Crucifixi JESU effigiem referebat. Boſius recenſet, quòd in Hiſpania in Valle Soletana Crucifixi Servatoris imago in vite prodigiosè creſcens, fuerit reperta. Anno Chriſti 1698, die 23. Decembris Auguſtæ Vindelicorum Crux in fago, cùm à ruſtico ſecuri finderetur, quaſi ligno innata, & ita à natura impreſſa reperta eſt, cujus ſchema æri inciſum penès me retineo. De pomo Paradiſiaco refert Henricus Caniſius (qui fructus in Syria & Cypro creſcit) quòd, ſi conſcindatur medium, crucis ſignum, & in ea pendentem orbis Redemptorem apertiſſimè demonſtret. P. Nadaſius S. J. commemorat, quòd Memphi & Alexandriæ in Ægypto in hodiernum usque diem creſcere ſoleant ejusmodi mala, dulcis & ſuper omnem ficum ſaporis, quæ, cùm intùs aperiuntur, aut cultro diſſecantur, effigiem crucis & Chriſtum in cruce fixum ſtupendo naturæ prodigio exhibere ſolent: *Quotquot*, ſunt Auctoris verba, *illius pomi ſegmenta bucellasque cultro diſſecueris, totidem deprehendes ſuis ſignatas crucibus, & in crucem compacti Servatoris effigies,*

Henr. Caniſ. lect. antiq. tom. 5. fol. 112. Nadaſ. in Eremo Div. amor. num. 537.

Agedum Lector Mariophile! introſpiciamus COR doloroſiſſimæ Matris DEI & noſtræ; & quid in eo reperiemus nisi crucem implantatam, & in ea per omnem illius vitæ curſum pendentem JESUM? Si enim Chriſtus (prout in Tractatu de Sacratiſſimo CORDE JESU abunde demonſtravimus) à primo conceptionis ſuæ inſtanti per vivam ac clariſſimam futuræ paſſionis ſuæ apprehenſionem, velut in aſſidua cruce diſtentus fuit, ita quoque Sacratiſſima Deipara ab illo temporis momento, quo Mater JESU eſſe cœpit, perpetuò uſque ad vitæ finem ſub cruce ſtetit: *B. Virgo*, ſunt verba S. Bernhardini Senenſis, *cum Chriſto crucifixa eſt in hora ejus conceptionis, tunc enim obtulit ſe; & prompta fuit ad exponendum ſe morti & martyrio.* O triſtis & flebilis Amarantus! cui rectè pro epigraphe inſcribis: *Lacrymis mea vita vi[illegible]t.* Sed dic, obſecro, ô dulciſſima Virgo! quomodo poſſibile fuit hanc per omnem vitam ſuſtinere rerum ac dolorum viciſſitudinem? Quid cogitabas, ô Domina, quando vidiſti, quod ubique locorum Filio tuo contradiceretur, & *Sanctus Sanctorum* tot contumeliis, blasphemiis, convitiis, opprobriis ac perſecutionibus proſcinderetur? Quàm immenſa tunc amaritudo COR & animam tuam replevit, ubi intellexiſti tot Filio parari præcipitia, tot intendi lapidationes, ipſamque denique amariſſimam imminere crucis mortem? Et ſi Petrus infame crucis ſupplicium, tanquam rem indigniſſimam, & Chriſto Magiſtro ſuo (prout arbitrabatur) probroſiſſimam, audire non poterat: *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc.* Quid de tali Matre ſentiendum, *quæ conſervabat omnia verba hæc, conferens ea in corde ſuo?* Audi S. Birgittam: *Ille*, inquit, *doloris gladius Cordi Virginis omni hora tantò ſe propius approximabat, quantò ſuus dilectus Filius paſſionis tempore magis appropinquabat. Unde credendum eſt, quòd ille piiſſimus DEI Filius innocentiſſimæ ſuæ Matri filialiter compatiens,*

Conſid. 5.

S. Bernhardin. Senenſ. tom 3. ſerm. 6. a. 2.

Luc. 4. 29. Joan. 8. 59. Joann. 11. 53.

Matth. 16. 22. Luc. 2. 19. Revel. S. Birg. in ſerm. Ang. ſer. 6. le. l. 2 c. 17.

Digitized by Google

*patiens, dolores ejus frequentibus conſolationibus temperabat; alioquin ejus vita uſque ad Filii mortem ſuſtinere minimè valuiſſet.*

6. Cæterùm inquirunt SS. Patres rationem, quare DEI Filius, *qui fabricatus eſt auroram & ſolem*, etiam filius fabri lignarii eſſe voluerit: *Nonne hic eſt fabri filius? Nonne Mater ejus dicitur MARIA?* Ad quæſtionem reſpondet S. Chryſoſtomus: *Ideò fabro lignario MARIA deſponſata erat, quoniam Chriſtus Eccleſiæ Sponſus omnium ſalutem hominum operaturus erat per lignum crucis.* Et quemadmodum Noë Arcam fabricatus eſt, in qua ſalvaretur genus humanum; ita & iſte fabri Filius JESUS, plùs quàm Noë, in officina S. Joſephi arcam crucis parare cœpit, per quam *ipſe ſalvum faceret populum ſuum à peccatis eorum*; & quia nondum venerat hora illa, quâ pro humana conſumanda redemptione in lignum configeretur, voluit ſaltem lignum crucis & cætera paſſionis ſuæ inſtrumenta ſemper in memoria, atque in conſpectu ſuo habere, ut ſic tota vita JESU crux fieret & martyrium: *Et dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

Psalm. 73. 26. Matth. 13. 55. S. Chryſoſt. in Cat. D. Thom. in Matth. 1. Geneſ. 6. 14. Matth. 1. 21. Pſal. 37. 18.

Eadem ratio pugnat etiam pro doloroſa Matre; ſciverat enim hunc dilectum Filium ſuum eſſe *poſitum in ſignum*, hoc eſt in crucem, *cui contradiceretur*, cum qua & mitiſſimus JESUS (prout nullus ſanæ mentis dubitare poteſt) ſæpiùs de hoc argumento locutus eſt: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Ex abundantia enim cordis os ejus loquebatur de exceſſu, quem completurus eſſet in Jeruſalem, &c. Ex quibus omnibus Lectori prudenti & rerum æſtimanti abundè patet, quòd omne Virginis doloroſæ gaudium in hoc orbe amariſſimo fuerit permiſtũ abſynthio, quæ tamen adverſa omnia æquiſſimo ſuſtinuit animo, ſemper ſuam cum Divina conformans voluntatem. O Chriſtiani! ubi veſtra in adverſis patientia? ubi cum voluntate Divina conformitas? &c.

Luc. 2. 34. Luc. 12. 50.

CON-

# CONSIDERATIO XXII.

## B. Virgo etiam in nuptiis Cananæis Doloroſa, quæ non rogata Neoſponſis benigne ſuccurrit.




Et deficiente vino, dicit Mater JESU ad eum: Vinum non habent. *Joan. 2. 3.*

1. MEritò in Sacris Litteris commendatur formoſa illa & officioſa Rebecca, quæ Eliezer ſervo Abrahami primario ab itinere laſſo non duntaxat potum frigidæ ex hydria, quam portaverat, promptiſſimè ſubminiſtravit, ſed & camelis ejus non requiſita, aut rogata liberaliter aquam obtulit: *Quæ reſpondit: Bibe Domine mi; celeriterque depoſuit hydriam ſuper ulnam ſuam, & dedit ei potum. Cumque ille bibiſſet, adjecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant, effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, ut hauriret aquam; & hauſtam omnibus camelis dedit.* (Geneſ. 24. 18.)

En

En typum in Sacratiſſima Virgine MARIA expletum, quæ non ſolùm ad ſe fugientibus, ſed etiam ſubinde non ſe invocantibus, aut rogantibus gratiarum fontem adaperire ſolet; imò & injuſtos ac peccatores, qui per camelos deformes, & gibboſos rectè adumbrantur, non à ſe repellit, ſed omnes tanquam benigniſſima Mater ad ſe invitat: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini.* Audi & Richardum à S. Victore de prompta ac gratuita hac opitulandi B. Virginis voluntate in hæc verba ſcribentem: *Velocius*, inquit, *occurrit ejus pietas, quàm invocetur, & cauſas miſerorum anticipat*; Non abſimilis fonti, qui non ſibi, ſed aliis etiam non poſcentibus in commodum fluit, vel ſoli orienti, unde Lemma accepit: Eccleſ. 24. 26. Richard. à S. Vict. c. 12. in Cant.

## Non poſcentibus offert.

2. Perelegantem hujus veritatis probam nobis exhibent Sacræ Paginæ, dum hæc pientiſſima Virgo pauperum & ſæcularium nuptiis intereſſe non dedignata eſt: *Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater JESU ibi.* Et quid, obſecro, Mater JESU in nuptiis? Speculum omnis ſanctitatis, norma vitæ & diſciplinæ, ac perfectiſſimum virtutum omnium exemplar in nuptiis? quem, obſecro, hæc conſideratio prima facie non in admirationem rapiat? Joan. 2. 1.

Suſpende judicium, anime mi! Nuptias has juxta Cornelium & alios celebrabat Simon Cananæus, poſtea Apoſtolus, qui erat Filius Cleophæ fratris S. Joſephi, Chriſti Patris Nutritii, & Sponſi B. V. Mariæ digniſſimi: vocata eſt autem hæc Sacratiſſima Deipara ad nuptias, prout obſervat Euthymius, tanquam familiaris & cognata, ut per præſentiam ſuam non tam Sponſos honoraret, quàm & eorum paupertati conſuleret, atque pro viribus eos adjuvaret; proinde exiſtimat S. Bonaventura, quòd convivio minimè accubuerit, ſed velut ſollicita Martha in domo Neoſponſorum miniſtraverit. Vide in hunc locum Cornel. à Lap.

Vocatus eſt autem & JEſus, tanquàm conſobrinus Sponſi cum aliquot Diſcipulis, puta: Nathanaële, Philippo, Petro, & Andrea, qui primo à Chriſto vocati ſunt; & cùm vinum paulatim deficeret, ne Sponſi coram invitatis confunderentur, mitiſſima Virgo Filium acceſſit, eique vini defectum non rogata modeſtiſſimè inſinuavit: *Dicit Mater JESU ad eum: Vinum non habent.* Supra quod melliflué Mellifluus Bernhardus: *Compaſſa eſt enim earum verecundiæ, ſicut benigniſſima. Quid de fonte pietatis procederet niſi pietas? Quid, inquam, mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis?* Vide hic, & conſidera, anima Chriſtiana, quam benigna ac miſericors in miſeros mortales ſemper extiterit B. Virgo & Mater pulchræ dilectionis, non enim ignara mali miſeris ſuccurrere didicit, quia & ipſa omnigenis per omnem vitæ curſum miſeriis & adverſitatibus, ita DEO permittente, exercita fuit. S. Bonav. in vita Chr. S. Bernh. ſerm. 1. in Dom. 1. poſt Oct. Epiph

Luc. 2. 51. 3. Neque hoc beneficium hæc pientiſſima Mater à Filio, vel imperando, quia *erat ſubditus illi*, vel impenſiùs rogando poſtulavit, ſed permodeſtè tantummodò ei indicavit: *Vinum non habent.* Ita & duæ ſorores Martha & Magdalena per ſubmiſſum nuntium fratris ſui Lazari infirmitatem indicârunt: *Domine: Ecce quem amas, infirmatur*; ſupra quod pereleganter Magnum illud Eccleſiæ ſidus S. Auguſtinus: *Non dixerunt: Veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit: Domine, ecce quem amas, infirmatur; ſufficit, ut noveris: non enim amas, & deſeris.* Obſerva hìc peculiarem modeſtiam ac prudentiam pretioſiſſimæ Virginis.

Joan. 11. 3.

S. Auguſt. Tract. 49. in Joan.

Verùm quid ad hoc JEſus morum Magiſter & temperantiæ exemplar, *Nondum*, inquit ad Matrem, *venit hora mea.* O bone JEſu! qualis ergo hæc hora fuit? *Hora paſſionis*, ſubintrat hìc iterum D. Aurelius Auguſtinus, ubi in crucem ſuffixus, ac moriens Salvator chariſſimam Matrem ſuam dilecto Diſcipulo ſub cruce ſtanti commendavit: *Ecce Mater tua; & ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſuam.* O triſtis hora! adverte, anime mi, quomodo mitisſimus JEſus tuus etiam inter medias nuptiarum delicias ſuæ amariſſimæ paſſionis & crucis non immemor eſſe voluit; adeò nihil in orbe fauſtum, jucundum & delicioſum eſt, quod non aliquâ miſeriâ, felle & abſynthio eſt permiſtum. Proinde, anime mi, B. Virginem Deiparam etiam inter medios nuptiarum plauſus conſiſtentem rectè Matrem doloroſam appellare poteris, non enim illius horæ, à Filio tunc prædictæ, & paulò poſt ſecuturæ ignara fuit: *Sic ſemper*, inquit ipſa ad S. Birgittam, *erat mixta lætitia mea cum dolore*; & S. Irenæus: *Fervore quodam ducebatur Deipara bibendi Sanguinis Chriſti poculum.*

S. Auguſt. Tract. 119. in Joan. Joan. 19. 27.

Sand. in Stauroph. lib. 2. Tit. 13. S. Irenæus. l. 6. cap. 18.

4. Elucet autem in his nuptiis Cananæis ſingularis pietas & miſericordia Sacratiſſimæ Deiparæ, quæ tunc cum Noemi ad pauperes Neoſponſos meritò dicere poterat: *Quia veſtra anguſtia magis me premit*; & licet videatur Chriſtus duriuſculè Matri ſuæ eſſe locutus: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Quæ tamen verba, prout notat S. Juſtinus, non indignantis, aut objurgantis erant: *Non*, inquit, *objurgandæ Matris causâ à Salvatore dictum eſt: Quid mihi & tibi mulier! Non enim Chriſtus Matrem verbo objurgavit, quàm re honoravit*, & ad illius inſtantiam protinus miraculum edidit; unde mitiſſima Virgo optimè intelligens dilectiſſimi Filii ſui loquentis verba & animum, ſciensque Filium conceſſurum, quod ipſa petierat, mox ad miniſtros converſa dixit: *Quodcunque dixerit vobis facite.* Et ſi olim Salomon Matri dixit: *Pete Mater mea, neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam*; quomodo, obſecro Chriſtus, qui plùs eſt, quàm Salomon, publicè in nuptiis confundere poterat faciem Matris ſuæ tam dilectæ? *Impoſſibile eſt*, ait S. Antoninus, *eam non exaudiri: quod eò magis debet verificari de oratione Virginis ejuſdem nunc in cœlis glorioſæ.*

Ruth. 1. 13.

S. Juſtin. qu. 136.

3. Reg. 2. 20.

S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 17.

Neque Myſterio vacat, quòd Sacratiſſima Deipara à dulciſſimo Filio vinum poſtulaverit, vinum enim lætitiæ & conſolationis Symbolum eſſe ſo-



Digitized by Google

let juxta illud Regii Vatis: *Vinum lætificat cor hominis*; & Sapiens: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo: Bibant & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris non recordentur ampliùs.* Econtrario aqua Symbolum tribulationum & anguſtiarum eſt; hinc rectè memoratus Pſaltes: *Libera me de aquis multis*, id eſt, de tribulationibus, calamitatibus ac miſeriis, quæ ut aquæ circumdederunt animam meam. Pſalm. 103. 15. Prov. 31. 6. Pſal. 143. 7.

Verumenimverò B. Virgo & ſolicita Mater non aquam, ſed vinum pro Neoſponſis & convivis poſtulavit, ut per hoc oſtenderetur, futuram illam eſſe mœrentium & deſolatorum advocatam benigniſſimam, hinc rectè iterum Mellifluus: *Vocem tuam audivimus*, inquit, *ò Domina rerum, ad filium: Vinum non habent; deficit vinum in cadis noſtris, vinum ſcilicet lætificans cor hominis; vinum quærimus, quod germinat Virgines; calix in manu tua, &c.* Et in alio loco idem S. Doctor loquens de myſticis animæ cum DEO nuptiis hæc ſcribit: *Hic*, ait, *nonnunquam vinum deficit, gratia ſcilicet devotionis, & fervor charitatis. Quoties mihi neceſſe eſt, fratres, poſt lacrymoſas querimonias veſtras, exorare Matrem miſericordiæ, ut ſuggerat ſuo benigniſſimo Filio, quoniam vinum non habeatis? & ipſa, dico vobis chariſſimi, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ, quoniam miſericors eſt & Mater miſericordiæ.* S. Bernhard. ſerm. 4. ſup. Sal. Reg. Idem ſerm. 2. in Dom. 1. poſt. Oct. Epiph.

5. Revertamur pro more noſtro ad Scripturam. De Ana, qui fuit filius Sebeonis, recenſet Moyſes, quòd in ſolitudine aquas ſalutiferas, ſeu thermas aquenſes, & medicinales invenerit: *Iſte eſt Ana, qui invenit aquas calidas.* Plùs MARIA, quæ venam vitæ & omnis miſericordiæ reperit: *Inveniſti gratiam apud DEUM*, quem & generi humano proprium reddidit; proinde rectè à S. Bonaventura appellata eſt *Vena vitæ, vena benedicta, & vena miſericordiæ.* Mulier illa Thecuitis ultrò ex compaſſione reconciliationem Abſolonis fugitivi & exulis in ſe ſuſcepit, & Regis Davidis iram mirè placavit: *Ecce placatus feci verbum tuum.* Quid non poterit miſericordiſſima Virgo, ſi pro nobis in hac lacrymarum valle exulantibus apud Deum Patrem dulciſſimumque Filium interceſſerit: *Magna fuit*, ſubintrat hìc rurſus Seraphicus Doctor, *erga miſeros miſericordia MARIÆ adhuc exulantis in mundo; ſed multò major erga miſeros eſt miſericordia ejus jam regnantis in cælo; majorem per beneficia innumerabilia nunc oſtendit hominibus miſericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miſeriam. Quis eſt, ſuper quem Sol non lucet? Quis eſt, ſuper quem miſericordia non reſplendeat?* Gen. 36. 24. Luc. 1. 30. S. Bonav. in Spec. cap. 15. 2. Reg. 14. 21. S. Bonav. in Spec. Virg. cap. 8.

Eliam Thesbiten famelicum Mulier in Sarephta pane ſubcinericio pavit, & refecit: *Surge & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Ex quo rerum conſideranti ingens fides & liberalitas hujus mulieris ſatis luculenter apparet, dum urgente fame modicum & ultimum farinæ ſibi ad vitam in tanta penuria ſuſtentandam adhuc neceſſarium liberaliter Eliæ ſubminiſtravit. Sed nec minor fuit liberalitas & mi- 3. Reg. 17. 9.

S. Bernhard. ſup. miſſus eſt.
Gregor. Nicomed. de oblatione. Mariæ.
Job. 31. 18.

miſericordia pretioſiſſimæ Deiparæ, dum in his terris verſabatur, ubi ne quidem rogata egenorum miſeriæ benignè ſuccurrebat: *Quid mirum*, ait S. Bernhardus, *ſi invocata adeſt, quæ etiam non vocata præſto eſt?* Et obſervat Gregorius Nicomedienſis, B. Virginem in templo adhuc exiſtentem quotidie cibum ſuum pauperibus erogaſſe: *Quotidie*, inquit, *videbatur ei Angelus loqui, & quaſi chariſſimæ ſorori vel Matri optemperabat ei, quæ Ambroſium nutrimentum de manu Angeli accipiebat, eoque reficiebatur; victum verò, quem à Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogabat, &c.* Vide hic, & perpende, anima Chriſtiana, qualiter hæc Sacratiſſima Virgo longe meliori jure, quàm olim Princeps Huſſæus dicere poſſit: *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio, & de utero Matris meæ egreſſa eſt mecum.*

1. Reg. 22. 2.
Matth. 11. 28.
Matth. 12. 36.
Nicephor de Laud. Virg.
S. Bernhard. cit. à Piſtor. de Matre admirab.

6. Ad Davidem quondam in ſpelunca Odolla commorantem confugiebant miſeri afflicti & anguſtiati, quos benignè ſuſcepit, & ad omnem juſtitiam & honeſtatem inſtruxit: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno & amaro animo, & factus eſt eorum Princeps.* O miſeri, ægri, deſolati, afflicti, & pœnitentes, qui ære alieno & pondere peccatorum gravati eſtis, nec habetis, quomodo & qualiter Juſtitiæ Divinæ ſatisfaciatis, ite, & confugite ad filiam Davidis ac Matrem veſtram clementiſſimam, ut per potentiſſimam interceſſionem ſuam propitium vobis reddat Filium Judicem; oſtendit hic quidem nobis Sacratiſſima vulnera ſua, & omnes calamitoſos ac delinquentes ad ſe benignè invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Sed neſcio, quid intus animo nos reos ſubinde terreat: Candidè loquor; ſuprema ejus & judiciaria poteſtas; ſic infans læſus & nocens, vel patris iram metuens primùm ad ſinum matris accurrit. O bone JEſu! ignoſce, quòd dicam, ſpes unica, prima & ultima noſtræ ſalutis tu es, ſed ſcimus, te ſimul eſſe Judicem diſtrictiſſimum, qui de omni verbo otioſo rationem requires exactiſſimam, proinde in timore ac tremore coram te nos aportet ſalutem noſtram operari; ſed tibi ſint laudes im̃ortales, infinitæ, immenſæ, quia dediſti nobis Sacratiſſimam Matrem tuam in ſubſidium, ſolatium, refugium & auxilium, ut, quod infirmitas noſtra non poteſt, ejus nobis interceſſione donetur, unde rectè Nicephorus: *Multa*, inquit *petuntur à Deo, nec obtinentur, multa petuntur à Maria, & obtinentur, non quia potentior ſit ſed quia DEus eam decrevit ſic honorare, ut ſciant homines omnia per ipſam obtinere poſſe à Deo.* Audi in ſolamen tuum & Mellifluum Bernhardum ita miſericordiæ Matrem alloquentem: *O Mater Dei & hominis, & Mater Judicis & rei, & Mater Regis & exulis, cùm ſis Mater utriusque, non decet, ut inter filios diſcordiam eſſe patiaris.*

7. Bona Advocata apud Davidem quondam extitit Abigail, mulier ſanè prudentiſſima & blandiloqua, cùm enim David belli Dux à Nabale, viro opulentiſſimo & ingrato, annonam pro ſe & militibus ſuis peteret, & ille non niſi in eum convicia ac contumelias retorqueret, iratus David ſtatuit, & juravit, ſe

Naba-

Digitized by Google

Nabalem cum omnibus ſuis, & ne cane quidem vivo relicto, interfecturum. Audit hoc forte prudentiſſima Abigail, quæ, ut Davidem iratum, & jam cum cohortibus ſuis ad evertendam Nabalis domum properantem præveniret, citò ei in occurſum venit, illumque orationis ſuadâ & munificentiâ mirum in modum placavit: *Cùm autem vidiſſet Abigail David, feſtinavit, & deſcendit de aſino, & procidit coram David ſuper faciem ſuam, & adoravit ſuper terram, & cecidit ad pedes ejus, & dixit: In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas, &c.* 1. Reg. 25. 23.

Vide hìc, & conſidera anima Chriſtiana, in Abigail inſignem Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ typum, omnium miſerorum & afflictorum potentiſſimæ apud DEUM Advocatæ & Patronæ, ſi enim in nuptiis Cananæis ad illius inſtantiam Chriſtus Dominus non ſolùm memoratos Neoſponſos, ſed & omnes convivas præſentes primo miraculo honoravit, & optimo vino conſolatus eſt, quid modò ad illius interceſſionem faciet in cœlo? Audi in hanc rem S. Bernhardinum Senenſem: *Mater*, inquit, *in nuptiis in Cana Galilææ interpellat, ac ſi ad eam cura omnium pertineret, & omnium hominem advocatam ſe ſentiens, quæ præ omnibus creaturis cunctarum facta fuerat Virgo Mater, officium advocationis & piæ auxiliatricis aſſumpſit etiam non rogata.* S. Bernhardin. de Sen. ſerm. 9. art. 3. cap. 2.

Solet autem hæc benigniſſima Virgo afflictis in omni ſtatûs conditione libentiſſimè compati, quia omnium afflictiones & ipſa experta eſt. B. Ivo Presbyter, & in utroque jure apprimè excultus, in Judiciis pauperum & derelictorum cauſas gratis ob amorem DEI & proximi in ſe ſuſcepit defendendas, quod modò pauci Juriſtæ ſine minervalis compenſatione facere aſſolent. Verumenimverò hæc Sacratiſſima Virgo omnium pauperum, afflictorum & deſolatorum totius mundi, ſi velint, & ad ipſam recurrerint, Patrona & advocata apud Deum eſſe diſcupit, Virginum cumprimis, quia & ipſa ſemper Virgo permanſit; Conjugatorum, quia & ipſa conjugii miſerias experta eſt; Viduarum, quia & ipſa vidua extitit Sponſo & Filio orbata; pauperum & calamitoſorum omnium, quia cum ipſis in hac vita mortali ſemper coafflicta fuit; proinde rectè cùm S. Auguſtino & Eccleſia oramus: *Sancta MARIA ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, &c.* Et cum S. Bonaventura: *Aſſiduè roganda eſt MARIA, & congratulatio beatitudinis ejus ſit ſemper apud nos, ut compaſſio miſeriæ noſtræ ſit ſemper apud eam.* S. Auguſtin ſerm. 18. de Sanct. S. Bonav. in Spec. B. Virg. cap. 9

O animæ Chriſtianæ, deſolatæ, afflictæ & mille objectæ miſeriis ne cedite malis, annuntio vobis gaudium magnum DEum habebitis verè benignum, verè clementem, *ac præſtabilem ſuper malitia*, imò & *Pater eſt miſericordiarum & DEus totius conſolationis*; ſed nec Mater vobis deeſt, verè *Mater miſericordiæ*, dum enim miſericordiam Virgo genuit, meritò Mater miſericordiæ, prout illam appellat univerſa Eccleſia, effecta eſt: *Et nunquid poteſt Mulier oblivíſci infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen* (ait miſericordiarum Mater) *non obliviſcar tui, in corde enim meo deſcripſi te.* Joël. 2. 13. 2. Cor. 1. 3. Iſai. 49. 15.

# CONSIDERATIO XXIII.

## Ex viſis tot injuriis & perſecutionibus Chriſto Filio à Judæis illatis, augetur & dolor Doloroſæ Matris.




Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni.
*Eccl.* 2. 23.

1. HAbent hoc in corpore humano membra, ut, ſi illorum aliquod graviùs quid patiatur, mox & cætera ob communionem ſanguinis, per totum corpus diſcurſantis, læſæ parti intimè condoleant. Experientiam, ſi lubet, capeſis in pede ſpina cruenta ſaucio, ad quam eruendam, doloremque levandum mox omnia membra in corpore humano concurrent. Oculi non ſine compaſſione aut lacrymis plagam inſpicient; aures ad remedium applicandum erunt erectæ; os & lingua vehementem, quem planta ex ſpina ſentit, explicabunt dolorem; nares ob purulentas corrug abunt execrationes; manus ſolicitæ eò allaborabunt, quomodo cruentam

tam

tam hanc ſpinam valeant enodare; venter, vorax ille heluo, ob compaſſionem in ſocium membrum præ dolore abhorrebit ab eſca; pes alter ſanus nulli parcet labori, ut vel baculo inixus malo fratris ſui ægroti opportunum quærat remedium; imò & ipſum cor, reliquarum artuum & arteriarum princeps, priùs quieſcere haud poterit, donec ſes læſus priſtinæ reſtituatur ſaluti. Verbo: Omnia membra, licet non habeant eundem actum & operationem, in hoc tamen conſpirant, unitiſque conſentiunt viribus, qua ratione parti malè affectæ queant præſtare opem, petitumque juvamen. Juvat hic audire Oratorem Aureum: *Si patiatur oculus*, inquit, *omnia dolebunt, omnia ceſſabunt, non pedes ibunt, non manus operabuntur, non frui jam conſuetis cibis ventri dabebit, oculorum licèt ſit dolor. Quid ventrem oculo mordes? Quid pedes remoraris; Quid manus vincis? Quia innexa natura ſunt omnia, modoque ineſſabili compatiuntur.* S. Jo. Chryſoſtom. cit. à Cornel. 1. Cor. 12.26.

Et hoc eſt, ad quod alludit Gentium Doctor Paulus, ut orbi oſtendat, quantùm ſeſe invicem in charitate non ficta diligere debeant Chriſtiani, hac familiari ad Corinthios utitur ſimilitudine: *Et ſi quid*, ait, *patitur unum membrum compatiuntur omnia membra: ſive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Vide hic, prudens Lector! & conſidera; quàm mirabilem in uno, eodemque corpore membra omnia habeant ſympathiam; ratio eſt, quia ſanguis cum ſanguine conſpirat, qui per circulationem ſpatio duarum horarum totum corpus pervadit. 1. Cor. 12.26.

Et quid dico? Nunquid Sanguis Chriſti ſanguis erat MARIÆ? Nunquid jure merito illa dicere poterat: *Hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea?* Proinde neceſſario ſequitur, inter utramque Sanctiſſimam Perſonam perfectiſſimam fuiſſe ſympathiam, & non tam dolorum, quàm & gaudiorum communicationem; & ſi unum membrum alteri malè affecto adeò condolere aſſolet, qualem, obſecro, oportuit fuiſſe cordis dolorem hujus afflictiſſimæ Matris, cùm dulciſſimum Filium, nunc Evangelium prædicantem, omnibúſque benefacientem, nihiloſeciùs tot à Judæis, ingratiſſimis homuncionibus, injuriis affici & contumeliis obrui conſpicata eſt? Ex quibus omnibus Virgo prudentiſſima facilè conjicere poterat finem Evangelii paſſionem fore Filii ſui. Hinc (mea opinione) non incongruè illi pro Symbolo ſtruthionem appinges, clavos ferreos (prout ſolet) concoquentem, cum Lemmate: *Duriſſima coquit.* Vel ſi mavis, carduelem, notam aviculam, inter aſperos ſpineti aculeos carduò æquè ſentibus horrido adhærentem, & ex eo ſeminibus veſcentem, cum epigrapha. Gen. 2. 23.

## His ego ſuſtentor.

Ita eſt, ô doloroſiſſima Virgo! ſuſtentata es pane doloris & tribulationis cum dilectiſſimo Filio tuo: *Paſſio Filii mei*, inquis ipſa ad S. Birgittam, Revel. l. 1. cap. 77.

*ſive*

*ſive comedebam, ſi laborabam, quaſi recens erat in memoria mea*; ſciebat enim, ideò illum veniſſe in mundum, ut per ſanguinem ac paſſionem ſuam, hominem lapſum ab interitu redimeret, hinc omnes contumeliæ, injuriæ, blaſphemiæ, ærumnæ & perſecutiones, quibus affectus erat Filius, & Matris COR vehementer torquebant. Et quid multis? Mater erat, & quidem talis ac tanti Filii! Plura de hac veritate in præſenti conſiderabimus.

2. Multoties mitiſſimus Redemptor orbis, cùm in hac vita mortali inter mortales verſaretur, de ſua acerbiſſima paſſione ac morte crucis mentionem facere dignatus eſt, neque illi gratior muſica, quàm loqui & audire de paſſione fuit; proinde ſæpiùs cum amicis ſuis de hoc argumento ſermonem Marc. 10. 32. inſtituit. Nunc inter ambulandum cum Diſcipulis de hac brevì imminente paſſione ſua locutus eſt: *Cœpit illis dicere, quæ eſſent ei eventura, &c.* Nunc inter medias delicias in nuptiis Cananæis triſtis illius horæ memor eſſe volu- Joan. 2. 4. it: *Et dicit ei JESUS: Quid mihi & tibi Mulier? Nondum venit hora mea.* Nunc in monte Taboræo, cùm transfiguratus eſt, de eadem paſſione cum Moy- Luc. 9. 30. ſe & Elia collocutus eſt: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo, erant autem Moyſes & Elias viſi in majeſtate, & dicebant exceſſum ejus, quem completurus eſſet in Jeruſalem.* Nunc cùm duo filii Zebedæi primatum in regno ſuo futuro præ cæteris Apoſtolis avidiùs per Matrem ſuam ſolicitarent, illis de paſſio- Matth. 20. 22. ne & cruce memoriam refricavit: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Nunc cùm Jeroſolymam cum Diſcipulis aſcenderet, rurſus illis crucis Matth. 20. 19. mortem intimavit; *Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum.* Nunc cùm de nocte intempeſta cum Nicodemo colloqueretur, eandem crucifixionem illi per typum ſerpentis, in deſerto quondam Joan. 3. 14. exaltati inſinuavit: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Mitto plura Sacræ Scripturæ teſtimonia, ex quibus luculenter apparet, quantus amoris zelus in diviniſſimo Corde JEſu flagrârit pro ſalute generis humani citò ſuum ſanguinem fundendi, quod ingens deſiderium graves illi faciebat omnes horas, quibus paſſio differebatur, ideò de hoc Divini amoris exceſſu tam ſæpè cum amicis ſuis peramicè locutus eſt.

O quoties mitiſſimus JESUS de hoc argumento cum Sacratiſſima Matre ſua ſermonem inſtituit! & quis illi magis amicus, quam Joan. 15. 15. Mater? Si Apoſtolis *omnia, quæ audivit à Patre, nota fecit*, quid de Matre dicendum? Quæ ſanè tantò magis in dies affligebatur, quantò velociùs tempus paſſionis adventabat, proinde neceſſe fuit eam ſæpiùs ſolari, quam Chriſtus ſemel, cùm eam ob futuram paſſionem ſolitò triſtio- Nebrid. in Faſc. Myr. cap. 1. rem obſervaſſet, teſte Nebridio, hiſce verbis allocutus eſt: *Non credis, Mater, quia ego in Patre, & Pater in me eſt: Nunquid tu polluta es ad ingreſſum meum? Aut ad egreſſum in partu tribulata? Cur ergo mœrore contraheris? Voluntas Patris mei eſt, ut ſubeam mortem, imò voluntas etiam mea eſt.*

*Quod*

Digitized by Google

*Quod habeo de Patre, pati nequit, ſola caro, quæ de te eſt, patietur, &c.* O quàm dulcia hæc vel ſimilia Filii eloquia faucibus mœſtiſſimæ Matris acciderunt, quæ tamen ob animi teneritudinem & immenſum amorem, quo erga talem Filium ferebatur, non poterat non flumina lacrymarum profundere. Et quid dubitas, anime mi! Mater erat omnium cruciatuum ac dolorum perferendorum præſcia, igitur fieri non poterat, quin magno cum ſenſu de tam cruenta Filii paſſione ac morte appropinquante doleret, ſubmittebat tamen omnia DEI nutui ac voluntati, licet, vel ipsâ atteſtante, *nullam horam ſine tribulatione cordis transfixi in terris habuerit.* O anima Chriſtiana! ſolare hanc afflictiſſimam Matrem, eique ex animo compatere, digna enim eſt, ut tu cum illa deplangas dulciſſimum JESUM, nunc ob demerita tua expianda ad paſſionem & mortem crucis anhelantem, & magnis paſſibus adinſtar gigantis properantem. Lib. 6. Revel. S. Birg. cap. 9.

3. Vis, anime mi! ut de hac veritate plura agglomerem argumenta? An non doloroſæ Matri acerba videbatur illa ſeparatio, quâ dilectiſſimus Filius poſt beatum obitum S. Joſephi ipſi peramanter valedixit, & accepto à S. Joanne baptiſmate, in eremum receſſit, ut corpore ibidem jejuniis macerato, nova bella Orco indiceret, pro Adami pomo & poſterorum gulæ deliciis ſatisfaceret? Neque ſine gravi cruciatu hoc jejunium extitit: Moyſi & Eliæ quondam DEUS per miraculum indulſit, ut per 40. dies jejunantes non famem aut ſitim ſentirent, ſed Chriſtus, ut erat patiendi cupidiſſimus, ſolùm ad meditandum, orandum, ac patiendum vires ſuſtentavit, fame interim creſcente, ac ſæviente, quæ ſine dubio ipſum peremiſſet, niſi Divinitas ad ampliùs patiendum ei vitam prorogâſſet; ubi tandem ter in ſuggeſtis tentationibus devicto diabolo, *Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei,* cui tanquam victori humani corporis ſpecie ex aëre aſſumpta congratulantes cibos deferebant, & ad menſam, in vaſta illa eremo paratam, miniſtrabant. Sed ubi locorum, quæres, Angeli eſcam parârunt, aut à quo eam receperunt? Reſpondet S. Bonaventura, doloroſam Virginem acerbi hujus jejunii non fuiſſe ignaram, eamque pro more ſuo præparâſſe eſcas, quibus humanitas Chriſti tam diuturno jejunio attenuata denuo reficeretur. Et nunquid talis ac tam diuturna Chriſti maceratio cor quoque Matris ſummè afflixit? Qualis eſt tua corporis caſtigatio, anime mi? S. Paulus de ſe dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, &c.* Et quomodo tu corpus tuum caſtigas? Quomodo jejunas, delicatule? Qualem tibi vim infers? Si regnum cœlorum vim patitur; qualem tu adhibes? Matth. 4. 11. S. Bonav. in vita Chr. 1. Cor. 9. 27.

4. Pergamus ulteriùs. Iniquiſſima cæde ab impio Herode plectitur innocentiſſimus Redemptoris noſtri Præcurſor & Cognatus doloroſæ Matris, ad cujus quondam viſitationem & præſentiam in utero materno exultavit infans præ gaudio: Infauſta hæc nuntia Conſanguinei & Dilecti deferuntur

ad JESUM & Sacratiſſimam Matrem ejus; hîc novus luctus, novus mœror, qui non cor duntaxat (more humano loquor) pientiſſimi JESU; ſed & pretioſiſſimæ Matris ejus profunde feriebat, de hoc enim Sacratiſſimo Præcurſore non ignorabat (ut opinor) hæc Sacratiſſima Mater, quòd de Filio ſuo JESU vaticinatus ſit: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Enim verò crevit JEſus in cruce, & S. Joannes minutus eſt capite. O dolorem doloroſæ Virginis ex nuntio tam infauſto & fatali! JESUS in cruce exaltandus? & Conſanguineus tam Dilectus jam capite minutus?

Joan. 3. 30.

Joan. 8. 59. Alio tempore perfidiſſimi Judæi *tulerunt lapides, ut jacerent in JESUM.* O quàm triſte hoc erat afflictiſſimæ Matri præludium paulo poſt futuræ necis amantiſſimi Filii ſui! Ille, qui priùs pertranſiens benefecit omnibus, qui cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, leproſis munditiem, ægrotis ſanitatem, & mortuis vitam reſtituit, nunc pro tot exhibitis benefactis aliam non ſpectat mercedem, quàm *tulerunt lapides, ut jacerent in eum?* Vah ingratitudinem abominandam! quam tamen patientiſſimo animo ferebat mitisſimus JESUS: tolerabat & Mater, bona pro malis malevolis reddendo capitibus: *Non murmurabat Virgo,* inquit S. Antoninus, *quòd Filius innocentiſſimus pateretur: Non blaſphemabat Judæos, quod ab eis, quibus tot fecerat beneficia, tam crudeliter tractaretur: Non vindictam à DEO petebat, quòd illi à terra vivi abſorberentur, ut merebantur;* quid ergo fecit? *Voluntati DEI conformans ſe ſciebat beata Virgo, quòd DEI voluntas erat Filium ſuum pati, & propter hoc in mundum venerat, & Scriptura, quæ ſibi ſatis nota erant, hoc prænuntiabant, &c.* En formam hîc habes, anima Chriſtiana! quam imiteris, ſi pro benefactis ſimilem recipis mercedem; commenda rem totam Divinæ Providentiæ, & ipſe DEUS *erit merces tua magna nimis.*

S. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 41. §. 1.

Geneſ. 15. 1.

5. Quid commemoro ſummam Nazarenorum ingratitudinem, qui mitiſſimum JEſum concivem ſuum, velut impium in patriam ſuam, extra civitatem ſuam in altiſſimum montis culmen duxerunt, ut ex eo in ſaxa præcipitatum colliderent, & toto corpore conquaſſarent. Magna ſine dubio hæc erat Chriſto pœna ac injuria, ſed quia nondum venerat hora paſſionis ejus, illeque ex decreto Patris Hieroſolymæ crucifigi, non verò in Nazareth præcipitari debebat, ideò *tranſiens per medium illorum ibat.* Interim, anime mi! conſideremus Sanctiſſimam Matrem JESU, tum temporis intervallo (prout nullatenus dubitandum) Nazarethi præſentem, & in ædibus ſuis commorantem; heu quis quis dicet, quo mœrore ac dolore pia doloroſæ Matris viſcera fuerint perculſa, dum univerſam civitatem ob inſontisſimum Filium ſuum commotam vidit: *Et repleti ſunt omnes in Synagoga ira hæc audientes, & ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem.* O pientisſima Domina! quid tu ad iſta, cùm concives tui ipſo diabolo erant deteriores, hic enim Filio tuo in pinna templi conſtituto ſolummodò dixit: *Mitte te deorſum*, illi verò viſatage-

Luc. 4. 30.

Matth. 4. 6.

tagebant eum deorſum in ſaxa præcipitare. O inſenſati cives! ſiſtite furorem, veniet enim tempus, quo ipſe ſpontè ad Calvarium montem tendet, pro veſtra, omniumque ſalute Patri in ara crucis in victimam imolandus. Parcite ſaltem innocentiſſimæ Matri ejus, & quid illa in vos peccavit? Nullum læſit, nullum offendit, omnibus, quantùm poterat, benefecit; ô mœſtiſſima Virgo! per ſumum illum cordis tui dolorem, quo percepiſti Filium tuum nunc eſſe de monte præcipitandum, rogo te, nè permittas me indignisſimum ſervulum tuum in peccatorum & damnationis ferri præcipitium.

6. Sed hæc præludia ſunt in comparatione ſequentium. Agedum Sanctisſima Mater! venio tibi durus nuntius. Lata eſt ſententia; Filius tuus non amplius eſt Filius tuus, ſed mortis; lapides effugit, præcipitium evitavit, nunc incidit in ſcyllam & charybdim, ex qua ſine vitæ naufragio non poterit evadere. In quem finem, reſuſcitato à mortuis Lazaro, cogitur concilium, accuſatur mitisſimus JESUS, primò quòd mortui corpus effodiſſet, & hinc eſſe ſacrilegium; ſecundò magicum hoc eſſe ac præſtigioſum miraculum, proinde illum tanquam præſtigiatorem è medio tollendum; alii evidentiâ & miraculi magnitudine convicti, cum veritatem negare non poſſent, in hoc politicum & Machiavellicum abiêre conſilium, præferendam eſſe religioni publicam regni ſalutem: *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: Et venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem:* Joan. 11.48. Supra quod Divus Auguſtinus: *Non dicebant*, inquit, *credamus, plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent, ut perderent, quàm quomodo ſibi conſulerent, ne perirent.* S.Aug. hîc. Tum demum conſultantibus cæteris, nec invenientibus, quid in re tanti momenti agendum, Caiphas tanquam Pontifex ultimũ ſuggerit conſilium, & definit: *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Sic finita conſultatione cõmuni ſtatuerunt decreto & quaſi Senatus conſulto, Chriſtum in cruce quàm proximè necandum.

O pientisſima Domina! quàm durus tibi venio nuntius; ah Filius tuus non ampliùs tuus, ſed Filius nunc mortis eſt, ita concluſum, ita decretum, ut moriatur juſtus pro injuſtis, paſtor pro ovibus, Dominus pro ſervis, Deus & Hõmo Chriſtus in ligno pro homine indigno: O quàm fatale hoc dolentisſimæ Matri erat nuntium: *Non miremini*, ait S.Bernhardus, *fratres, quòd MARIA Martyr in anima fuiſſe dicitur; miretur, qui non meminerit ſe audiſſe Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quòd ſine affectione fuiſſent, longè id fuit à MARIÆ viſceribus, longe ſit à ſervulis ejus.* S.Bernhard. ſerm. Sig. Mag.

7. *JEſus ergo jam non in palam ambulabat*, quia omnia, quæ de ſe ſtatuerant Judæi, tanquam Deus cognovit, ſed ut homo per aliquot dies eorum interim ſe ſubduxit furori ut paulo poſt, hoc eſt, ſequenti ſeptimanâ, victima Paſchalis occumberet. Hæc omnia præſentiebat pientisſimum COR MA-



Digitized by Google

RIÆ. Exhorruit utique tota pretioſiſſima Virgo, cùm nunc tempus cruentiſſimæ paſſionis, de qua omnes Prophetæ vaticinati ſunt, adeſſe conſpexit, proinde pallente vultu, & ruente ex oculis ingenti lacrymarum imbre ad dulciſſimum Filium acceſſit, eique in Jeruſalem aſcendenti dixit, prout obſervat Nebridius: *Parata ſum, mi JESU, tecum non modò in Judæam, verùm in acerbiſſimam mortem ac ſepulturam ire: Fiat mihi ſicut deſiderat anima tua; quòd ſi bonum in oculis tuis eſt, ſitim, quâ ita æſtuas ad redimendum humanum genus, libenter explebo ſanguine meo, &c.*

Nebrid. in Faſc. Myrrh. cap. 5.

Recordor hîc illius Solonis quondam Legislatoris Athenienſis, viri aliàs graviſſimi, cui cùm nuntius referret: *Filius tuus Filius mortis eſt*, adeò ex hoc inſperato nuntio mente conſternatus eſt, ut projectus in terram ambabus manibus capillos capitis & barbæ ſibi evelleret, veſtes dilaceraret, & incondito ejulatu aërem repleret, ut intimum ac vehementem CORDIS ſui dolorem demonſtraret. Non ſic pientiſſima Virgo, non ſic, ubi de hoc iniquiſſimo conſilio & impiè latâ mortis in dulciſſimum Unigenitum ſuum ſententiâ intellexit; dolebat quidem, & ſuper omnem modum dolebat: *Non credo*, ait Mellifluus, *plenè enarrari, vel meditari poſſe dolorem Virginis, niſi tantùm fuiſſe credamus, quantùm unquam dolere potuit de tali filio talis Mater*; ſed tamen Caiphæ & iniquisſimis Phariſæis non maledicebat, non fulmina aut tonitrua imprecabatur, non vindictam à cœlo in hoſtes expetebat, non capillos capitis ſui ſibi eruebat, aut incondito geſtu, vel ejulatu aut clamore CORDIS ſui afflictisſimi indicabat mœrorem, ſed totam rem & adverſa omnia, quantumvis ardua, DEO T.O.M. penitisſimè commendabat. O Chriſtiani omnes! adeſte & conſiderate viſionem hanc magnam; ecce ardet rubus (Sacratiſſimum COR doloroſæ Matris) im̃enſo amoris igne in DEUM & Filium, & rubus ille ab igne tribulationis & afflictionis non læditur, non comburitur, non conſumitur. O Cor quovis adamante fortius, & nec ſanguine Filii innocentiſſimi Agni emolliendum!

Sabellicus lib. 3.

S. Bernhard. de Lament. V. M.

CON-

# CONSIDERATIO XXIV.

## Perpenditur amor & dolor SS. Cordis JESU & MARIÆ, dum ante paſſionem unum alteri peramanter valedicit.




Fecit Tobias vale Matri ſuæ.
*Tob. 5. 22.*

1. UBi cor unum & anima una eſt, eò difficilior & animorum & corporum ſeparatio eſt. Plures de hac veritate ſubminiſtrant figuras ipſæ ſacræ Paginæ. Cùm nunc junior Tobias, ſenioris Tobiæ & Annæ conjugum filius, ad periculoſam & remotam peregrinationem ſeſe accingeret, ut à Gabelo in Rages civitate Medorum decem argenti talenta reciperet, priùs dilectiſſimis parentibus ſuis peramanter valedixit, cujus amantiſſimi filii abſentiam Mater Anna irremediabilibus deflevit lacrymis: *Cùmque profecti eſſent, cæpit Mater ejus flere, &c.* Tob. 5. 23.

 Sic

Digitized by Google

Genes.22.2. Sic Iſaac unigenitus Abrahami & Saræ filius, cùm ad montem Moria (nunc Calvariæ) cum patre pergeret, ibidem ſuper ſtruem lignorum DEO, ſupremo vitæ necisque Domino, in gratiſſimum holocauſtum im̃olandus, S. Aug. de Temp. ſerm 73. Tom. 10. juxta mentem S. Auguſtini prius mœſtiſſimæ Matri ſuæ triſte & lacrymoſum vale dixit: *Sara*, inquit, *unigenitum Iſaac in montem Moria ad Sacrificium tendentem, dolens à ſe dimittit. Nam conſcia fuit necis futuræ.*

Ita David Jonathæ fideliſſimo amico ſuo, quem Principem ut cor ſuum diligebat, cùm nunc ob inſanum improbi Saulis Regis furorem exulare cogeretur, ſupremum vale multis cum lacrymis & animi ſuſpiriis reddidit: 1. Reg. 20. 41. *Et oſculantes ſe alterutrum, fleverunt, David autem ampliùs.*

Pari ratione Jacob Patriarcha morti vicinus ſingulis filiis ſuis ultimum vale inſinuavit, cujus optimi parentis abitum & obitum filii omnes, ac præ- Gen. 50. 1. ſertim Joſeph, Ægyptiorum Pro-Rex, amaris lacrymis deplanxerunt: *Quod cernens Joſeph, ruit ſuper faciem patris, flens, & deoſculans eum, &c.*

Nec minori amore S. Paulus chariſſimis amicis ſuis, poſtquam eis Eccleſiæ curam impenſiſſimè commendâſſet, ſupremum vale annuntiavit: Actor. 20. 37. *Magnus autem fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non eſſent viſuri, & deducebant eum ad navem.*

2. Umbras recenſui; ad JESUM tranſeo, mœſtiſſimæ Matri ſuæ, quam ut cor & animam ſuam ſemper dilexerat, cùm nunc ad mortem crucis anhelaret, ſupremum vale dicentem; de qua luctuoſiſſima valedictione S. Bonaventura commemorat, quòd Filius DEI ſeorſum cum Sacratiſſima S. Bonav. c. 37. Medit. vitæ Chr. Matre ſua collocutus fuerit: *Seorſum colloquens cum ea, & copiam ei ſuæ præſentiæ præbens, quam in brevi ſubtracturus erat ab ea.* Heu! quis utriuſque SS. CORDIS amorem & dolorem pro condigno poterit exprimere? Inſpice Emblema, ubi hedera viridis expalleſcentem Ulmum amplectitur, & ab ejus charo amplexu ac caſto amore nec quidem per mortem aut caſum Ulmi ſeparatur; cui hederæ vel viti rectè pro Lemmate inſcribes: *Et arida tecum*; vel potiùs illud Apoſtoli ad Romanos c. 8. v. 35.

## Nec mors ſeparabit.

Talis, inquam, hedera & beatiſſima Virgo, verè Mater amoris & doloris extitit, quæ à dulciſſimo Filio nec quidem per paſſionẽ & mortem ejus poterat avelli, quia anima ejus magis fuit, ubi amavit, quàm ubi animavit, amavit autem unicè Sacratiſſimum COR JESU, velut amoris ſui centrum digniſſimum, ergo magis ibi COR MARIÆ fuit, quàm in ſe ipſa; audi ipſam Lib. 1. Revel. & Malon. f. 88. hanc pretioſiſſimam Deiparentem ad S. Birgittam loquentem: *Propterea*, inquit, *audacter dico; quòd dolor ejus erat dolor meus, quia Cor ejus erat Cor meum*; ô quàm dura igitur videbatur ſeparatio Sacratiſſimi CORDIS JESU

à pu-

Digitized by Google

à puriſſimo CORDE MARIÆ! gloriabatur quidem Apoſtolus, quòd ab amore amantiſſimi CORDIS JESU per nullam creaturam aut vim potuerit divelli. *Quis ergo me ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius? &c.* Quantò magìs hoc dicere poterat pientiſſima Deipara: Quis me ſeparabit à ſuaviſſimo ac Diviniſſimo CORDE JESU dilectiſſimi Filii mei? Rom. 8. 35.

Si Iſraël diſceſſum filii ſui Joſeph, quem à fera peſſima devoratum exiſtimabat amariſſimis lacrymis & aſſiduis ſuſpiriis deploravit: *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Si Rachel adeò deplanxit filios ſuos, ut præ mœroris magnitudine nullum ampliùs amitteret ſolamen: *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* Si Vidua in Naim unicum filium ſuum adeò luxit, ut præ dolore cordis in largiſſimas lacrymas profunderetur: *Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam dixit: Noli flere.* Si mulier illa Sunamitis, dum unicum filium ſuum amiſit, ad pedes Eliſæi procidens, præ doloris vehementia vix non animam egit: *Cúmque veniſſet ad virum DEI in montem, apprehendit pedes ejus, & acceſſit Giezi, ut amoveret eam, & ait homo DEI: Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine eſt.* Heu! quantus ac qualis debuit fuiſſe ille dolor & mœror afflictiſſimi Cordis MARIÆ, dum Filium ſuum unigenitum, ſuper omnes mundi theſauros dilectum, ad victimam, ad lanienam, ad crucem, ad mortem abeuntem vidit? *Virginis dolor*, ſunt verba S. Bernhardi, *fuit major plùs quàm omnes creaturæ portare poſſunt; quantò enim plùs amabat Chriſtum, tantò plus dolebat.* Geneſ. 37. 34. Matth. 2. 18. Luc. 7. 13. 4. Reg. 4. 27. S. Bernhard. ſerm. de Lament. B. V.

3. Et quid putas, anime mi, Filium DEI pro ſupremo vale ad hanc ſuam afflictiſſimam Parentem dixiſſe? Non quidem hoc exprimunt Evangeliſtæ; credibile tamen eſt, ſic mitiſſimum JESUM ad COR Matris eſſe locutum: Agedum dilectiſſima Mater, tempus me vocat, ut revertar ad eum, qui me miſit, ſed non per aliam viam, quàm per viam regiam crucis; ſic enim oportet Chriſtum pati, flagellari, conſpui, illudi, ad mortem condemnari, ac tandem in crucem agi, & ſic intrare in gloriam ſuam: ita in Concilio Divino ab æterno decretum; ita præſignárunt figuræ; ita Prophetæ omnes prædixerunt: Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſis & Prophetis & Pſalmis de me; & quia alio modo Juſtitiæ Divinæ, per inobedientiam Adæ, aliaque innúmera mortalium peccata ſummæ læſæ, ſatisfieri non poteſt, nec mundus à perditione redimi, nec ruina Angelorum reparari, niſi per mortem & ſanguinem crucis, idcirco *expedit, ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Penſa, ô ſanctiſſima Mater, quòd ipſamet neci meæ ſubſcripſeris, dum in incarnatione mea ad Angelum effata es: FIAT; hoc etiam indicat Sacratiſſimum Nomen meum JESUS: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Hæc dicens, & COR ad COR loquens Luc. 24. 26. Joan. 11. 50. Luc. 1. 38. Matth. 1. 21.

JESUS,

Digitized by Google

JESUS, abitum è Bethania in Jeruſalem parare cœpit. Heu! heu! Agnus ad victimam; Vita ad mortem.

1. Reg. 15. 32. 2. Reg. 18. 33. Geneſ. 37. 31. O anime mi! quid interim reſponſi expectas ab afflictiſſima Deiparente? *Siccine ſeparat*, reponit mœſtiſſima Virgo, *ah! ſiccine ſeparat amara mors!* ô mœror, ô luctus, ô triſte vale! ô JESU! ô Fili mi Benoni! *quis mihi tribuat, ut moriar pro te*? O felix Jacob, qui veſtem dilecti filii tui Joſeph in ſanguine hædi ſolùm intinctam, ac laceratam ſpectâſti: *Tulerunt autem tunicam ejus, & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt*; & ego, heu! Mater doloris & amoris humanitatem dilectiſſimi Filii mei (per dictam Joſephi tunicam præfiguratam) cruentis flagellis laceratam, diriſſimis ſpinis ſauciatam, clavis ferreis in cruce perforatam, ac tandem poſt conſumatam paſſionem ipſum Sacratiſſimum Cor ejus crudeli lanceâ transverberatum ſiccis ſpectare potero luminibus? ô dura ſeparatio! ô mœſta divulſio! *Siccine ſeparat amara mors*? Ah ſaltem permitte, optime JESU, amor & unicum Cor meum! ſi ita decretum eſt, & aliter fieri non poteſt, quàm ut immenſo Sanguinis tui pretio redimatur orbis, ſi non pro te, ſaltem tecum mori. Plures voces recluſerant copioſiſſimæ lacrymæ ex oculis erumpentes, & immenſi Virginei CORDIS dolores. O quoties nos per peccatum JESUM perdimus, ſummum illud & infinitum Bonum! & ridemus miſeri ad noſtrum ipſum interitum? A quàm malè timeo, ne multis accidat Chriſtianis, quod ipſa Veritas Chriſtus, nunc ex hoc mundo ad Patrem vadens, in incredulos quondam Judæos fulminavit: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.*

Joan. 8. 21. Stapleton. in vita Thom. Mori c. 19. 4. De Thoma Moro, fortiſſimo illo pro fide Orthodoxa & juſtitia athleta in Anglia refert Stapletonius, quòd cùm innocens, velut læſæ Majeſtatis reus ad mortem duceretur, filius unicus, Joannes Morus, ad illum acceſſerit, & in genua provolutus, patrique filiali amore valedicens, multis profuſis lacrymis ſupremam ab eo benedictionem flagitaverit, quem mox ſubſecuta eſt Margaritha, dulciſſima filia, quæ ſe ipsâ fortior per medios ſatellites, populique turmam ad amantiſſimum Patrem penetrans, & ſuper ejus collum ruens, arcto amplexu illud aliquamdiu tenuit, nihil aliud ingeminans, quàm hoc unum: *Ah mi Pater!* fortis hic ictus fuit, qui tamen generoſum Parentis animum, in voluntatem Divinam penitiſſimè reſignatum, minimè labefactavit, quin fortiter pro fide & juſtitia truculento carnificis ferro collum præberet.

Anima, Chriſti Sanguine redemdta! non Thomam Morum Angliæ Cancellarium, ſed ipſum Angelorum Regem, Chriſtum JESUM hîc tibi exhibeo, quomodo amantiſſimæ Matri ſuæ ante mortem crucis peramantiſſimè valedicat. O ſi vidiſſes hanc dulciſſimam Matrem in ultimos amplexus

Cant. 8. 7. & oſcula ruentem Filii! ô grandis amor, ô charitas planè immenſa, *quam nec aquæ multæ potuerunt extinguere, nec flumina obruent illam*; O ſi penitus potuiſſes

tuiſſes

tuiſſes inſpicere Sacratiſſimum COR JEſu ante mortem ſubire, & COR Virginis Matris præ amoris & doloris magnitudine contabeſcens: *Factum eſt Cor meum, tanquam cera liqueſcens*: O flebilis dolor! quid, inquam, tunc COR tuum pensâſſet? An fortaſſe ipſis ſaxis ac petris duriſſimis durius extitiſſet, quæ in morte Chriſti ſciſſa ſunt? O anime mi! quid agis? nondum doles de peccatis tuis? Vide, & conſidera, quomodo JESUS tuus modo ſupra omnem modum mirando diligat te, atque pro te ipſa vita rapiatur ad mortem; & tu, delicatule, & mollicelle! illum de novo tradas in mortem crucis? An ignoras, quid tibi Gentium Doctor in utramque inclamet aurem: *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium DEI & oſtentui habentes?* O anima peccatrix, quæ omnium iſtorum dolorum, quos unquam Sacratiſſimum COR JESU perpeſſum eſt, cauſa moralis es, audi Melliflui conſilium: *Si flere*, inquit, *non poteris ex amore & compaſſione Redemptoris, quomodo ſaltem propter multitudinem peccatorum tuorum non flebis?* O ſancta Mater, iſtud agas, Crucifixi fige plagas, CORDI meo validè.

Pſal. 21. 15. Hebr. 6. 6. S. Bernhard. in Tract. de paſſ. D. N. I. Chri.

5. Venit hîc mihi in mentem, quod olim DEUS ſanxit, Moyſique præcepit, ut pro leproſo mundando duæ columbæ, aut (prout noſtra habet Vulgata) duo paſſeres offerentur, de quibus una, avis retorto ad pectus collo occidebatur, & DEO in holocauſtum pro peccato leproſi immolabatur; altera autem liberè permittebatur avolare, ſic tamen, ut priùs in ſanguine occiſæ victimæ ſepties intingeretur: *Quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties.* Levit. 14. 7.

En perelegantem typum in Chriſto JESU & MARIA adimpletum! ambæ caſtiſſimæ columbæ pro peccatis totius mundi, ut à peccati lepra mundaretur, offeruntur & portantur nunc ad victimam; Filius, ut in ſanguine ſuo, ac retorto ad pectus collo (quia *inclinato capite tradidit ſpiritum*) DEO Patri in acceptiſſimum amoris holocauſtum immolaretur, & Mater, ut ſepties immaculato illius Sanguine, per ſeptem videlicet Dominici cruoris effuſiones aſperſa, liberè permitteretur aliò abire. O pientiſſima Domina! Quis tibi tunc ſenſus? Quis animus? Quomodo contremuêre omnia viſcera tua? Verè tunc poteras dicere cum Regio Propheta: *Et cor meum dereliquit me.* Certè hæc corporalis ſeparatio à tuo dilectiſſimo Nato nihil differebat à morte, quia COR tuum quodammodo erat conglutinatum Sacratiſſimo CORDI JESU: *Non credo*, ait Doctor Mellifluus, *plenè enarrari, vel meditari poſſe dolorem Virginis, niſi tantum fuiſſe credatur, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater, &c.*

Joann. 19. 30. Pſalm. 39. 13. S. Bernhard. ſerm. de Lament. B. V.

Audite caſum & narratu & auditu dignum. Cùm regnante Michaële Palæologo Imperatore Conſtantinopolitanô Turcæ in Græcia multas Provincias & Regiones ex negligentia & diffidione Chriſtianorum ſuo imperio ſubjicerent, accidit, ut in direptione cujuſdam civitatis duæ nobiles ſorores adoleſcentulæ ab eis caperentur, quæ, cùm nunc ab invicem eſſent ſeparan-

Engelgr. Dom. infra Oct. Nat. Dom.

dæ,& diverſis Dominis Paganis,tanquam mancipia & nobilis belli præda, donandæ,tanto cordis dolore & amore ſibi invicem valedixere,ut ambæ ad mutuum amplexum & ſupremum oſculum unà ſimul expirârint.

Nunc cogita,ſi tamen cogitare potes,qualis dolor & amor puriſſimum COR MARIÆ replevit, cùm Filius nunc ad graviſſimam & cruentam pergens lanienam,extremum mœſtiſſimæ Matri ſuæ vale diceret, atque nunc ex præſentia & conſpectu ejus rectà abiret in mortem. Hærent hîc omnium linguæ,nec aliud effari poſſunt, niſi quod olim Mellifluus Bernhardus: *Dicat,qui poteſt, cogitet, qui poteſt,meditetur, ſi poteſt, qua doloris immenſitas tunc Virginis animam cruciabat, niſi tantum fuiſſe credamus, quantùm dolere de tali Filio potuit talis Mater.* (S. Bernh. de Lam. Virg.)

6. De S Romano glorioſiſſimo Martyre Antiocheni refert Vincentius Belluacenſis, quod tempore Galerii Imperatoris, Aſclepiadi tyranno, cùm Eccleſiam DEI per varias ac cruentas perſecutiones radicitus niteretur extirpare,generoſe ac plùs quàm virili animo reſtiterit,cæteroſque Chriſtianos ad fortiter pro Chriſti fide pugnandum adhortatus ſit; in hoc fortiſſimo SS.Martyrum exercitu & Puerulus reperiebatur nomine Barula,vix à Matre ablactatus,quem S Romanus ad confundendam gentilium ſuperſtitionem coram tyranno & omni populi multitudine interrogabat: *Utrum melius eſſet unum DEum colere,an plures Deos?* Reſpondit audacter Puerulus ſuperiore lumine illuſtratus: *Chriſtus eſt verus DEUS,& Deorum genera multa nec pueri putant.* Hæſit ad hanc Puerulil vocem tyrannus aliquantiſper attonitus,& cùm ulteriùs ab eo ſciſcitaretur,quis hujus vocis auctor eſſet? Reſpondit Barula: *Mihi Mater, & Matri DEUS.* Tunc clamans Aſclepiades tyrannus,Matrem adeſſe jubet,in cujus conſpectu hunc tenellum filiolum cumprimis virgis crudeliter cædi,& exinde decollari imperat. Quid ad hanc feralem ſententiam Mater & Filiolus? Uterque animo hilari, & in voluntatem Divinam pleniſſimè reſignato decantat: *Paratum cor meum DEUS: Paratum cor meum.* Proinde Mater nihil cunctata,nec fletibus imorata,ſed ſuſpiciens in cœlum, dulciſſimo Filio ſupremum oſculum imprimit,& ſimul carnifici ad lanienam in manus tradit: *Vale*, inquit,*dulciſſime,& cum beatus Chriſti regna intraveris, memento Matris, &c.* Dixit,Puerulus caput ferro inflexit, & in cœlum abiit. O luctuoſam valedictionem,ô mirandam fortitudinem & Filii & Matris! (Vincent. Belluacenſ. in Spec. Hiſtor. lib. 13. cap. 18. & alii.) (Pſal. 56. 8.)

Et quid dico? Acerbus ſine dubio,& prorſus ineffabilis fuit ille dolor & amor in Diviniſſimo CORDE JESU & in puriſſimo Corde MARIÆ, cùm ſibi invicem valedicerent,& nunc ſuaviſſimus JESUS ad vincula, ad flagra,ad crudeliſſimam mortem abriperetur: flevit quidem ex filiali amoris teneritudine tunc amantiſſimus JESUS,ſed Mater ampliùs: *Et oſculantes ſe alterutrum, fleverunt, David autem ampliùs.* Vicit tamen in utroque Corde (1.Reg. 20.41.)

amor

amor ille ardentiſſimus, quo generis humani in peccatis deperditi quærebant & affectabant ſalutem, atque ut in omnibus perfectiſſimo modo Patris æterni adimpleretur voluntas, hinc ambo dicebant, ambo ingeminabant: *Si non poteſt tranſire calix iſte, fiat voluntas tua.* Audi in hanc rem Seraphicum Bonaventuram: *Et in hoc*, inquit *B. Virgo miro modo debet laudari, & amari, quod adeò compaſſa eſt, ut ſi fieri potuiſſet, omnia tormenta, quæ Filius pertulit, ipſa libentius ſuſtinuiſſet: Et nihilominus placuit ei, quòd Unigenitus ejus pro ſalute generis humani offerretur. Verè ergo fuit fortis & pia, dulcis pariter & ſevera; ideò nobis amanda & veneranda poſt Trinitatem, &c.* Huc uſque Doctor ille Seraphicus. Et tu, prudens Lector! quid ad iſta? Et nunquid tu amas & amabis impoſterum hanc doloroſiſſimam Matrem poſt DEum T. O. M. ſuper omnia? Mater JESU & tua eſt, ergo digna eſt, ut ipſam honores, & diligas: *Sileat*, inquit Mellifluus, *miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in ſuis neceſſitatibus ſibi meminerit defuiſſe.*

S. Bonavent. in 1. diſt. 48. q. 2.

S. Bernhard. ſerm. 4. de Aſſumpt.

O pientiſſima Domina, quid reſtat, niſi ut magno animo ad thronum gratiæ tuæ accedamus, quia non perperciſti Filio tuo Unigenito, & pro nobis omnibus eum in mortem tradidiſti, ſemper voluntati Patris conjunctiſſima. Cedat Abraham, ad imperium Numinis filium ſuum Iſaac imolaturus: Ecce plùs hìc quàm Iſaac, quem pro ſalute generis humani genuiſti, lactâſti, enutriſti, educâſti, ac tandem in victimam placationis in ara crucis obtuliſti. O dura ſeparatio! ô triſte vale, cùm Dilectum tuum in manus inimicorum dimiſiſti, in quo ſalutis ac redemptionis noſtræ cooperatrix ſicut quondam Incarnationis Divinæ facta es: Eja Mater, fons amoris & doloris, compatere & mihi miſello, & *in die mortis meæ, ô Domina, conforta animam meam, deduc me ad portam ſalutis, & ſpiritum meum redde factori ſuo, &c.*


S. Bonavent. in Pſalm. Virg.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO XXV.

## Mater doloroſa cum Chriſto in horto orante orabat, cum agonizante agonizabat.




### Anxiatus eſt in me Spiritus meus, in me turbatum eſt Cor meum. *Pſal.* 142: 4.

Vide Iſa. 53. 1. ISaias Prophetarum Princeps adeò planè & clarè de Chriſti paſſione ſcripſit, ut non Prophetam, ſed Evangeliſtam agere videatur; inter alia etiam de hoc mitiſſimo Redemptore noſtro vaticinatus eſt: *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Per quod torcular juxta communiſſimam ſententiam rectè cruenta ejus paſſio deſignata eſt, ita Cornelius hîc: *Paſſio fuit torcular Chriſti, quo ejus Sanguis expreſſus fuit.* Sed & doloroſiſſimæ Matri paſſio Dominica torcular extitit, dum puriſſimum COR illius ita torſit, ita preſſit, ut in abundantiſſimas, imò ſan-

Iſa. 63. 3.

ſanguineas ſtillârit lacrymas: *O dirum torcular,* exclamat Mallonius, *quod externa Filii membra, internum Matris Cor ita comprimis, ut inde ſanguinem, hinc lacrymas, inde mortem, hinc mortis agones extorqueat.* Finge pro Symbolo torcular, in quo Sacratiſſimum COR JESU & MARIÆ torquentur, cum epigrapha inſcripta: Mallon de S. Sind. c. 7. fol. 99.

## Cogit in unum.

Ita eſt: *Cogit in unum*, COR enim JESU & MARIÆ COR unum fuit; audiamus verba doloroſæ Matris ad S. Birgittam; *Propterea*, inquit, *cùm naſceretur ex me* (Filius meus) *ſenſi ego, quòd quaſi dimidium Cor meum naſceretur, & exiret ex me; & cum ipſe pateretur, ſenſi, quòd quaſi Cor meum patiebatur; licet enim illud, quod dimidium eſt extra, & dimidium intra, & ſi illud pungitur, quod eſt extra, æquè ſentit dolorem, quod eſt intus. Sic ego, cùm flagellaretur, & pungeretur filius meus, quaſi Cor meum flagellabatur, & pungebatur. Ego fui ei propinquior in paſſione, nec ſeparabar ab eo. Ego ſtabam vicinior cruci ejus, & ſicut hoc gravius pungit, quod vicinius eſt cordi, ſic dolor ejus gravior præ cæteris erat mihi; cumque reſpexiſſet ad me de cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quaſi de venis lacrymæ exibant, & cùm ipſe me cerneret, in tantum amaricabatur de dolore meo, quòd omnis dolor vulnerum ſuorum quaſi ſopitus erat præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor ejus erat dolor meus, quia Cor ejus erat Cor meum: Ideo, filia mea, cogita qualis eram in morte Filii mei, & non erit tibi grave relinquere mundum.* Hucuſque doloroſa Mater ad Divam Birgittam; ex quibus verbis ſatis luculenter apparet, ſub eodem cruento paſſionis torculari & pientiſſimum COR Virginis cum CORDE Filii fuiſſe compreſſum. Lib. 1. Revel. S. Birgitt.

Audiamus rurſus verba Prophetæ in perſona Chriſti loquentis: *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.* Supra quod pereleganter Richardus de S. Victore: *Verum*, inquit, *eſt, Domine, quod non eſt vir tecum, ſed mulier una eſt tecum, quæ omnia vulnera, quæ tu ſuſcepiſti in corpore, ſuſcepit in Corde; & ſicut lancea militis perforavit latus tuum, ita gladius doloris ejus animam pertranſivit,* & eo majori ac vehementiori cum dolore, quia dilectiſſimo Filio ſuper omnia unicè dilecto in paſſione ferè ubique locorum, quoad fieri potuit, præſens adſtitit; ita Didacus Stella: *Oſtenditur*, inquit, *magnum fuiſſe ejus dolorem ex præſentia Chriſti patientis; objectum enim præſens fortiùs movet potentiam, quam abſens.* Iſa. 63. 3. Rich. de S. Vict. l. 1. de Laud. Virg. cap. 5. Didac. Stella in Lucam.

2. His præmiſſis, & conſideratis conſiderandis, quæritur, an doloroſiſſima Virgo & Mater etiam in monte Olivario cum Chriſto orante & agonizante præſens fuerit? Obſerva hìc, prudens Lector; venit Chriſtus in villam *Gethſemani*, ubi cruentum initium dedit paſſioni; Gethſemani autem, Matth. 26. 36 prout eleganter advertit Alphonſus Salmeron, ſecundùm primam Syllabam

Salmer. Tom. 10. tr. 10. fol. 100. Matth. 26. 36. Iſa. 63. 2.

Geth ſignificat in Hebraico *Torcular*, & Semen *oleum*, quia in illo loco ob olivarum copiam torcular erat collocatū non uvarum, ſed olivarū, ad quod Chriſtus diſcipulos ſuos ſedere juſſit: *Sedete hic.* Vidit ergo Iſaias Propheta in ſpiritu hîc Chriſtum præſentem, præ filiis quidem hominum formâ ſpecioſum, ſed mox à ſudore ſanguineo veſtimentis ſordidis, ac recenti cruore aſperſis amictum, proinde eum interrogavit: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, ſicut calcantium in torculari?* Et reſpondit: *Torcular calcavi ſolus, &c.* Hoc eſt: Non in cruce duntaxat, ſed & in monte Olivario, ad quod primariò hîc videtur alluſiſſe Iſaias, Chriſtus enim in cruce omnibus erat privatus veſtibus, hîc autem eum Vates Divinus ſanguinolentis indutum veſtibus conſpicatus eſt: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Quæritur ergo hîc, an etiam in illo olivarum horto afflictiſſima Mater præſens, vel ſaltem non longè ab eo diſtans fuerit?

Hierem. Drexel. de Chriſto mor. p. 2. cap. 12.

Reſpondet Hieremias Drexelius, Sacratiſſimam Deiparam eo temporū intervallo, quo Chriſtus in horto ad Patrem oravit, ſanguinemque ſudavit, in ſuo cubiculo domi oràſſe, & Patri Filiū lacrymoſum illud obſequium in cruce altero die conſumandum obtuliſſe. Ita comuniter & alii ſentiunt, aſſerentes Virginem tunc in ſpiritu omnia vidiſſe, quæ in monte Oliveti cum Filio accidêre; ſi enim quondam DEUS Abrahamo amico & ſervo ſuo fideli ſecretum ſuum celare non potuit: *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Quanto minùs hunc ſanguineum agonem dulciſſimæ Matri ſuæ poterat abſcondere? *Enimverò ſatis credibile eſt*, inquit Joſephus Manſi, *Deiparam eodem tempore certiorem factam fuiſſe de agonia & ſudore ſanguineo, qui in horto guttatim decurrit in terram.*

Geneſ. 18. 17.

Manſi in Bibl. Tom. 3. tract. 66. diſc. 2. Juſtin. Miechovienſ. tom. 2. diſc. 333.

Juvat hîc quoque audire R. P. Juſtinum Miechovienſem: *Tametſi*, inquit, *illa, cum Filio compaſſionem ſuam auſpicabatur, in horto non erat, ſemper tamen animo & cogitatione ei cohærebat, extremaſque illius Divini Cordis anguſtias oculis fidei contuebatur. Si Filius mortis metu conſternebatur, illius ipſa morte perterrebatur; Filio orante, illam quoque orationi inſtitiſſe, & unà cum Filio dixiſſe: Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat iſte calix à Filio meo; Filio voluntatem ſuam in voluntatem Patris reſignante, & ipſa ſuam reſignabat, dicens: Fiat voluntas tua. Ille in genua ſe ſua abjiciente, imò in terram procidente, proſternebat & ſe ipſa. Illo ſanguineum ſudorem emittente, lacrymas illa ſanguineas emittebat. Ille in agone deficiente, & ipſa deficiebat. Cùm ille ab Angelo confortabatur, confortabatur & ipſa; &c.*

S. Bonavent. Stim. Div. amor. p. 1. cap. 3.

3. Alii Doctores exiſtimant, & non improbabiliter, eandem Sacratiſſimā Deiparam etiā in ipſo monte Olivario huic primæ ſanguinolentæ vindemiæ fuiſſe præſente; ita S. Bonaventura hanc afflictiſſimam Virginem ſub acerbiſſimæ paſſionis exordio cum Filio patiente verſantem alloquitur: *Revertere Domina ad locum priſtinum, ne cum percuſſione Paſtoris te etiam amittamus*

Digitized by Google

*mus, ut non unâ horâ utriuſque privemur regimine.* Cui adjungo recentiorem Leopoldum Mancinum è Societate JEſu, qui hac quæſtione benè ponderatâ, in hanc declinat ſententiā, B. Virginem in illo cruento Filii ſui agone in horto non animo tantùm, ſed & corpore fuiſſe præſentem; in confirmationē hujus oportet propria Auctoris verba in apricum proferre. *Evaſerat,* inquit, *illa in montem Calvariæ, cur non peræque in montem Oliveti? Stabat juxta crucem, cur non etiam juxta hortum? Videbat Filium, & audiebat affigi cruci; cur eundem non vidiſſet & capi, ligari, ac duci? Accurrerit ergo Virgo Mater, quæ etiam nuntio ſilente, qui omnes hortenſes cruciatus retulerat, ſui ſanguinis, adhuc de terra clamantis, in Filio patiente poterat voces audire. Ibi, ibi vidit tunc illa cœleſtem Adamum innocens Eva, è paradiſo non deliciorum, ſed dolorum expulſum. Et quis, oro, dubitet, eam ſanguinis de terra clamorem tunc ſecutam, ubique cruentas notas ore venerabundo fuiſſe deoſculatam, adorâſſeque in illis Sacramentum Divinitatis, &c.* Mancin. de Paſſ. D. N. J.C. lib. 5. diſſert. 1. punct. 1.

Ex his circumſtantiis maturiore intellectu conſideratis, collige, pie Lector, pro te ſenſum moralem. Si JESUS & MARIA in tam acerbis doloribus & anguſtiis; cur tu vivere vis in deliciis & ſæculi voluptatibus? Si illi affecti innumeris contumeliis, cur tu inhias honoribus, & mundi vanitatibus? Si ipſi eò intenſiùs orant, quo majores ſunt animi luctantis anguſtiæ; cur tu tam tepidè, tam negligenter ad DEUM preces fundis? An ignoras, eum à DEO maledictum, qui opus DEI facit fraudulenter & negligenter? Si illi quæcunque aſperrima Divinæ reſignant voluntati: *Non mea voluntas, ſed tua fiat;* quomodò tu in rebus adverſis te geris? An omnia Divinæ committis ordinationi? Reflecte in te mentem, hic enim rei totius cardo volvitur, ut in omnibus ſtudeas DEI voluntatem perficere. O Mater amoris & doloris! hanc, quæſo, gratiam à Filio tuo nobis exora. Sed pergamus ulteriùs. Jerem. 48. 10

4 Elephantibus olim, prout ſacer habet Machabæorum liber, *oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium.* Supra quod pereleganter Richardus de S. Laurentio: *Elephas,* inquit, *viſo ſanguine non timet mori, ſed magis acuitur in prælium: Sic B. Virgo viſo ſanguine Filii ſui effuſo in cruce, mori cum ipſo non timuit, ſed magis optavit, & ſi animam pro ipſo non poſuit expoſuit tamen, & quod potuit, fecit.* Addit hic devotiſſimus Quareſmius? pretioſiſſimam Virginem etiam ex viſo ſanguine Filii in horto effuſo, tanquam generoſam elephantem animatam, eò fortiùs ad cruentum paſſionis prælium concurriſſe, & ex virtute hujus Divini Sanguinis cum Filio patiente fortiter uſque ad finem perſeveraſſe, millies tunc animo ingeminantem? *Quis me ſeparabit à Charitate JESU?* 1. Mach. 6. 34. Richard. à S. Laurent. lib. 10. de Laud. B. V. Quareſm. Tom. 5. c. 1. ſect. 12.

Conſiderabat nimirum hæc Sacratiſſima Virgo, dilectiſſimum Filium ſuum verum illum eſſe amoris Pelicanum, cujus ſanguine & livore ſanandus eſſet mundus: *Effuſus eſt ſanguis Medici,* ait D. Auguſtinus, *& factum eſt medicamentum phrenetici.* Neque ignorabat ipſum eſſe verum illum Cypri botrum, Pſal. 101. 7. D. Aug. In Joan. tr. 15. Cant. 1. 13.



Digitized by Google

trum, olim inter ubera commorantem, ſed nunc ut maturum ſponte ſua, & non impiorum manibus preſſum, aut calcibus contritum, rubentem, unde
Cant. 5. 13. Lemma: *A ſe ipſo liquorem.* Sciebat inſuper, illum eſſe præſignatum per illam electam myrrhæ arborem, quæ ſponte, & neque inciſa per poros ſuos
Eccleſ. 39. 17 primam ubertim diſtillaret myrrham. O pientiſſima Domina! cui te comparabo? Roſa tunc eras, roſcida effuſione lacrymarum dulcis quidem &
Eccleſ. 24. 19 amabilis, ſed & languida & non ſine ſpina. Oliva eras, non amplius ſpecioſa in campis, ſed amara nimis, *quia amaritudine valde replevit te omnipotens.*
Ruth. 1. 20. Luna eras, non pulchra, ſed pallida, vel ex vultu tuo & lachrymis præſagiens
Pſal. 49. 3. ingentem, ac nimis cruentam tempeſtatem: *Et tempeſtas in circuitu tuo valida.* Et tu interim, anima mea omni ex parte infirma, quid agis? Cur non ad hoc ſalutare properas lavacrum, ut à tuis ſaneris infirmitatibus? Noli, ah
Joan. 5. 7. noli conqueri cum illo Paralytico: *Hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam.* Ecce hic hominem habes JEſum, & Sacratiſſimam Matrem ejus doloroſam, hunc, ut te à peccatorum ſordibus in hac ſaluberrima ſanguinei ſudoris ſui piſcina abluat, illam, ut pro te JEſum fideliter exoret, atque miſericordiam impetret. Quid ergo prohibet baptizari
Actor. 8. 36. in hoc Jordanis flumine? Et nunquid copioſa apud eum eſt redemptio?
Caſſiodor. in Pſalm. 129. Audi Caſſiodorum: *Pretioſus*, inquit, *ille ſanguis fuit tanta virtute ditiſſimus, ut velut quoddam diluvium ſalutare orbem terrarum à ſuis ſordibus expurgaret.* Neque vindictam, ſed miſericordiam clamat ille ſanguis, longè mitiùs, quàm
Hebr. 12. 24. ſanguis Abelis loquens: *Acceſſiſtis ad ſanguinem, melius loquentem, quam Abel,* quia etiam pro tranſgreſſoribus fuſus pro eorum ſalute oravit, ut eo notarentur,
Exod. 12. 13. atque ultricem DEI manum effugerent; hinc dictum fuit: *Erit autem ſanguis vobis in ſignum: Videbo ſanguinem, & tranſibo vos: Nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.*

5. Cæterùm miror, quoties mecum vivaciori perpendo intellectu illa Chriſti in horto Gethſemano agonizantis verba, ad Patrem dicentis, & in-
Matth. 26. 34. geminantis: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Et cur, obſecro, dicis, ô mi Domine: *Tranſeat?* Imò potiùs: *Veniat?* Et nunquid hunc paſſionis calicem, licet amariſſimum, jamjam à primo conceptionis tuæ momen-
Pſal. 39. 8. tò avidiſſimè & ardenti deſideráſti amore? *Tunc dixi: Ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam?* Cur ergo nunc illum reformi-
Luc. 10. 30. das, atque recuſas: *Tranſeat à me?* En mi Salvator, homo ille Jerichuntinus
Luc. 15. 4. expectat Samaritanum; ovis perdita ſuum Paſtorem; prodigus Patrem;
Luc. 15. 18. Iſa. 64. 1. ægrotus medicum; Patres in limbo Redemptorem, & totus mundus in maligno poſitus ſuum Salvatorem; & tu dicis: *Tranſeat a me calix iſte?* Ad quid ergo veniſti in mundum?

Suſpende judicium, prudens Lector! quare Chriſtus dixit: *Tranſeat à me calix iſte*, ideo factum eſt, ut naturam ſuam demonſtraret humanam, ſecundùm

Digitized by Google

dùm quam pati neceſſe erat, humanæ enim naturæ proprium eſt timere mortem, & quidem mortem tam acerbam, ac longè crudeliſſimam, qualis erat crucis. Ita S. Bernhardinus: *Ut homo*, inquit, *dicebat nolle bibere, ſed prout ratio ſuperiori obediebat veritati, prompto animo eſuriebat, propterea ſubdit: Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* Aliam rationem aſſignat Cornelius, quia videbat Chriſtus multos ſuæ paſſioni futuros eſſe ingratos, manſuros in peccatis, atque ſic æternùm damnandos, & hic, inquit, erat illi dolor maximus, quem hic calicem vocavit: *Tranſeat à me calix iſte.* Alii alias adſtruunt rationes, inter quas ad noſtrum propoſitum ſummoperè mihi placet illa, quam asſignat Reverendisſimus Epiſcopus Hebronenſis Fridericus Fornerus, quòd afflictisſimæ Matris compaſſio & condolentia Chriſtum ſuper omnia in illo Olivario horto afflixerit, amabat enim eam citra Deum ſupra omnes creaturas, quæ vel ſunt in cœlo, vel in terra, ideo ex ejus condolentia ineffabilem quoque concipiebat dolorem, hinc petiit à Patre: *Tanſeat à me calix iſte.* Quam opinionem pulcherrimè confirmat Doctor Seraphicus: *Rediens*, inquit, *Chriſtus ad orationem ſecundò & tertiò eundem ſermonem oravit, & addidit: Pater ſi ſic decreviſti, ut penitus crucis patibulum ſubeam, fiat voluntas tua. Sed recommendo tibi dilectiſſimam Matrem meam, &c. Serva eam amodò.* O luctuoſus calix! qui ſanguinem ex omnibus Chriſti membris, & amarisſimas lacrymas ex oculis doloroſæ Matris expreſſiſti; & quemadmodum abundantes aquæ, quibus in rivo ad tempus interdictus erat exitus, oblato, ac recluſo repagulo, ſine mora ingenti impetu in ſubjacentem erumpunt planitiem, eamque copioſiſſimè irrigant: Sic Divinisſimus Sanguis, qui interim ad mœſtisſimum COR JESU confluebat, ut illi, prout in gravi mœrore & agone fieri aſſolet, ſuppetias ferret, audita Patris voluntate, & Angeli confortatione abjecta, vehementiſſimo impetu ex patefactis omnibus poris erupit: *Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* O Domine JESU! O Mater amoris & doloris! etiam unicam ſtillam pro anima mea miſerrima; atque tunc præſertim, quando in ſupremo illo agone cum tota æternitate erit decertatura: *Veniat ſanguis tuus ſuper me.*

S. Bernhard. Tom. 1. S. 55. art. 1. cap. 2.

Frider. For. in Paradiſ. Malor. Pun. Conc. 81.

S. Bonavent. in vita. Chr. cap. 75.

Luc. 22 44.

Matth. 27. 25.

6. De Elia recenſent Sacræ Litteræ, quòd furorem impiæ Jezabelis declinans ad deſertum fugerit, ubi ſedens ſubter unam Juniperum, & præ mœrore animi ferè contabeſcens ab Angelo mirè confortatus eſt: *Et ecce Angelus Domini tetigit eum: & dixit illi: Surge & comede, grandis enim tibi reſtat via.* 3. Reg. 19 4.

O pientiſſima Mater! ad quid iſta enarro? Typus iſte in tuo Filio expletus eſt, cùm enim à facie impiæ Synagogæ, quæ per Jezabelem adumbrata fuit, ad clivum Olivarum contenderet, ut ibidem pro more ſuo de nocte orationi inſtaret, priusquam morti traderetur, ab Angelo confortatus: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum.* Sed quid dixit ille Angelus? Credo, quod per priorem ad aures Eliæ intimatum fuit: *Surge, & comede grandis enim tibi reſtat via.* Luc. 22. 43.


O mœſtiſſima Domina! venio ad te durus nuntius: amantiſſimo Filio tuo & tibi adhuc grandis reſtat via: *Surge & comede.* Enimverò comedit prior Filius tuus non panem ſubcinericium, ſed Euchariſticum, ex quo confortatus hanc grandem luctam ingreſſus eſt. Comediſti & tu, ô Domina! (ita cenſent cum Metaphraſte graviſſimi Doctores Albertus M. Salazar, Suarez, Caniſius, Chriſtophorus de Caſtro, & alii, aſſerentes, hanc Sacratiſſimam Deiparam omnium primam in ultima cœna in conclavi ſeparato, jubente Chriſto, per S. Petrum hoc Diviniſſimo Epulo eſſe refectam, & prout obſervat Paulus Barry, *adverſus extremum mœrorem, in Servatoris ſibi unicè chari captivitate cruciatibus ac morte paulò poſt oriturum*) ô Domina! quia ergo hoc Euchariſtico pane, cor hominis confirmante, confortata es, para te ad luctam heu nimis luctuoſam & cruentam, *grandis enim tibi,* & Filio tuo adhuc *reſtat via.* A monte Oliveti ad torrentem Cedron, de quo Filius tuus in via bibet. A torrente ad Annæ palatium, ubi Dilectus graviſſima alapa percutietur. A palatio Annæ ad Caipham, ubi à Petro negabitur. A Caipha ad Concilium Senedricum, in quo reus mortis declarabitur. A Concilio hoc iniquiſſimo ad Romanum Præſidem, ubi à falſis teſtibus accuſabitur. A Pilato ad Herodem, ubi dementis inſtar albâ veſte illudetur. Ab Herode rurſus ad prætorium Pilati, ubi Barrabæ parricidæ poſtponetur, flagellabitur, ſpinis coronabitur, & ad mortem crucis condemnabitur. Tandem ab hoc prætorio ad montem Golgothæum, ubi Agnus ille Divinus & Paſchalis non tantùm pro peccatis ſuæ gentis, ſed etiam pro univerſorum ſalute in ara crucis, te ô doloroſiſſima Mater! præſente & vidente, immolabitur. O Domina! *quàm grandis adhuc tibi reſtat via?* O pulcherrima mulierum! ô triſtiſſima Noëmi! quàm lacrymabile nimis hoc erit in univerſo orbi ſpectaculum, DEUM videre & hominem ac Sacratiſſimam Matrem ejus in tanto ſupplicio! ô pientiſsima! in æternum ſis benedicta, quæ, ut miſeriam ac orbitatem noſtram reſarcies, te unico CORDIS tui privâſti ſolatio, Filiumque tradidiſti in mortem, ut per eum vitam conſequeremus æternam: *Benedicta tu Filia à Domino.*

Vide R. P. Paulus Barry S. J. in Anno Mariano apud. me fol. 69.

CON-

# CONSIDERATIO XXVI.

## B. Virgo intelligit Filium JESUM à Juda in mortem eſſe venditum, perfido oſculo inimicis traditum.




JEſus autem dixit illi: Juda, oſculo Filium hominis tradis? *Luc.* 22.48.

1. QUalis eſt amicitia crocodili, talis eſt amicitia mundi. De crocodilo recenſent, quòd ſit amphibius, rapax, durus, doloſus & occultus viatorum latro, qui in littore ſeptemgemini Nili latitans in publicum nunquam prodire aſſolet, niſi in exitium hominis, quem ſi devoravit, in largas prorumpit lacrymas, quaſi adhuc illius neci & calamitati intimo ex corde condoleret; proinde meritò à DEO inter immunda animalia connumeratus eſt: *Hæc quoque inter immunda reputabuntur: Crocodilus, &c.* Cui rectè pro Lemmate affiges: Levit. 11. 29.

Plorat, & devorat.

En typum fallacis mundi & impii Judæ proditoris, qui vir duplex corde ſub larva adulantis crocodili ad Chriſtum JEſum, optimum Magiſtrum
Luc. 22. 48. ſuum in horto accedens, eum fallaci oſculo ſub ſpecie ſummæ amicitiæ in manus tradidit peccatorum; *JEſus autem dixit illi: Juda oſculo Filium hominis*
Actor. 13. 10. *tradis*? O plene omni dolo & omni fallaciâ fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ, quid peccavit in te DEus tuus? Et tu, Domine JEſus, quomodo, obſe-
S. Anſelm. Dial. de paſſ. cap. 7. cro, hoc perfidiſſimum os & immanis hujus crocodili fallacias tanta cum manſuetudine potuiſti ſuſtinere? *Accedentem*, ait S. Anſelmus, *ad oſculum ſanctiſſimi oris tui cruentam beſtiam averſatus non es, &c.* O amoris prodigium! amicum vocas, & in mortem traderis? *Amice ad quid veniſti*? Quaſi
2. Reg. 20. 9. diceres: Novi truculentum impoſtorem, ſub pelle ovina lupum tegentem: Talis erat Joab, Amaſam belli ducem peramicè amplectentem, & ſalutan-
Judic. 3. 19. tem: *Salve mi frater*, & interim crudelis pugio ejus transadegit viſcera. Talis amicus erat Aod Regi Eglon: *Verbum ſecretum habeo ad te ô Rex... Et tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitque eam in ventre ejus tam validè, ut ca-*
Sueton. de Jul. Cæſ. *pulus ſequeretur ferrum in vulnere.* Talis erat Brutus Julio Cæſari in conſpiratione Romæ à Senatoribus contra eundem Cæſarem ſubornata: *Et tu fili mi Brute?* O Juda nunquid ſimili oſculo Filium hominis tradis in mortem? Quid feci tibi, aut in quo moleſtus fui tibi? Reſponde mihi. Si vis necem meam, longè ardentiùs illam ſubire deſidero, quàm tu conaris eam mihi tam ſubdolè procurare? Revertere igitur, ô miſer! revertere? en paratum cor meum ad
Frider. Forner. in Paradiſ. Malorum Punicorum Conc. 83. ignoſcendum, &c. Juvat hìc audire Rerverendiſſimum Fridericum Fornerum Epiſcopum Hebronenſem & Suffraganeum Bambergenſem, qui inter alias rationes, quas Sacratiſſimum COR JESU ad cor Judæ loquebatur, etiam hanc introducit: *Si te nec mei, nec tui te miſeret, cur ſaltem afflictiſſimæ Matris meæ non miſereris? Matris, inquam, meæ, quam morte meæ viduam ſupra modum omnium deſolatam relinques? Ah recordare, quàm ſuaviter illa tibi ſervivarit, cùm fatigatus ex itineribus unà mecum domum illius ingredereris? Nonne ut famula & ancilla mei cauſâ tibi miniſtravit? Nonne ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria tibi unà mecum ſollicitè procuravit, & paravit? Nonne quæcunque ob rei familiaris anguſtias tibi exhibere poterat, reculas promptiſſimè ſuppeditavit? Et tu ô Juda oſculo Filium hominis tradis? Amice ad quid veniſti*?

2. Et quid interim pientiſſima Virgo, quæ domi in Bethania, vel non longè à monte Olivario diſtans, præ expectatione futurorum penè tabeſcebat? Ubi intellexit, dulciſſimum Filium ſuum à peſſimo Juda in mortem eſſe venditum, atque in manus peccatorum contraditum, obmutuit ad hoc fe-
Nebrid in Faſc. Myrrh. cap. 4. rale nuntium mœſtiſſima Mater, nec ultra in ea erat ſpiritus: ubi autem reſumptis nonnihil viribus ſe collegit, in hæc vel ſimilia verba & lamenta Sacratiſſimum Cor ejus, Nebridio atteſtante ſolutum eſt: *O Juda nefandi ſceleris auctor, quid fecit tibi filius meus, Magiſter tuus? Nonne ipſe te elegit Apoſto-*

lum

*lum ſuum? Quomodo converſa es in amaritudinem, vitis ab ipſo DEO electa & probata? Quomodo ad tantam ingratitudinem devenire potuiſti? Hæccine eſt gratia, quam reddis Benefactori tuo? Hæc fidelitas, quam debes Domino tuo? Hæc reverentia, quam exhibes Magiſtro tuo? Hiccine denique eſt amor tuus, quem præſtas parenti tuo? Si tantùm valuit apud te argenti amor, ut eum venderes Judæis, cur non id indicâſti mihi, circumiiſſem mendicans mare & aridam, & mendicatos non modò triginta argenteos, ſed trecentos aureos in manu tua appendiſſem, ut mihi meum Filium reliquiſſes! O unice mi Nate, deſiderate votorum meorum, quid jam agetur tecum? cur te dimiſi unquam? &c.* O triſtis nox, non computanda in cæteris noctibus anni, quia Filium unicum ac ſummè dilectum Matri omnium ſanctiſſimæ & afflictiſſimæ rapuiſti: heu quàm altos & acerbos gemitus Mater illa amoris & doloris illa nocte edidit: *O JESU! Fili mi JESU! quis mihi tribuat, ut ego patiar & moriar pro te!* O anima Chriſtiana! hanc, quæſo, noctem cogites, ſi ob graves curas, perſecutiones, dolores, ægritudinem, labores, &c. ſubinde dormire non poteris: cogita, inquam, patientiſſimum JESUM & Sacratiſſimam Matrem ejus compatientem, atque ex animo compatere illis: *Et nihil adeò grave erit*, ait S. Gregorius, *quod non æquanimiter toleres; ſi Chriſti paſſionem ad memoriam revoces.* Aquas illas amarulentas de Mara, cùm populus à ſervitute Ægyptiaca liberatus ad terram promiſſionis proficiſceretur, lignum à Moyſe immiſſum dulces & potabiles reddidit: *At ille clamavit ad Dominum, qui oſtendit illi lignum, quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt.* Si tribulationes hujus temporis, injuriæ dolores, cruciatus & tormenta tibi nimis videntur amara, anima Chriſtiana, mitte lignum crucis & gladium doloroſæ Matris in has aquas, & indulcorabuntur: *Ligno crucis miſſo*, ait S. Antoninus, *id eſt, meditatione habitâ de paſſione, efficiuntur dulces.*

S. Gregor. M. in Epiſt.
Exod. 15. 25.
S. Antonin. P. 4. Tom. 8. cap. 7.

3. David Rex in Iſraël, cùm ob cruentam Abſolonis perſecutionem, relicta urbe ad montem Olivarium in fugam ſeſe converteret, præ omnibus aliis Senatoribus, qui ad hunc rebellem filium ſuum defecerant, quàm maximè de Achitophele doluit, & ingemuit, erat enim hic Achitophel intimus, familiariſſimus & primarius Davidis Conſiliarius, qui, quia rebellium anteſignanus factus eſt, optima quæque poterat, hoſti ſuggerere conſilia, &c. Audiamus ipſum Vatem Regium pſallentem: *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique; & ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet; abſcondidiſſem me forſitan ab eo: Tu verò homo unanimis, Dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, &c.* Obſerva hìc, prudens Lector, quòd Rex abſentem alloquatur Achitophelem: *Tu verò homo unanimis, &c.* Per quem proditorem (Angelomo, Ruperto, Cornelio & aliis atteſtantibus) rectè Judas Domini proditor adumbratus fuit, quia uterque Dominum ſuum prodidit, & in fine laqueo ſe ſuſpendit. Ad te me converto, ô Domina mundi.

Pſalm. 54. 13.



Digitized by Google

Nunquid & tu cum Davide contra impiiſſimum proditorem Judam has movere poteras querelas: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi!* Si Phariſæus inſenſus, ſi ſcriba inimicus, ſi homo gentilis, ſi barbarus, aut alius extraneus tam vili pretio vendidiſſet atque tradidiſſet dilectiſſimum Natum meum, DEum & Hominem in mortem *ſuſtinuiſſem utique*; *Tu vero*, (ô Juda) *homo unanimis, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos* (maximè verò Euchariſtiæ) amoris ſigno Filium meum tradis in mortem? Oblatione mellis aſpidum propinas venenum? Et ſub pallio charitatis veræ & non fictæ innocuum fundis ſanguinem? Et nunquid in ſocium & ApoſtolorumSenatum te elegit Filius meus?Nunquid pedes ſordidos etiam lacrymis ſuis tibi in cœna abluit? Nunquid omnia peccata tua tibi miſericorditer condonavit.& inſuper poteſtatem dedit ſuper omnia dæmonia, & ut languidos curares ab infirmitatibus? Et quod omne meritum excedit, te hæredem hæreditatis cœleſtis adſcribere voluit? Et quid, quæſo, ultrà tibi potuit facere, & non fecit? Ah *amice ad quid veniſti*, ut Filium perdas & Matrem? O ſcorpio, qui quidem blandè amplexaris, ſed ſimul etiam toxicum evomis! ô vipera, quæ occultè mordens vulneri venenum inſtillas, & interficis!ô ſcarabæe, qui in hortoGethſemani ex odoriferis virtutum floribus Floridi Nazaræi non dulce mel, ſed amariſſimum fel ad propriam & animæ & corporis perniciem ſuxiſti! Hæc vel ſimilia ad tam triſte nuntium dolentiſſima Virgo in conclavi Bethanico poterat ſecum ratiocinari,& digerere;interim,quia amor otioſus non eſt, vel ſi otioſus eſt amor non eſt, ſine mora etiam de nocte intempeſta itineri ſeſe accingit, & Hieroſolymam, ut dilectum ſanguinum Sponſum ſuum inquireret, cum nonnullis amicorum contendit.Nebridius hic eam ita loquentem introducit: *Si tam propitius mihi DEUS erit, ut videam ipſum, nemo me abſtrahet ab ipſo: nullus Judæus tam robuſtus erit, nullus barbarus tam ſævus, nullus miles tam truculentus, ut me ab ipſo divellat. His ego brachiis amplectar ipſum; hoc inter gremium locabo ipſum; Dilectus meus eſt, inter ubera mea commorabitur; & ſi non poteſt eſſe, ut ſervem vivum, hæc inter viſcera tumulabo defunctum. Præſens ero, ubicumque fuerit. Quis ſcit? Fortaſſe lacrymis meis bacchantium rabiem temperabo, aut duritiem ſævientium emolliam.* Audiamus pro dictorum confirmatione & Seraphicum Doctorem: *Heu Domina! quò vadis*, inquit ipſe, *revertere, Domina, ad locum priſtinum, ne cum percuſſione paſtoris te etiam amittamus, ut non unâ horâ utrinsque privemur regimine, &c.*

Nebrid. in. Faſc.Myrrh. cap. 4.

S.Bonavent. Stim. Div. amor. p. 1. c. 3.

4. Sine, Domina, ah ſine, ut loquatur ſervulus tuus indigniſſimus ad te verbum: Joſeph typus dulciſſimi Filii tui à perfidis fratribus viginti argenteis Iſmaelitis in ſervitutem venundatus eſt: *Extrahentes eum de ciſterna vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis.* JEſus autem Filius DEI & tuus, ô MARIA, triginta argenteis, & ſic decem dignior, quàm ſervus æſtimatus eſt: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* O viliſſimum pretium

Gen. 37. 28.

Matth. 26. 15.

in

Digitized by Google

in conſideratione ſummi illius, infiniti & imenſi Boni; quia nimirum unico pomi morſu diabolo in interitum venditi eramus, ideo ipſe DEI Filius & tuus, ô Virgo, vendi voluit, ut lytrum ac pretium animarum noſtrarum exſolveret, qui erat pretium ſine pretio. Et dic, obſecro, ô Domina mundi, quid vis mihi dare, & ego JESUM tibi de novo tradam? Ah ignoſce omnium Matrum afflictiſſima (meliore enim ſenſu & intentione, quàm Judas, ad te loquor, licet ſim ipſo Judâ deterior) ecce Dominus meus, ac DEUS meus, Filius tuus pretioſiſſimus quotidie fit meus captivus in Sacratiſſimo Miſſæ Sacrificio & Comunione; ibi meus eſt JESUS, & ad me pertinet totus, poſſumque cum illo agere, quidquid mihi lubet, quia mihi ſe in hoc Sacratiſſimo Sacramento donavit, *quid* ergo, ô Domina! *vis mihi dare, & ego tibi eum tradam?* Non peto triginta argenteos, heu nimis vile & abjectum pretium, dum non plùs quàm 15. florenos Brabanticos, & in noſtra moneta Imperiali currente vix 12. florenos faciebant: plùs ego à te pro Filio tuo Diviniſſimo requiro; non melliones aureorum, non regna mundi, nec quidquid aliud in mundo pretioſum eſſe poteſt; ſed hoc rogo, ô Domina, ut mihi impetres peccatorum miſerrimo à dulciſſimo Filio meorum veniam delictorum, & gratiam Divinam atque efficacem, eamque finalem, quæ ſub nullius cadere poteſt meritum, & hoc ſufficit mihi: *Sic ego tibi eum tradam.*

5. Verumenimverò ad quid hactenus indignatus ſum Judæ? Et ad quid hunc ingratiſſimum & infidum accuſavi nebulonem? O quod ſimiles Judæ fratres, verſipelles, ſimoniaci & pſeudopolitici etiamnum in hoc orbe Chriſtiano reperiuntur, & utinam non etiam inter N.N.? Judas viliſſimo pretio DEUM cœli & terræ in mortem tradidit: *Quid*, inquiebat, *vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi conſtituerunt ei triginta argenteos.* In quo mercatu obſervandum, quòd peſſimus ille homuncio omnino voluntati Judæorum reliquerit, quidnam pretii pro Chriſto Virginis Filio vellent exſolvere, quaſi diceret: Ego libenter eum vobis tradam, date mihi, quidquid vobis lubet, & ſi unum teruntium? O peſſimum mercatorem! econtra idem Judas unguentum, quo Magdalena venerandos Chriſti pedes inungebat, trecentis denariis æſtimavit: *Poterat enim unguentum iſtud venundari plùs, quàm trecentis denariis, & dari pauperibus?* O inſaniam! trecenti iſti denarii in noſtra pecunia faciunt 75. florenos, & triginta argentei, prout dictum eſt, 12. florenos. Ergone unguentum pluris à te, quam ipſe DEUS & homo Chriſtus ductus eſt? O proditor abominande, mille infernis digniſſimè! Core, Dathan & Abiron, ſeditionem contra Moyſen moventes, terra vivos abſorbuit: *Et aperiens os ſuum devoravit illos*; & quomodo infernus potuit ſe continere, quin te pariter vivum deglutiret? Eſau verè fatuus & ſtolidus primogenituram ſuam pro pulmento lentis vendidit:

Matth. 26. 15.

Marc. 14. 5.

Num. 16. 32.
Gen. 25. 34.

Et

*Et ſic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit parvi pendens, quòd primogenita vendidiſſet*; verùm tu, ô nefarie proditor! Primogenitum & Unigenitum æterni patris, & MARIÆ Virginis Matris, ad necem crucis vendidiſtis ô facinus indigniſſimum, crudele, in auditum! & pro tantillo pretio!

Dixi, ad quid indignor, & iraſcor Judæ traditori? O anima peccatrix, ſta hìc, & penſa, quia deprehenſa es, non enim mihi poteris effugere; dic mihi, quo pretio optimum Redemptorem tuum, qui te innumeris cumulavit beneficiis, hactenus æſtimâſti? O miſeriam omnium lacrymis non ſat deplorandam, dum illum uno crucifero, unâ turpiſſimâ & fœtidâ carnis voluptatulâ, uno impuro verbo aut cogitatu de novo audes prodere, & vitam tradere in mortem? *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc, &c.* Jerem. 2. 12.

Judæ, poſtquam Creatorem ſuum in mortem tradidit, rectè & juſtiſſimè Divina gratia ſubtracta eſt, unde quaſi maſſa perdita magis magiſque ad æternam volutabatur perniciem; & ſicut lapis, quando ſemel de excelſo collis faſtigio cadere incipit, non ampliùs quieſcit, donec ad ima terræ devolvatur: ita hic impius Chriſti deſertor & apoſtatarum anteſignanus non ampliùs quievit, donec laqueo ſe ipſum ſuffocans ad Tartarum deſcendit. Hìc attende, quiſquis es, qui vel ſemel peccato mortali DEUM tuum offendiſti, & cum Juda ob viliſſimæ ac momentaneæ voluptatis amorem Summum Bonum prodidiſti. Attende, inquam, & ſi ſemel per miſericordiam DEI ab æterno exitio liberatus es, ne iterum committas, ex quo jacturam Divinæ gratiæ & æternam de novo incurras damnationem. Sæpe ergo, & dum modo licet, dic ex animo: O bone JESU! cur unquam te offendi? quare te omnium bonorum fontem unquam dereliqui? Ah fluite lacrymæ: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte*? Ah quis dabit? Jerem. 9. 1.

6. Reviſamus afflictiſſimam Matrem noſtram. De Heli ſupremo illo in Lege Sacerdote recenſent Regum Annales, quòd ad deplorabile illud nuntium: *Arca DEI capta eſt*, mox de ſella retrorſum juxta oſtium domus ceciderit, & fractis cervicibus expirârit. (1. Reg. 4. 18.) Per Arcam illam juxta Divum Gregorium & alios Humanitas Chriſti præſignata fuit; ah quis dicet, quo animi ſenſu pientiſſima Virgo fatale hoc nuntium audierit: *Arca DEI capta eſt*? *Venerunt*, ait S. Anſelmus, *Diſcipuli currentes, & lacrymabiliter clamantes O chariſſima Domina, dilectus Filius tuus, Magiſter noſter captus eſt, & neſcimus quò ducatur, vel quid fiat.* (S. Anſelm. Dialog. de paſſ. Dom.) O quàm crudelis, quàm truculentus erat hic gladius, qui Sacratiſſimum COR Virginis transfixit: *Cùm audiſſet*, ſubintrat hìc S. Bonaventura, *quòd Filius ejus captus eſſet à Judæis, januis clauſis, ſacrum pectus tundere, & lacrymas effundere non ceſſavit.* (S. Bonavent. in vita Chr.) Si enim Mathathiæ cor & omnia viſcera ejus commota ſunt, ubi intellexit templum DEI à Genti-

Gentibus & Barbaris eſſe profanatum,& Legem violatam: *Et vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus.* Heu quanto magis doluit tenerrimum Cor Virginis, ubi nuntium recepit, Templum DEI vivum, hoc eſt, Diviniſſimum Filium ſuum à Juda eſſe profanatum,& à Judæis captum,&c. Attende hîc, quisquis es ô Chriſtiane, & ſi vel guttulam adhuc in venis habes Chriſtiani ſanguinis, attende, inquam,& conſidera utriusque Sacratiſſimi CORDIS JESU & MARIÆ dolores planè im̃enſos; ô te miſerum, ſi non aliquo com̃iſerationis & reciproci amoris ſenſu erga illos tangaris: *O anima mea*, inquit S. Laurentius Juſtinianus, *ſi qua pietatis in te remanſit ſcintilla, compedes madefacito lacrymis, ſolve manus ligatas à tergo, vincula diſrumpe, præcide funes, & quanta vales virtute, in priſtinam libertatem reſtitue Redemptorem.* Quod tunc fiet, quando aliquando ceſſabis peccare. Ah cur non hoc momento ex animo execraris univerſa delicta tua, quæ Chriſto JESU & Sacratiſſimæ Matri ejus tantorum fuerunt cauſa dolorum? O dulcis JESU! qui etiam proditorem tuum amicum appellare, & velut amicum complecti dignatus es, ne, obſecro, avertas amabiliſſimam faciem tuam à me, quia ſervus tuus ſum ego, & Filius Ancillæ tuæ.

1. Mach. 2. 24.

S. Laurent. Juſtin. de Triumph. Chriſti agone. cap. 10.

Recordor hîc illius famoſæ peccatricis Maria Ægyptiacæ, quæ ter ab adoratione Dominicæ Crucis divinitus repulſa, cùm nunc pœnitens anteactæ vitæ ad doloroſam Matrem ſeſe convertiſſet, ad gratiam quoque Filii admiſſa eſt, quam doloroſam Virginem impenſiſſimè exinde rogavit, quatenus ſibi veram ac ſecuram ſalutis viam dignaretur oſtendere, à qua hanc vocem audivit: *Si Jordanem tranſieris, illic invenies bonam requiem*, quo transfretato in ſum̃a vitæ auſteritate 47. annos ſub præſidio doloroſæ Matris ſanctiſſimè tranſegit, cujus ſacrum Caput Auguſtæ Vindelicorum in templo Societatis JESU religioſè aſſervatur. Anima Chriſtiana, ſi ſecutus es errantē, ſequere & pœnitentem; ſi Filium times ut juſtiſſimum tuorum ſcelerū vindicem, curre ad Matrem doloroſam: *Exaudiet Matrem Filius*, inquit Mellifluus, *& exaudiet Filium Pater: Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ*, &c.

Sophron. in Vitis PP. Sur. 9. April.

S. Bernhard. ſerm. Nat. B. V. M.

# CONSIDERATIO XXVII.

## B. Virgo quærit de nocte Filium ſuum captivum, & nunc velut agnum manſuetum furori luporum traditum.




### Comprehenderunt JESUM & ligaverunt eum.

*Joan.* 18. 12.

Gen. 4. 4. 1. SÆpiùs in Sacris Litteris pientiſſimus orbis Reparator Chriſtus per agnum præfiguratus fuit. Abel primogenita ovium, id eſt, agnos Domino DEO jam ab origine mundi obtulit, & ipſemet quaſi agnus innocens DEO victima factus eſt. Abraham pro Filio ſuo (Geneſ. 22.13.) Iſaac agnum maſculum ſubſtituit, & DEO in gratiſſimum holocauſtum (Exod. 12. 6.) im̃olavit. Moyſes Paſchalis agni im̃olandi & comedendi ritum præſcripſit,

ſcripſit,ejusque ſanguine domorum ſuperliminaria illiniri voluit. Idem ex mandato Divino morem in Iſraël introduxit,ut quotidie ab Hebræis manè & veſpere agnus imaculatus ſupremo rerum Numini imolaretur. Iſaias & Jeremias Chriſtum in carne venturum agno manſueto aſſimilârunt: *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.* Joannes Baptiſta eundem DEI Filium, & mundi Redemptorem agnum appellare conſuevit: *Ecce, agnus DEI, ecce, qui tollit peccata mundi.* Hunc ſecutus eſt Joannes Evangeliſta, qui agnum Chriſtum identidem in ſua Apocalypſi nuncupavit. Petrus Redemptos nos eſſe aſſerit *pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus.* Hinc haud immeritò mos in Eccleſia inolevit,Chriſtum in ſpecie agni depingendi,ut in memoriam nobis ejus paſſio & actio, manſuetudo, patientia,innocentia,vita & mors reduceretur; quem Diviniſſimum Agnũ à ſanguinario lupo ad lanienam raptatum pro corpore Emblematis noſtri adumbrari curavimus,cum epigraphe ex verbis Davidis mutuatâ:

Exod. 12. 38. Iſa. 53. 7. Jerem. 11. 19. Joan. 1. 29. 1. Petr. 1. 19.

## Non eſt, qui redimat.

Ita eſt, ô chare Lector: *Non eſt, qui redimat.* De S. Franciſco Seraphico legitur,quòd agnum à lanione ad macellum ductum & precibus & pretio redemerit,conſiderabat enim hic Vir ſanctiſſimus in hoc agno Divini illius Agni innocentiam, qui orbem terrarum non ferro ſed ligno, non feriendo ſed patiendo,non mactando ſed moriendo domuit; unde quoties hoc nomen *Agnus* audivit,vel legit,mox in teneros affectus & pias lachrymas ſolutus eſt.

Pſalm. 7. 3. In vita S. Franciſc. Seraph.

Cognoſce ex hoc,anima Chriſtiana, tenerrimum Matris doloroſæ affectum,dolorem & amorem,ubi intellexit ex ſancto Joanne,Bethaniam capto JESU excurrente,dilectiſſimum Filium,ut noſtra ſolveret vincula, adinſtar latronis eſſe captum,vinculis ferreis & funibus ligatum,atque velut Agnum manſuetiſſimum à nocturnis & rabidis lupis ad lanienam, heu nimiũ cruentam raptatum: *Heu me*, exclamabat mœſtiſſima Matrum (ita eam loquentem inducit Nebridius) *heu me, quàm dies mali nuntii dies hæc. O Fili mi, tranſlata eſt gloria ab Iſraël,quia arca Domini, imò Dominus arcæ captus eſt: Vadam tamen, ſi fortè videre potero deſideratam ejus faciem, priusquam moriatur.* Dixit, ſurrexit, & eadem nocte feſtinavit in Jeruſalem, heu quo animi cum dolore & mœrore, ah quis dicet? Quoties ingeminavit illud Sponſæ: *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea.*

Nebrid. in Faſciculo Myrrh. c. 4. Cant. 3. 2.

2. Et dic, obſecro, prudens Lector, ſi adhuc in vivis fuiſſet formoſa illa Rachel, quando Joſeph filius accreſcens & unicè dilectus à perfidis fratribus, velut innocens ovicula à feris lupis cinctus, ligatus, Iſmaëlitis venditus, & in duriſſimam ſervitutem abductus eſt, quid, quæſo, Rachel Mater ad luctuoſum hoc ſenſiſſet, aut dixiſſet ſpectaculum? Et ſi inſuper audiſſet feralem illum invidorum fratrum clamorem: *Venite, occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem, dicemusque, fera peſſima devoravit eum?* An non omnia viſcera Rachelis fuiſſent comota, & cor ejus ingenti dolore, cruciatu & amaritudine repletum? Loquantur hîc Matres, quæ de materno in unicum filium amore meliùs, quàm alii poſſunt dijudicare. Umbras hactenus enarravi; plùs hîc quàm Rachel & Joſeph; de Rachel dicitur: *Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt.* O dicite, montes & valles, vineæ & prata, agri & campi, ſylvæ & dumeta, nunquid audiſtis de intempeſta nocte gemitus mœſtiſſimæ turturis, ac Dominæ veſtræ, plorantis Filium ſuum, nunc in manus peccatorum contraditum? O flebilem noctem, non computandam in noctibus anni, in qua plures ex oculis doloroſiſſimæ Matris fluxerunt lacrymæ, quàm momenta de tempore! ô nox crudelis! quomodo auſa es tantum comittere facinus?

Geneſ. 37. 20.

Matth. 2. 18.

De Urbano III. Pont. Max. referunt, quòd, ubi ex nuntio intellexit, Hieroſolymam, civitatem illam ſanctam, à Saladino eſſe captam, direptam, atque profanatam, præ dolore animi, quem ex tanta jactura & ex calamitate Chriſtianorum acceperat, Ferrariæ in itinere expirârit. Quid de te dico, dolentiſſima Virgo, ubi intellexiſti dulciſſimum ac dilectum votorum tuorum à Judæis eſſe comprehenſum, laqueis, catenisque latronis inſtar vinctum, & nunc ab omnibus Diſcipulis & amicis deſertum ad iniquiſſimos Judices in urbem raptatum? Quos, obſecro, cruciatus, mœrores & amaritudines tunc maternum COR tuum perſenſit? *O Cor omnium cordium fortiſſimum*, exclamat hîc Juſtinus Miechovienſis, *ô Cor adamantinum, quomodo diſruptum non es? Matris hujus afflictæ dolor adeò magnus erat, ut eum mens humana comprehendere non valeat; talem namque amittebat filium, qualis nunquam extitit, nec quoad corpus, nec quoad animam; erat enim DEUS & homo. Unde ſicut nunquam talis extitit Mater, nec talis Filius, ita nunquam talis viſa eſt amaritudo.* O ſi tali ac tanto dolore doleret cor meum ob offenſum DEUM, quemadmodum doluit afflictiſſimum COR Virginis in captivitate & in paſſione Filii! ô pientiſſima Domina! ô mare dolorum! rogo te per dolores & luctus tuos, per ſuſpiria & lacrymas, exora mihi peccatorum miſerrimo cor verè contritum & humiliatum, & ne ſinas me æternùm perire; ah Domina mea, num poteris ſubſcribere ſententiæ æternæ damnationis meæ? Non poteris, non poteris, nimis enim in clientes tuos miſericors es. Verùm progrediamur ulteriùs.

Platina in Vit. Pontif. fol. 211.

Juſtin. Miechov. diſc. 333. de Roſa Myſt.

3. Pro-

3. Proinde ab hac Matre doloroſa ad Filium, virum dolorum ac noviſſimum virorum, me converto. Dic, obſecro, ô mitiſſimè JESU! nunc captive, & inter manus peccatorum ad judicia & ad mortem crucis raptate, dic, inquam, ubi nunc ſunt Diſcipuli & amici tui? Sola Mater tua, ubi percepit captum eſſe JESUM à Nazareth, nocte concubiâ te ſequitur, cæteris omnibus in fugam dilapſis. Quid? Ergone nullus ſervorum te Dominum univerſorum ad tribunal comitabitur, ut iñocentiam tuam teſtetur, & defendat? Ubi nunc Thomas, qui priùs dicebat: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*? Ubi Joann. 11. 16. Petrus, qui audacter promiſit: *Tecum paratus ſum in carcerem & in mortem ire*? Luc. 22. 33. Ubi cæteri Diſcipuli, qui omnes ſub eadem fide ſe obligabant: *Similiter & omnes Diſcipuli dixerunt*, &c. O pientiſſime JESU! videris mihi, ut quondam Rex Sedecias, qui in expugnatione Urbis Solymææ, à Nabuchodonoſore armatâ manu captæ, ab omnibus militibus & ſubditis derelictus in duriſſimâ captivitatem deductus eſt, paulò pòſt ignominioſa morte extinguendus: *Omnes bellatores, qui erant cum eo, diſperſi ſunt, & reliquerunt eum.* 4. Reg. 25. 5.

Ite nunc, mundani, & ulteriùs in amicis veſtris confidite! en clariſſimum in patientiſſimo JESU prototypon, qui meritò cum afflictiſſimo Jobo dicere poterat: *Noti mei quaſi alieni receſſerunt à me.* Vide, an vel unicus Diſcipulorum priùs in domo Simonis, ubi lautè cænabatur, ab epulis defuerit? Sic ſcilicet inter patinas & inter proſpera amicus amatur, & quæritur, & in adverſis deſeritur: *Non novi hominem.* Nota hîc tibi pro reflexione morali, prudens lector, qualis & tua tunc rerum facies in agone erit: *Et relicto eo omnes fugerunt.* Ita videlicet, quamdiu ſanus es, quamdiu aliis prodeſſe potes, opibus & auctoritate polles, amicos habebis plurimos, qui latus tuum & menſam ſtipabunt: Verùm quando ultima illa appropinquabit ſcena, & pallida mors languentes claudet oculos, tunc enimvero te ſolo in agone relicto, à te fugient omnes, nec ullus etiam intimorum ac fideliſſimorum amicorum ad ſupremum illum ac juſtiſſimum Judicem te comitabitur. Heu quid tunc erit, quando *circumdabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te undique, & ad terram proſternent te, eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ*? Hæc maturè, cùm adhuc tempus eſt, conſidera, & diſce in rem tuam & ſalutem vigilare. O quàm felix tunc eris, ſi tibi nunc doloroſiſſimam Matrem propitiam feceris: *Velocior*, inquit Divus Anſelmus, *eſt nonnunquam ſalus memorato nomine MARIÆ, quam invocato nomine Domini JESU unici Filii ſui. Et id quidem non ideò fit, quòd ipſa major & potentior ſit; nec enim ipſe magnus & potens eſt per eam, ſed illa per ipſum. Quare ergo propitior ſalus in recordatione ejus, quàm Filii ſui ſæpe percipitur? Dicam quid ſentio: Filius ejus Dominus eſt, & Judex omnium, diſcernens merita ſingulorum, dum igitur ipſe à quovis ſuo nomine invocatus non ſtatim exaudit, profectò id juſtè facit: invocato autem nomine Matris, etſi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur.*

Job. 19. 13.

Luc. 19. 43.

S. Anſelm. lib. de Excell. Virg. cap. 6.

4. De Davide recenſet Regum Codex, quòd à facie Abſolonis profugus cum amicis torrentem Cedron pertranſierit, ut per montem Olivarium fugeret in deſertum, ibique ſeſe à furore rebellium ſubditorum abſconderet : 2. Reg. 15. 23. *Omnes flebant voce magnâ, & univerſus populus tranſibat : Rex quoque transgrediebatur torrentem Cedron,* Ecce inſignem typum in Chriſto Davidis Filio ſuo Cornel. hic. tempore expletum, qui Judam & Judæos, perfidos rebelles, ad tempus fugiens cum Diſcipulis ſuis, velut intimis amicis, ante paſſionem ſuam eundem torrentem Cedron pertranſivit : Joan. 18. 1. *Egreſſus eſt cum Diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Verùm ubi ab impiis ibidem captus & ligatus eſt, in eundem torrentem ignominioſe præcipitatus, & protractus fuit, ut adimpleretur illud Regii Vatis : Pſal. 109. 8. *De torrente in via bibet,* &c. Conſidera hîc, anima Chriſtiana, quomodo Rex Regum, mitiſſimus JESUS, nudo capite, revinctis poſt tergum manibus & catenâ collo impoſitâ, velut latronum coriphæus in urbem ad tribunalia rapiatur. Hic ipſius barbam, ille capitis crines vellicat ; hic fuſte, alius venabulo, ille nodoſâ & ferratâ clavâ eum pulſat, atque propellit. O quàm lugubre hoc erat ſpectaculum, videre Dominum univerſorum inter cruentas carnificum manus pecudis inſtar protractum ; & quia huc illucque trahebatur, coactus eſt ſæpiùs in terram procidere, quem pedum tunſionibus, ut ſurgeret, barbarâ crudelitate compellebant. O mitis Agnelle ! ſiccine Thren. 4. 20. *captus es in peccatis noſtris ?* Ut nos liberares à captivitate perpetua, ipſe capi voluiſti, quem nec cœli nec terra capiunt ? Ut vincula delictorum noſtrorum diſſolveres, ipſe vinculis oneratus, & funibus conſtrictus es ? Judic. 9. 16. Sic videlicet luit Dominus, quod Adam ſervus nequam peccavit, dum manus ad exitiale pomum extendit ? Samſon à Dalila ligatus ſine mora omnia vincula diſrupit ; & quare, ô dulcis JESU, non ſimiliter feciſti ? Ah ſcio, quid manus tuas tenuerit : Amor hæc fecit, amor ligavit, amor in mortem te tradidit amoris victimam. O infinita, ô im̃enſa Bonitas ! excedens omnem bonitatem, ut me liberares à damnationis vinculis, ipſe ea ſubire & pati non recuſâſti ; ah mi Domine ! quouſque te pro ſalute animæ meæ demiſiſti ? Et quid ego pro te ? Quando aliquando amabo te ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus, & ex omnium viſcerum latitudine ?

5. Et quid interim doloroſiſſima Mater ! altum hîc eſt Evangeliſtarũ ſilentium ; ſed quod illi præ amoris & affectûs teneritudine, mentiſque compaſſione ſubticuêre, pia ſanctarum mentium meditatio revelavit ; proinde rectè memoratus Juſtinus Miechovienſis : Juſtinus Miechovienſ. loc. cit. *Dum Filius*, inquit, *Cedron, pertranſibat, anima ejus ingentem dolorum torrentem pertranſiit. Filio dolente, triſtante, pavente, mœrente, orante, ipſam quoque dolentem, triſtantem, paventem, mœrentem, orantem fuiſſe, minimè dubium eſt. Summa fuit inter Chriſtum & MARIAM ſympathia naturarum, complexionum, morum, propen-*

*penſionum, ac voluntatum conjunctio: conſequenter eximia quædam gaudiorum ac dolorum communicatio*, &c. O quoties hæc dolentiſſima Virgo in illo luctuoſo itinere, dum urbem de nocte petebat in cœlum ingemuit: Ah Fili mi JESU, quis det, ut moriar pro te? O mitis ovicula, quam in utero meo portavi, ſinu fovi, lacte enutrivi, ſollicitè educavi, ergo ſine Matre ibis ad victimam? Sine comite ad lanienam? Sine me ad occiſionem? Vivit Dominus meus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine & Fili mi, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit & Mater tua; præſens ero, ubicunque fueris. Ah Pater æterne! itane placitum fuit ante te, ut proprio Filio non parceres, ſed pro omnibus illum traderes? Ah ad quid parcis Matri ejus, cùm ſit COR unum & Matris & Filii? O dilecte votorum meorum, quò abiiſti? ô lumen oculorum meorum, ô gaudium meum, ô corona mea, ô dulcedo mea, quò declinâſti? ah fluite lacrymæ: *Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas; quia longè factus eſt à me Conſolator.* JESU Fili mi, ubi te inveniam, quia renuit conſolari anima mea, niſi in te DEUS meus, &c. Hæc & ſimilia ſecum mente volvens & digerens venit in urbem, quam videre facilè poterat univerſam eſſe comotam. Juvat hîc audire piiſſimum Ludolphum de Saxonia: *Cùm enim per omnes plateas Jeruſalem diceretur, quod Dominus JESUS captus eſſet: Percipiens hos rumores terribiles doloroſa Mater ejus (quæ tamen, cùm primò caperetur, hoc in ſpiritu cognoverat) ducta eſt ad eum inæſtimabili lamento, & venit ad videndum Filium ſuum dilectum, plorans inceſſanter per civitatem Jeruſalem, & dicens: ubi es dulciſſime Fili? ubi te inveniam?*

2. Reg. 15. 21.

Thren. 1. 16.

Ludolph. in Vita Chriſt. part. 2. cap. 61.

6. Interim ſiſtitur mitiſſimus JESUS coram Anna, ad quem ideo prout obſervat Cornelius à Lapide) à Juda traditore primò ductus eſt, ut promiſſum venditionis Chriſti pretium ab eo reciperet, quia hactenus triginta illos argenteos nondum acceperat, hoc enim indicant illa verba: *At illi conſtituerunt ei triginta argenteos*: & in alio loco: *Promiſerunt ei pecuniam ſe daturos*, quos denarios in aula Annæ peracto tam nefario facinore recepit. Verùm quid audio, ô bone JESU? *Unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam JESU!* O cœli obſtupeſcite! Supra quod rectè S. Chryſoſtomus: *Quid hoc impudentius*, inquit, *exhorreſcat cœlum, contremiſcat terra de Chriſti patientia & ſervorum impudentia. Alapis DEUS percuti potuit? O Angeli, qui hæc intuemini, quomodo ſiletis? Quomodo manus continere poteſtis? Quomodo pro Domino veſtro non reſpondetis? An hoc ita facitis, quòd attonitos vos teneat tanta inſolentia & tanta manſuetudo, tanta perverſitas, & tanta patientia?*

Matth. 26. 15.

Marc. 14. 11.

Joann. 18. 22.

S. Chryſoſt. Hom. 81. in Joan.

Cæterùm obſervat in hac alapa S. Vincentius Ferrerius, quòd Dominum cœlorum in terram proſtraverit, armata enim manus erat, cujus ſtigmata adhuc hodie in velo S. Veronicæ, quod Romæ magnâ religione aſſervatur,

S. Vincent. Ferr. apud Salm. Tom. 10. tr. 20.

tur, ſunt conſpicua; & veriſimile eſt, quod ex tam immani alapa ſanguis per os & nares profluxerit, licèt id ſacri Scriptores non exprimant; imò & dentes Chriſto Domino per hanc immitiſſimam colaphizationem fuiſſe excuſſos, multi apud Mancinum tradunt, unde Jeremias in perſona Chriſti ait: *Fregit inimicus ad numerum dentes meos*, &c.

Mancin. de paſſ. D. fol. 506.

Threnor. 3. 16.

O mœſtiſſima Matrum, O afflictiſſima Virginum! num etiam hanc cruentam audiſti, vel ſpectâſti alapam, Diviniſſimo Filio tuo à diaboli miniſtro impactam? Ita, ſubintrat hîc S. Joannes Chryſoſtomus: *Porro eandem DEI Matrem in domo Annæ interfuiſſe iniquo judicio, & ejus cor crudeliter fuiſſe percuſſum ab alapa, quam unus aſſiſtens miniſtrorum ori Divino impegit*, &c. O peccator, dum graviter delinquis, quid aliud facis, quàm ut Chriſto de novo ſimilem alapam impingas? Ah ſiſte aliquando. Parce & doloroſæ Matri ejus, in quo enim te offendit hæc benigniſſima Virgo? An quia Salvatorem mundi peperit, & unà cum illo pro tua ſalute in victimam ſe obtulit? Audi Taulerum ita hanc deſolatiſſimam Deiparam alloquentem: *Sicut*, inquit, *ad Filii DEI generationem te obtuliſti, ita & ad mortem & paſſionem te reſignâſti*, &c. Proinde omni amore & veneratione digniſſima eſt. O Mater dolorum, O triſtiſſima Noëmi! quàm benè de te dictum fuit: *Ne vocetis me Noëmi, id eſt, pulchram, ſed vocate me Mara, id eſt, amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens*: Impetra, obſecro, mihi clientum ac ſervorum tuorum infimo, & omnibus, qui dolorum afflictiſſima CORDIS tui meminerint, in ſupremo illo vitæ agone, ex quo pendet æternitas, cor verè contritum, ut amore DEI & tui liqueſiat anima noſtra, atque miſericordias DEI & tuas in æternum poſſimus decantare, &c.

S. Jo. Chryſ. apud Mancin. de paſſ. fol. 406.

Tauler. de paſſ. D. cap. 18.

Ruth. 1. 20.

CON-

# CONSIDERATIO XXVIII.

B. Virgo omnes cruciatus, & opprobria, quos de nocte perpeſſus eſt Filius; velut præſens animo intuebatur.




Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.
*Pſal.* 68. 10.

1. INgens fuit amor ille, quo Sponſa quondam in ſuum ferebatur Dilectum, dum illum perditum inter varia pericula etiam de nocte intempeſta quærere non deſtitit: *Quæſivi*, inquit ipſa, *& non inveni illum: Vocavi, & non reſpondit mihi: Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem; percuſſerunt me, & vulneraverunt me: Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* En pulcherrimum typum in B. Virgine, Sponſa & Matre Chriſti JESU adimpletum, dum de nocte per vicos & plateas civi- Cant 5. 6

civitatis Solymææ non ceſſavit dilectum animæ ſuæ Sponſum & Filium inquirere, & licet corporaliter percuſſa, aut vulnerata non ſit ab urbis cuſtodibus, cum Filio tamen vulnerato, contempto, & opprobriis repleto & ipſa in anima vulnerata contempta & opprobriis repleta fuit. Ita in hunc Scripturæ locum Guilielmus Abbas: *Eo ipſo*, inquit in perſona doloroſæ Matris, *quò famam Dilecti mei gladio linguæ ſuæ tam crudeliter laniinaverunt, maternum in me affectum inflictis dolorum vulneribus conſauciârunt. Præterea, quod potuere, exſpoliaverunt me ſtolâ gloriæ meæ, pallio laudis, quo operiabar, cùm diceretur: Beatus venter, qui Magiſtrum bonum portavit, & ubera, quæ ſugere dignatus eſt: Hâc gloriâ me nudantes, quantùm potuerunt, induerunt me diploide confuſionis; infamando me tanquam Matrem peſtilentiſſimi ſeductoris: Sed evaſi horum omnium manus, nec Filius meus paſſus eſt ampliùs eos in me ſævire.* Juvat etiam hìc audire S. Bernhardinum Senenſem: *B. Virgo*, ait, *concito greſſu, plorantibus cunctis, Hieroſolymam adit, Cùm obviaret cuſtodibus, dicunt ei: Quid ploras mulier? Quid quæris? Reſpondet: Num, quem diligit anima mea, vidiſtis? At illi: Qualis eſt Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Et illa: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus Et illi: An fortè Filius tuus eſt ille, qui hac nocte tanquam malefactor & latro ductus eſt ad domum Caiphæ Pontificis, ligatus & verberatus, & tam atrociter laceratus?* ô fatale, ô crudele nuntium! ô mi JESU! ô MARIA! quis omnes hujus noctis infelicis pœnas, cruciatus, dolores, & opprobria, quæ pro ſalute noſtra patientiſſimo animo ſuſtinuiſtis, calamo poterit exprimere, linguâ effari, aut mente complecti?

Guilielem. Abb. in hunc loc. Cant.

S. Bernhardin. Senenſ. Tom. 1. Sermon. 55. art. 2. cap. 2.

*Quis cladem illius noctis, quis funera fando*
*Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolorem?*

2. Videtur mihi hæc mœſtiſſima Virginum ut Tulipa flos ad præſentis ſolis radios ſe quidem pandens, ſed ubi umbra vel nubes eosdem ſolis radios interceperit, ſine mora contractis foliis dolet, langueſcit, & clauditur; unde Lemma: *Mæror pro ſole relictus.* Vel ſi magis arridet:

## Langueſcit in umbra.

Heu quis dicet, quo mœrore ſanctiſſimum Virginis pectus fuerit cumulatum, ubi myſticum Juſtitiæ Solem in mortis occaſum vergentem conſpicata, & contemplata eſt? Et nunquid jure merito illud Davidis uſurpare poterat: *Ex omni parte me anguſtiæ premunt*: Audi & B. Amedeum; *Ineffabili*, inquit, *dolore glorioſa Virginis pectus urebatur, & altiſſimo pietatis jaculo confoſſum, extremas ſpirabat inter anguſtias; ibi mæror, ibi dolor, ibi agonia, ibi æſtus animi, ibi incendia, ibi mors morte durior, ubi vita non tollitur, & mortis anguſtia toleratur.*

1. Paral. 21. 11.

B. Amed. Homil. 5.

Au-

Augebat autem hujus Sacratiſſimæ CORDIS MARIÆ dolores inſolita Hebræorum in Chriſto JESU torquendo & affligendo lætitia: *Exultabant enim in rebus peſſimis.* Hinc major accreſcebat Matris ab omnibus deſertæ mæſtitia, dum præ omnibus aliis tam indignè patientis Filii dignitatem, ejusque ſummam agnoverat innocentiam; ô quàm crudele *ferrum* tunc *pertranſiit animam ejus!* Affligebat eam inſuper materna illa cura, cui à Patre æterno Filius tantoperè dilectus per triginta annos & ampliùs in cuſtodiam conſignatus eſt, dum nunc illum captivum, & inter tot tormenta & opprobria conſtitutum vidit paulò poſt inter infames latrones in funeſto ligno ſuſpendendum. Accedit, quòd perſonæ nobili & honoratæ longè major accreſcat injuria, ſi ab infami & infimâ plebe, imò hominum fæce impetatur injuriis, ſaturetur opprobriis, & proculcetur pedibus; quis autem nobilior Chriſto & Sacratiſſima Matre ejus? *Conſiderans*, inquit S. Antoninus, *tantam confuſionem publicandam per orbem, non poterat non ſummè dolere*, Mater enim erat, & quidem talis Filii. O anima Chriſtiana, compatere ex animo huic dolentiſſimæ Matri tuæ, tibique indignare, quia cauſa es omnium illorum cruciatuum, quos JESUS & MARIA pro tua ſalute perpeſſi ſunt, dole, ignoſce, & emenda.

Prov. 2. 14.

Pſalm. 104. 18.

S. Antonin. p. 9. tit. 15. c. 41. §. 21.

3. Interim mitiſſimus JESUS ſiſtitur captivus coram Caipha Sacerdotum Principe, apud quem ſynedrium, ſeu Concilium magnum Scribarum & Seniorum convenerat, examinatur ab illo publicè, & quia Filium DEI ſe profitebatur, reus mortis ab omnibus declaratus eſt: *Tunc exſpuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt.* Vide hic, & conſidera, anime mi, dignitatem perſonæ, graviſſimum contumeliæ genus: *Horreto*, inquit Euthymius, *cœlum & terra, univerſaque creatura, in quam faciem intulerunt injuriam?* Ah in quam faciem? *Conſpuerunt*, ait S. Ephrem, *perditiſſimi illi immaculatiſſimam faciem ejus, ad cujus aſpectum omnes cœlorum Poteſtates, Angelorumque Ordines contremiſcunt.*

Matth. 26. 67.

Ethym. hic.

S. Euphrem. Tom. 3. de Paſſ.

Ita quondam Samſon, cùm à Philiſtæis captivus in vinculis teneretur, ab infima hominum fæce illuſus, ſputis fœdatus, & tanquam jumentum tractatus eſt: *Quem, cùm apprehendiſſent Philiſtiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis*, &c. Ita Job ulceribus ac opprobriis ſaturatus, in ſterquilinio ſedens à Satana & peſſima uxore fœdiſſimis ſputis conſpurcatus eſt: *Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Verùm plùs hic quàm Samſon & Job: Penſa & repenſa, anima Chriſtiana, quidquid poteris penſare, & excogitare injuriarum, plùs tamen paſſus eſt Chriſtus, quia pro omnibus paſſus eſt, & quidem illâ nocte luctuoſâ tam turpia, tam obſcœna, tam nefanda, quæ ob turpitudinem Evangeliſtæ, teſte S. Hieronymo, noluerunt, nec potuerunt verbis exprimere.

Judic. 16. 21.

Job. 30. 10.

S. Hier. in c. 26. Matth.



Digitized by Google

Deut. 25. 9. — Luc. 22. 63.

Vir ille Iſraëlita, ſi relictam defuncti fratris ſui viduam ad ſuſcitandam ſobolem ducere recuſavit, fœdiſſimis illius mulierculæ ſputis & perpetuâ ignominiâ inter omnes tribus Iſrael notatus fuit: *Accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, ſpuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* O pientiſſime JESU! agnoſco ex hac umbra lucem & ex figurante figuratum; quia peſſimam & ingratiſſimam Synagogam in Sponſam tibi eligere recuſâſti, atque in illius locum gentilitatem tibi deſponsâſti, ideo hæc peſſima vidua (Synagoga) Divinam faciem tuam tot turpiſſimis ſputis fœdare non abhorruit: *Illudebant ei cædentes, & velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, &c.*

1. Petr. 1. 12. — Luc. 10. 24. — Revel. S. Birg. lib. 6. cap. 1. — Ludovic. Carthuſ. in Hiſtor. vitæ Chriſt.

Siſte gradum hìc, quiſquis es homo Chriſtiane! en illa facies à fœtentibus lurconibus conſpuitur, *in quam deſiderant Angeli proſpicere*; illa facies, *quam multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt*; illa facies, quæ omnes mœſtos, imò & inimicos mirè conſolabitur: *Filius meus*, ſunt verba Sacratiſſimæ Deiparæ ad B. Birgittam, *tanta pulchritudine præditus erat, ut quicunque eum inſpiceret, conſolaretur in dolore cordis, quem habebat: Ideo & multi Judæi dicebant ad invicem: Eamus ad Filium MARIÆ, ut conſolari poſſimus, &c.* Hæc, inquam, Diviniſſima facies ſordidiſſimis ſputis & opprobriis repleta eſt; ô cœli obſtupeſcite! ô peccator quid agis? An non pari ſputorum fœtore faciem Chriſti inhonoras, dum peccas? Quid enim aliud agit blaſphemus, perjurus, turpiloquus, impurus, detractor, ſuſurro, adulator & vanus jactator ſui, quàm quòd de novo excrementa oris & cordis ſui in Chriſti faciem conjiciat? Ah anime mi, *compatere Chriſto*, ſubintrat hìc devotiſſimus Ludovicus Carthuſianus, *quia pro te omnia ſuſtinet, jugiterque lacrymas fundens, ſpecioſiſſimam faciem ejus, quam illi impudenter ſuis illiniunt ſputis, tu reverenter tuis lava lacrymis.*

Mancin. de Paſſ. Dom. fol 406. — Taul. Exercit. de vita Chr. cap. 19.

4. Quæres hìc, pie Lector, an etiam doloroſa Mater in aula Caiphæ tunc præſens fuerit? Audi Mancinum pro ſententia affirmativa auctoritatem Seraphici Doctoris allegantem: *Addit*, inquit, *S. Bonaventura in ſuis meditationibus & vita Chriſti, fuiſſe Deiparam in aula quoque Pontificis ſimul cum Joanne, & execrandas Petri negationes, crudeles ſatellitum irriſiones, aliaque omnia inaudita, & inviſa antea immanitatis argumenta audiviſſe, & ſpectaſſe.* Alii exiſtimant, Sacratiſſimam Deiparam, quia Spiritu Sancto plena fuit, & plùs quàm omnes Prophetæ ab eo illuminata, omnes has injurias, dolores & cruciatus, quos dilectiſſimus Filius hàc mœſtiſſimâ nocte in aula Caiphæ perpeſſus eſt, velut præſens in animo & ſpiritu vidiſſe; ita Joannes Taulerus: *Cujus cor*, inquit, *cogitare poſſit, quantam perpeſſa ſit crucem & afflictionem nocte illâ turpiſſimâ, quâ dilectus Filius ejus manibus eſt traditus hominum impiorum, & à propriis relictus Diſcipulis? Satis quidem credibile eſt, eam (quoniam plena erat Spiritus Sancto) vidiſſe in ſpiritu omnem*

*dolo-*

Digitized by Google

***dolorem & cruciatum*, *quem unicus ejus nocte illa horribili expertus eſt.*** Et quid dico? Si quondam DEUS fideli ſervo & amico ſuo Abrahamo ſecretum cordis ſui celare non potuit: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Gen. 18. 17. Si Prophetæ clariſſime de Chriſti Paſſione & injuriis, illâ infauſtâ nocte Redemptori noſtro illatis, à Spiritu ſuperiore illuminati ſcripſerunt: *Corpus meum*, ait Iſaias, *dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: Faciem meam non averti ab increpantibus & conſpuentibus in me, &c.* Iſa. 50. 6. Quid, quæſo, ſentiendum & dicendum de Sacratiſſima & doloroſiſſima Virgine MARIA, quæ plùs quam Prophetiſſa, imò & Mater Filii DEI fuit? *Sicut electa eras à DEO*, ſubintrat hìc iterum Taulerus, *ut in generatione humani generis redemptioni cooperaretur: Ita nihilo minùs & in paſſione huic eam voluit cooperari; ut quemadmodum parens nobis fuit generans nobis Salvatorem, ita & liberatrix eſſet, portans intrinſecus paſſionis crucem cum Filio ſuo, & doloris ſentiens gladium peracutum.* Tauler. de Paſſ. Dom. cap. 18. O dira nox, quàm crudelis fuiſti mitiſſimo JESU & Sacratiſſimæ Matri ejus? *Factus ſum*, ait ipſe apud Davidem, *ſicut nycticorax in domicilio*; Pſal. 107. 7. ſicut enim hæc avis, cùm in lucem prodit, omnibus aliis volucribus ludibrium & opprobrium eſſe ſolet, quam roſtro vellicant, mordent, deplumant, conſpuunt, & dilacerant; ita Chriſtus Virginis Filius nocte illâ factus eſt *opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis*, ac *noviſſimus virorum*, Pſal. 122. 4. Iſa. 53. 3. qui in domo Caiphæ in abjecto angulo & antro tenebroſo, ad quod omnes domûs ſordes & fœtores purgamentorum congerebantur, perditiſſimis hominibus velut ſcopus omnium factus eſt ignominiarum. O nox, quàm amara, quàm longa fuiſti doloroſiſſimæ Matri, cum tot vituperia, maledicentias ac blaſphemias contra dulciſſimum ſuum Natum jactata percepit, *Si Judæi*, ait ſupra memoratus Joannes Taulerus, *illi ſimulatores & hypocritæ, auditâ blaſphemia veſtes ſuas conſciderunt, tanquam in doloris argumentum, quomodo ſciſſum eſt præ dolore piiſſimum Cor tuum o MARIA, cùm omnes illas execrabiles atque horrendas adverſus Filium tuum blaſphemias, injurias, atque contemptum jaculari, & conſpiceres, & audires? Sic enim Dominus ait: Scindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra: Et quidem hac ipſa die ſinceriſſimum Cor tuum non ſemel, ſed plus centies ſciſſum eſt.* Joan. Tauler. cap. 44. Joel. 2. 13.

Cogitent hanc triſtiſſimam noctem ægroti, contempti, deſerti, vulnerati, incarcerati & afflicti omnes; habent hìc, quomodo ad patientiam ſeſe diſponant. Cogitent & delicatuli ac mollicelli, qui in ſtratis eburneis laſciviunt, de quibus Huſſæus Princeps: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Job. 21. 13. Cogitent & helluones ac lurcones omnes, qui ludendo, ſaltando, compotando, jocando & ne dicam, quid aliud agendo noctes conſumunt integras, &c. O qualis tunc erit rerum facies, quando veniet nox illa ſuprema; in qua non ampliùs pro animæ ſolute licebit



Digitized by Google

Joan.9. 4. operari: *Venit nox, quando nemo poteſt operari?* Ah quid erit, quando fata-
Matth.22. 13. lis illa à diſtrictiſſimo Judice feretur ſententia: *Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium?* Ah quid erit?

5. Dum hæc agebantur, nocte jam adultâ concilium malignantium diſſolvitur, & JESUS reus mortis judicatus teterrimo caceri mancipatur. Ita quondam Jeremias Propheta ob prædicatam veritatem ſqualLidum ac
Jerem.38. 6 limoſum carcerem conjectus eſt: *Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melechiæ filii Amelech, qui erat in veſtibulo carceris, & ſubmiſerunt Jeremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, ſed lutum: Deſcendit itaque Jeremias in cænum.* Ita Joſeph à perfidis Fratribus, donec Iſmaclitis venundaretur, in carcerem, ſeu in ciſternam veterem abſtruſus fuit: *Nudaverunt eum*
Gen. 37. 23. Dan. 6. 16. *tunicâ talari & polymita, miſeruntque eum in ciſternam veterem.* Ita Daniel in
Actor. 10.38. lacum leonum miſſus eſt: *Tunc præcepit Rex, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum.* O pientiſſime JESU, qui pertranſiiſti benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, cœcos illuminando, claudos erigendo, ægros ſanando, mortuos reſuſcitando, &c. Et pro his,
Pſalm. 87.19. aliisque benefactis innumeris quid mercedis & gratiarum recepiſti? *Traditus ſum*, inquis ipſe apud Pſaltem Regium, id eſt, incarcerem teterrimum, ſqualLidum, limoſum ac ſubterraneum *& non egrediebar*, licet facilè tenentium & ligantium manus potuiſſem evadere: *Oculi mei languerunt præ inopia*, hoc eſt, attenuati, & defatigati ſunt ob lacrymas & ſanguinem decurrentem, quas ſtillas vehementia paſſionis, Judæ ac Petri lapſus, Judæorum ingratitudo & omnium hominum ſcelera funeſtiſſimâ illâ nocte mihi excu-
Pſal. 87.7. tiebant: *Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebris & in umbra mortis*, in quo tetro ergaſtulo ad columnam lapideam vinctis poſt terga manibus, annulo ferreo ac catenâ oneroſâ in collo adſtrictus per reliquam noctis partem non habuit, unde laſſum, colaphis contuſum, & mille livoribus deformatum
Mallon. de S.Sind. apud me fol. 66. caput reclinaret: *Poſtquam Caiphas*, inquit Mallonius, *in cathedra peſtilentiæ ſedens cum conſilio malignantium impiam illam in Chriſti Caput ſententiam protuliſſet, dicens: Reus eſt mortis, Chriſtum impiis Miniſtris tradidit, caute, uſque dum illuceſceret, cuſtodiendum, graviſſimiſque ignominiis afficiendum, præcipiens eis, ut illum tutò cuſtodirent, protinus turba ſatellitum Chriſtum in teterrimum carcerem in ejuſdem palatio exiſtentem, cujus adhuc dicuntur extare veſtigia, conjiciunt, ibi ad lapideam columnam vinctis poſt terga manibus ligant, pugnis, calcibus, colaphis, alapis, loris, flagellis contundunt, lacerant, ſuamque in eum rabiem effundunt, adeoque crudeliter tractant, ut proximum morti vix non vitâ privârint. &c.*

O anime mi! ſi canis tuus, quem amas, ita indignè ac crudeliter fuiſſet tractatus, colaphizatus, percuſſus, & in fœdiſſimum carcerem compactus, ali-

aliquâ ſaltem commiſeratione erga illum tangereris. Et ecce hæc ac tanta, imò & longè graviora pro te paſſus eſt Unigenitus DEI & MARIÆ Filius, Pater tuus amantiſſimus, benefactorum maximus, & quidem amore & causâ tui; & tu ingrate ne quidem aliqua commiſeratione & compaſſionis affectu erga DEUM tuum tangeris? O ſi ſenſum haberes, cum S. Franciſco foras prodires, & omnia ejulatu ac ſuſpiriis compleres, quòd Dominus ac DEUS tuus tanta ac tam indigna pro te paſſus eſt, quæ primùm ſuprema illa judicii dies proferet in apricum. O nox, ô nox, quàm amara eſt memoria tua animæ verè DEUM ſuum amanti? Et quid interim per illam luctuoſiſſimam noctem dolentiſſima Mater? Juvat hìc audire devotiſſimum Bloſium, ita hanc afflictiſſimamDeiparam alloquentem: *O MARIA mæſtiſſima Mater! quàm acerba, quam triſtis nox iſta tibi fuit! ut gladius Simeonis ſævit in Corde tuo! quis cogitare queat, quàm ignita verba, quàm fervidas amoris ſcintillas totâ illâ nocte (velut è fornace) ardentiſſimum Cor tuum emiſerit? Forſitan enim hoc, ſimilive modo dicebas: O JESU Fili mi, Fili mi dulciſſime JESU! quis te mihi eripuit? Quis Matrem à tam charo ſeparavit pignore? Ut quid non video te lumen deſiderabile oculorum meorum? Quis det mihi JESU unicum Cordis mei ſolamen! Cur non tecum ivi ad mortem? Cur non confeſtim te ſecuta ſum abeuntem? O dulcis JESU! bone Fili, ubinam hodie pernoctas? In cujus es manibus? Quid modò pateris? ô ſi furentes Judæi ſuam in me crudelitatem evomere vellent! multò mihi dulciùs eſſet mori, quam in tantis anguſtiis videre te, &c.*

Bloſius Margarith. Spir p. 3. cap. 6.

O anima Chriſtiana, quid nunc reſtat? Audi conſilium meum. Olim in extremo Judicii die ingratis peccatoribus objiciet DEUS & Homo Chriſtus, nunc ut Judex univerſorum à Patre conſtitutus: *Infirmus eram & in carcere, & non viſitâſtis me*; Viſitemus ergo nunc ſæpiùs hunc infirmum & incarceratum JESUM, ac Sacratiſſimam Matrem ejus, tota nocte lamentis & lacrymis vacantem, ut mereamur audire:

Matth. 25. 41.

*Venite Benedicti*, &c.

CON-

# CONSIDERATIO XXIX.

## Doloroſa Mater coram intuetur miſerabilem dulciſſimi Filii ſui flagellationem.




Pro peccatis ſuæ Gentis, vidit JESUM in tormentis & flagellis ſubditum. *Eccleſ. in Hym.*

1. QUid muſica in luctu? An non inopportuna narratio? Et tamen David, cùm in ſummo luctu & vitæ periculo verſaretur, muſicam adhibuit: *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cithara, cantabo, & Pſalmum dicam.* (Pſalm. 56. 11.) Ad quid, obſecro, cithara ad cruentum bellum? Erat tum temporis intervallo, quo hunc Pſalmum compoſuit David in ſpecu Enggadiano, urgebant eum foris pugnæ, intus timores, nam Saul hoſtis infenſiſſimus cum ſuo exercitu eandem obſederat ſpeluncam, ut Davidem reg-

regni ſui æmulum armata manu comprehenſum perderet, & nihiloſecius David in tanto rerum diſcrimine citharam ſuam apprehendit, ludit, ac cantat; *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & cithara, cantabo, & pſalmum dicam?* O mi David! non eſt tempus modò citharizandi & pſallendi, quinimò apprehende arma & ſcutum, & ad defenſionem tuam reſpice: *Muſica enim in luctu inopportuna narratio.* Eccl. 22. 6

Obſerva hic, prudens Lector, rectè Davidem in hoc præſentiſſimo vitæ ſuæ periculo ad citharam ſuam confugiſſe, per illam enim, teſte S. Auguſtino, Chriſtus Dominus Filius David pro nobis patiens, flagellatus & crucifixus adumbratus eſt, proinde hæc myſtica cithara, quam tunc in Spiritu Prophetico David prævideraт, meritò illi etiam in rebus afflictiſſimis unico ſolamini fuit: *Caro humana patiens*, ait memoratus Antiſtes Hipponenſis, *cithara eſt; ſonat cithara, eſuriat, ſitiat, dormiat, tenetur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, ſepeliatur*, &c. O luctuoſa cithara! quàm flebilem ſonum dediſti, dum cruentis impiiſſimorum militum manibus toties in paſſione, ac præſertim in flagellatione, inſpectante afflictiſſima Matre, pulſata es; ô quàm benè mœſtiſſima Virgo tunc dicere poterat: *Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium!* Audi naturæ Sympatheticæ prodigium. S. Auguſt. in Pſalm. 56. Job. 30. 31.

2. Admodum R.P. Athanaſius Kircherus. S.J. vir in omni ſcientiarum genere excultiſſimus, in arte magnetica, magnetiſmo & muſica recenſet, quòd, cùm aliquando Moguntiæ in Collegio Societatis JESU verſaretur, in oratorio illius Collegii chelyn majorem ad parietem appenſam probaverit, atque invenerit ad contactum organi ita argutè reſonâſſe, atque conſonâſſe, ac ſi perita manu & plectro raderetur, cauſa erat, quia chordæ illius chelys æqualiter cum fiſtulis organi erant attemperatæ.

De duabus citharis, ſi quibus æqualiter intenſis inſtructæ ſunt, & in aliquo cubiculo è diametro ſibi opponantur, refert S. Gregorius Magnus, quòd, ſi una ſola earum peritâ citharœdi manu pulſetur, altera quoque licet non tacta eadem ſuavi harmonia eoſdem ſonos & cantus referre ſoleat. Naturæ hoc eſt ſympatheticæ ſingulare prodigium, proinde mea quidem opinione haud incongruè ejuſmodi duabus citharis pro epigrapha inſcribes: *Reſonat & altera.* Vel potiùs & rectiùs: S. Gregor. M. in princip. lib. Moral.

## Unam tetigiſſe ſat eſt.

Ita eſt, ô mi Lector! CHRISTUS, inquit doctiſſimus Fineti, & MARIA erant duæ citharæ myſticæ, quarum unâ ſonante, reſonat altera, nullo etiam pulſante; JESU dolente, dolet & MARIA, JESU flagellato, flagellatur & Mater, JESU crucifixo, crucifigitur & Mater, hic in corpore, illa in mente: *Quot læſiones*, ait D. Hieronymus, *in corpore Filii, tot vulnera in Corde Matris; nullum illum recipiebat corpus, cui non triſtis echo reſponderet* Fineti Italus in Rifleſſi di Spir. S. Hier. de Aſſumpt. B. V.

*Mater Doloroſa.* Cc in

S. Anſelm. de Compaſſ. B. V. *in Corde Matris, &c.* O dulciſſimum COR Virginis! quomodo capax fuiſti unam in cruentiſſima flagellatione ſufferre legionem plagarum? *O Domina*, ſubintrat hic S. Anſelmus, *quos fontes lacrymarum dicam erupiſſe de pudiciſſimis oculis tuis, cùm attenderes unicum Filium tuum innocentem coram te ligari, flagellari, & carnem de carne tua ab impiis ita crudeliter diſſecari?*

3. Erat autem flagellatio apud Romanos valdè infamis, utpote viliſſimis mancipiis ac peſſimis latronibus, tum ad extorquendam veritatem, tum etiam ad condignè eos puniendos à Senatu deſtinata; hinc ſcelus erat flagellare civem Romanum, quia omnes nobiles & ingenui reputabantur, proinde D. Paulus Apoſtolus, natus Tarſenſis ſed civis Romanus, cùm Hieroſolymis in arce Antoniana, ubi præſidium Romanum erat, à Tribuno juberetur flagellari, & torqueri, ad columnam loris alligatus exclamavit: *Si hominem Romanum & incondemnatum licet vobis flagellare?* Actor. 22. 25.

O bone JESU! quis unquam mortalium te nobilior fuit? Quare ergo tantum dedecus, ignominiam & pœnam per publicam ac tam cruentam flagellationem ſubire dignatus es? Cur non adinſtar Samſonis funes & catenas, quibus ad columnam alligatus es, dirupiſti? Judic. 15. 14. Si quis miles in caſtris, quia fortè transfuga extitit, aut aliud patravit delictum, virgicidio adjudicatur, ut unâ, vel alterâ vice ferulas cohortis ſuſtinere cogatur, ô quanto metu percellitur miſer! quantùm vociferatur, quantùm ejulat, dum à tot virgis & plagis illi tergum rubet! nullus hic videtur comilito, qui illius loco ad hoc ſe offerret ſupplicium perferendum. Umbras enarro, anima Chriſtiana, plùs pro te mitiſſimus Servator tuus in hac diriſſima flagellatione ſuſtinuit, ictus numero ſexies mille, ſexcentos ſexaginta ſex, ô numerum horrendum! nunquam hactenus auditum! in quo cruciatu haud dubiè expiràſſet JESUS, niſi divinitus ad crucem uſque fuiſſet ſervatus: *Sacroſanctum & virgineum Corpus*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *ita crudeliter in hac flagellorum tortura laniatum, ut oſſa etiam in variis membris nudata carne & pelle apparuerint.* S. Laurent. Juſtin. de agone Chr. cap. 14. O lanienam! vel in viliſſima beſtia, nedum in DEI & MARIÆ Filio miſerandam!

Vide hic, & conſidera, anime mi, cum doloroſiſſima Matre: quàm doloroſis virgarum, flagellorum, ſcuticarum, & catenarum plectris hæc myſtica cithara (innocentiſſima caro Chriſti) fuerit pulſata, & ſi quondam ab armorum ſonitu, teſte Virgilio, *ingemuère cavæ, ſonitumque dedêre caverna*, multò magis triſtis echo reſonabat in tenerrimo CORDE Virginis; Virg. 2. Æneid. ô quàm inenarrabili mentis cruciatu, & lacrymantibus oculis aſpexit, & contemplata eſt dulciſſimum & unigenitum ſuum Natum, CORDIS ſui unicum ſolamen, ad columnam marmoream ignominioſiſſimè, ſicut natus erat, nudatum, loris alligatum, petulantiſſima militum cohorte cinctum, & nunc quidem ſpecioſum forma præ filiis hominum, ſed mox velut agnum mitiſſimum

Digitized by Google

mum ab ululantibus lupis diſcerpendum. Interim vidit accedere quatuor apparitores robuſtiſſimos, qui manu validiſſima flagellis uncis ferreis horridis tenerrimum Corpus JESU diſcruciabant, & his laſſatis, mox novi, novique ſuccedebant, mutatis torturæ inſtrumentis. Eheu quantùm contremuêre nunc pia viſcera Matris! nihil in hoc foro audiebatur niſi virgarum ſonitus, flagellorum ictus, catenarum ſtrepitus, blaſphemiæ circumſtantium, riſus omnium. Interim madebat totum pavimentum purpureo & Diviniſſimo Sanguine JESU, quem, canes illi pedibus proculcabant. Ah quantus erat dolor afflictiſſimo JESU intueri coràm dolentiſſimam Matrem ſuam; & licet Corpus illius ex hac carnificina ineffabiles ſenſerit cruciatus, in animo tamen longè vehementiùs diſcruciabatur ex præſentia Matris, quam Pater voluit eſſe præſentem, ut Martyrum palmas omni jure mereretur, & ut repararet, quod Eva quondam deſtruxit; oportet hìc audire ipſa verba doloroſiſſimæ Matris: *Reſumpto ſpiritu*, ait ad Birgittam, *vidi Corpus ejus verberatum & flagellatum uſque ad coſtas, ita ut coſtæ ejus viderentur: Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cumque Filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtabat, ut in eo non inveniretur ſanitas, nec quid flagellaretur; Tunc unus concitato in ſe ſpiritu quæſivit: Nunquid interficietis eum ſic injudicatum? Et ſtatim ſecuit vincula ejus. Inde Filius meus induit ſe veſtibus ſuis; tunc locum, ubi ſtabant pedes Filii mei, totum repletum vidi ſanguine, & ex veſtigiis Filii mei cognoſcebam inceſſum ejus: quò enim procedebat, apparebat terra infuſa ſanguine, nec ipſi patiebantur, ut ſe indueret; ſed compulerunt, & traxerunt eum, ut acceleraret, cùm autem duceretur, quaſi latro, ipſe Filius meus exterſit ſanguinem ab oculis ſuis, &c.* O lugubre ſpectaculum! & tu, homo Chriſtiane, ad tam luctuoſam tragœdiam quid agis? En totus JESUS tuus tui cauſa unum corpore toto vulnus fuit; & tu, inquam, quid agis? Non ingemiſcis? Non erubeſcis? Non doles? Innocentiſſima Chriſti caro tam dirè affligitur, & tu tuam tam molliter tractas, toties gehennæ, & æternæ damnationis ream? Et quid tandem erit de te? Dic tibi ipſi ſententiam, an ſis membrum capiti conforme? Verùm progrediamur ulteriùs.

Revel. lib. 1. cap. 10.

4. De Jacob Patriarcha recenſent Sacræ Paginæ, quòd nunc in Ægypto moriturus de Meſſia in carne venturo, qui erit expectatio gentium, hoc illuſtre vaticinium tulerit: *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Et quid hoc? Audi antiquiſſimum Tertullianum: *Lavit*, inquit, *Chriſtus ſtolam carnis & pallium corporis, quò Divinitas tegebatur, in rubro ſanguinis ſui vino tum maximè, quando innumeris flagellorum ictibus toto corpore cruentabatur.* O balneum ſaluberrimum, longè illo excellentius, quod quondam Conſtantino Magno, fœda corporis lepra infecto, ex innocuo infantium ſanguine ex conſilio Medicorum erat parandum. Veni igitur, anime mi! immergamus nos in hanc piſcinam probaticam: *Et qui prior deſcendiſſet*

Gen. 49. 11. Tertullian. lib. 4. contra Marcionem.

Joan. 5. 4.

*in piſcina poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Imitemur Naamum leproſum, & in his thermis ſalutiferis recipiemus animæ
4. Reg. 5. 14. noſtræ ſalutem; *Deſcendit, & lavit in Jordane ſepties juxta ſermonem viri DEI, & reſtituta eſt caro ejus, ſi ut caro parvuli, & mundatus eſt.*

5. Sed quæres ulteriùs, quare mitiſſimi Salvatoris noſtri flagellatio ita præter modum cruenta ac crudelis fuerit? Si Judicem Romanum iterroges, dicet, quia ſine hac ſanguinis penſione tumultuantibus Judæis non poterat ſatisfieri, ut ergo illorum animos ad commiſerationem flecteret, juſſit eum tam horrendè cædi. O crudelis, ô impia miſericordia! Si JESUM interrogabis: *Quare rubrum eſt indumentum tuum ſicut calcantium in torculari?* Reſpondebit: Amor hæc fecit; ita S. Laurentius Juſtinianus: *O charitas*, inquit, *quàm magnum eſt vinculum tuum, quo DEUS ligari potuit? Nullum vinculum Filium DEI ad columnam tenere potuiſſet, ſi charitatis vinculum defuiſſet.* Si Patrem æternum interroges, quare in dulciſſimo Filio ſuo tam acerbam permiſerit flagellationem? Reponet: *Multa flagella peccatoris*, ideo & multa inflicta ſunt flagella Salvatori: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Si Matrem doloris & amoris? Dicet, ut te peccatorem ab æternis redimeret flagellis, & ne ſervus inobediens vapularet multis, ideo Filius meus Patri in omnibus obſequentiſſimus verberatus eſt multis plagis ac vulneribus; ſi Angelos? reſpondebunt: Quia benigniſſimus JESUS te, ô mi peccator! nocentiſſimam Divinæ Juſtitiæ victimam & virum morte dignum dimiſit, æquum erat ſatisfacere vadem. O charitas infinita! peccat iniquus, & punitur juſtus; *Cujus oro*, ſubintrat hìc S. Laurentius Juſtinianus, *tam ferreum pectus tanta non emolliret benignitas Redemptoris? Ligatur, cæditur, totoque flagris corpore diſſipatur, Nunc ſcapulas, nunc ventrem, nunc brachia, nunc crura cingunt, vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt. Hinc livor tumens, inde ſanguis erumpens, variatum cute detracta corpus adeò, ut membrorum compages viſibiles fierent, &c.* O JESU flagellate! quid tibi debemus? Et quid tibi, ô Mater doloroſiſſima! quid? Et dic, quæſo, ſodes! ſi canem tuum domeſticum cerneres tot plagis ſaucium & excoriatum, & ſi denuo ille de novo crudeliter fuſtibus etiam ſine cauſa pulſaretur, nonne ſaltem aliqua, commiſeratione in illum tangereris? Et Agnus ille Divinus atque immaculatus ad oſſa usque pro tua ſalute excarnificatus te ad compaſſionem & ſeriam peccatorum deteſtationem non moveat? *Illi, ſi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent;* tu autem cognoſcis eum, inquem peccas, & tamen peccas? Væ tibi, ſi neque per ſanguinem JESU flagellati, neque per lacrymas doloroſiſſimæ Matris ad compaſſionem & vitæ emendationem commovearis.

Iſa. 63. — S. Laurent. Juſt. lib. de ligno vitæ. — Pſalm. 31. — Iſa. 53. 8. — 4. Reg. 20. — S. Laurent. Juſt. de Triumph. agone Chriſti. cap. 14. — 1. Cor. 2.

6. Recordor hìc Clothildis Reginæ, de qua referunt, quòd, cùm Regi Analerico, homini gentili, barbaro, & inculto, matrimonio fuiſſet tradita, & ab eo multis injuriis, verbis aſperis, imò & verberibus ad ſanguinem usque affli-

Vanh. in Quadr. Paſſ. §. 4.

Digitized by Google

affligeretur, linteum pretioſum proprio cruore ſuo intinctum per nuntium loco litterarum ad fratrem ſuum germanum Gildebertum Franconiæ Regem ſubmiſerit, ut vel ex hoc miſerabilem ſororis ſtatum ac conditionem agnoſceret, & in tempore opportuno ſuppetias ferret. Intellexit ſororis mentem frater Gildebertus, & coacto exercitu Amalericum ad ſaniora compulit.

Lector Chriſtiane, linteum ſanguineis madens lacrymis & tibi transmittit non Clothildis Regina, ſed Regina omnium Sanctorum, de qua refert Bary & alii, quòd in paſſione & morte Unigeniti triginta lacrymarum millia & nongentas profuderit, in quo uberrimo lacrymarum effuſo imbre, teſtibus S. Germano, Theophilo, Mallonio & aliis, multas etiam ſanguineas lacrymas emiſit. O Sodalis, ô Cliens Mariane! vel ex hoc agnoſce dolores & gemitus Matris tuæ. Et ſi quondam S. Gregorius M. cùm amariſſimas pœnitentis Magdalenæ lacrymas, quibus ſacros Chriſti pedes abluit, attentiore animo obſervâſſet, in ſimilem amarum fletum prorupit: *Cogitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere libet, quàm aliquid dicere; cujus enim vel ſaxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* Quid ergo dicemus de amariſſimo lacrymarum torrente, quibus afflictiſſima Mater afflictiſſimum deplanxit Filium? Juvat hìc audire Danielem Mallonium: *Hæreo*, inquit, *& ita afficior, ut incertum mihi maxime relinquatur, debeamne magis Chriſti paſſionem, an MARIÆ compaſſionem meditari*: Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet: *At diviſam paſſionem cum Matre Chriſtus habet; ſcinditur caro Chriſti flagellis, ſed eiſdem Matris Cor ſcinditur, nec minus MARIÆ Cor, quàm Chriſti Corpus laceratur; fluit ſanguine Chriſti Corpus, fluunt lacrymis Matris oculi. Atrox ſpectaculum, horrida ſcena, in qua cum Chriſti patientia decertat tortorum ſævitia, & Chriſti cruciatui Matris cruciatus adiungitur. Quod tam ſævum pectus, quod tam ferreum cor, quod Chriſti flagella non ſcindant, ſanguis non leniat, & Matris lacrymæ non emolliant? Flagellatur Chriſtus, adſtat Mater, cum Filio Mater cruciatur, languentem, ſpirantem animam agentem, ſpiritum quodammodo exhalantem Mater conſpicere cogitur, nec remedium præſtare, nec ictus moderari, nec ſupplicia retardare, nec plagas tergere, nec dolorem lenire poteſt.* O dolentiſſima Virgo! quis tibi non ex animo compatiatur? Quis tecum non lugeat? Ah quomodo poſſibile fuit, quòd præ dolorum multitudine & magnitudine triſtiſſimum ac maternum COR tuum non in mille diſſilierit partes? O Domina! *Magna eſt, velut mare contritio tua, quis medebitur tibi?*

Paul. Bary. S. J. in Bland, cap. 2.

Mallon. de S. Sind. c. 5. S. Greg. M. hom. 33. in Evang.

Mallon. de S. Sind. cap. 5. fol. apud me 71.

Thren. 2. 13.

7. De Viro Religioſo aſſeverat Mancinus, quòd, cùm in die Paraſceves Auguſtæ Taurinorum in Subalpinis Sacroſanctam Sindonem, in qua totius Corporis JESU flagellati, & undique convulnerati effigies exhibetur, vidiſſet, ac dovotamente conſiderâſſet, ita commotus fuerit, ut mox ani-

Mancin. de Paſſ. lib. 5. diſſert. 1. punct. 2.

animo linqueretur. Cernitur autem in hacSacraSindone præter innumeras alias plagas, quibus virgineum Corpus JESU dilaceratum fuit, horribile quoddam vulnus in lumbis ejus, quod vix ſine lacrymis & animi motu videri, ac conſiderari poteſt; quod ideo in ſanguinaria illa flagellatione mitisſimus Servator tuus in lumbis perpeti voluit, ut extingueret in te, ô Lector Chriſtiane! fomitem ardentis libidinis, & ut in te maneret virtus continentiæ & caſtitatis; aſſeritque Mallonius, meditationem hujus plagæ horribilis in lumbis innocentiſſimi JESU peculiarem contra carnis petulantiam, quæ in lumbis reſidere dicitur, eſſe medicinam, atque præſidium evidentiſſimum.

Mallon. cap. 9. num. 8.

Ad te me converto, ô pientiſſima Mater! ſi umbra & imago in ſanguine Filii tui purpuratæ ſindonis videntium animos non tam ſalutari percellit timore, quàm etiam ad pias permovet amoris lacrymas, quid, obſecro, non umbra aut imago, ſed ipſe præſens dulciſſimi Filii tui pro nobis tam atrociter flagellati aſpectus in te fecit? O pelagus dolorum! ô abyſſus deſolationum! ô peccator! quid tu ad hæc? Et túne audeas denovo in DEUM tuum peccare, & vulnera vulneribus addere? O brutum ingratum! moveant te lacrymæ ſanguineæ hujus mœſtiſſimæ Matris tuæ; moveat te ſanguis innocentis Agnelli pro te tam largiter effuſus: *Cur addimus,* inquit Melliſluus, *afflictionem afflicto? Magis aggravant vulnera peccati noſtri, quàm vulnera Corporis ſui, &c.*

S. Bernhard. ſerm. 2. Paſchæ.

CON-

# CONSIDERATIO XXX.

## Doloroſa Mater quanto cum dolore ſpectârit Filium ſuum ſpinis coronari, atque illudi.




Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.
*Cant. 2. 2.*

1. MIror, dum mente attentiore perpendo, quòd Divinus ille ſanguinum Sponſus in Sacro Epithalamio non ſe flori horti, ſed campi aſſimilârit: *Ego flos campi, & lilium convallium*? Rationem aſſignant Patres, quia flos horti hortulani manibus plantatus muro, aut aſſeribus clauditur, nec omnibus niſi domino horti patet, ſed flos campi omnibus carpendus, fovendusque exponitur; hac de cauſa Chriſtus non in urbe, ſed in agro & campo naſci, atque crucifigi voluit, ut omnes ad eum liberum habeant acceſſum: *Flos*, inquit S. Ambroſius, *MARIÆ Chriſtus, qui bonum odorem fidei toto ſparſurus orbe, virginali ex utero germinavit. Flos odorem ſuum ſuc-*

Cant. 2. 1.

S. Ambroſ. lib. 2. de Spirit. cap. 5.

*ſucciſus reſervat, & contritus accumulat, nec avulſus amittit: Ita & Dominus JESUS in illo patibulo crucis nec contritus emarcuit, nec avulſus evanuit; ſed illâ lanceæ punctione ſucciſus, ſacro ſpecioſior ſuſci caloris cruore vernavit, mori ipſe neſcius, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans.*

Obſervat autem Vatablus & alii in hunc locum, quòd per florem illum campi non alius, quàm roſa ſubaudiri debeat, quid autem pulchrius, quid ſalubrius, quid odoratius roſa? *Sic*, ſubintrat hîc Cornelius, *Christus decor odor, & ſalus eſt mundi, &* ſicut roſa ſine ſpina non eſt, imò inter ſpinas naſ-
Eccleſ. 24. citur, educatur, ac moritur, ita bonus JESUS, qui erat *quaſi plantatio roſæ in Jericho*, non niſi inter ſpinas natus, educatus, paſſus & mortuus eſt.

Addit dilectus animæ Sponſus: *Et lilium convallium*: erat quippe lilium convallium, quando de ſupremo cœlorum throno, & de ſinu æterni Patris in hanc infimam mundi vallem delapſus, factus eſt *noviſſimus virorum*, inter pecudes natus, inter latrones cruci ſuffixus, Judæ proditori in lotione pedum, & Barabbæ parricidæ in morte poſtpoſitus, an, obſecro, locus inferior in orbe terrarum? Sed & factus eſt ſicut lilium inter ſpinas? *Christus*, inquit
S. Ambroſ. de Inſtit. Virg cap. 14. memoratus Ambroſius, *erat lilium in medio ſpinarum, quando erat in medio Judæorum, qui ipſum calumniati ſunt, accuſarunt, & crucifixerunt.*

Ejuſmodi lilium & B. Virgo ac Mater doloroſa eſt, ita prædictus ſanguinum Sponſus, ubi ſe flori campi & lilio convallium comparavit, mox ad
Cant. 2. 2. Dilectam ſuam transgreſſus eſt: *Sicut lilium*, inquiebat, *inter ſpinas ſic amica mea inter filias*; ſupra quod pereleganter Rupertus Abbas: *Sicut Christus*, ait, *velut lilium, ſpinis Judæorum fuit transpunctus, ſic & B. Virgo iiſdem fuit compuncta, & transfixa*, ac tunc præſertim, quando ipſa præſens hunc dilectiſſimum Filium ſuum in prætorio Romani Præſidis ab armatis, ferratiſque manibus vidit, heu quanto cum luctu! ſpinoſo, ac ringentibus aculeis horrido
S. Birgitt. lib. 2. cap. 10. ſerto coronari; audi ipſam loquentem: *Aptaverunt*, inquit, *coronam de ſpinis capiti ejus, quæ tam vehementer reverendum Caput Filii mei pupugit, ut ex ſanguine fluente replerentur oculi ejus, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturbaretur; cúmque ſic ſanguinolentus ſtaret, condolens mihi ad-*
Lib 4. cap. 70. *ſtanti, & gementi, reſpexit ſanguinolentis oculis, &c.* Et in alio loco eadem doloroſa Virgo ad Divinam Birgittam: *Tunc corona ſpinea capiti ejus arctiſſi è impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines & oculos, & barbam replentibus, ut quaſi nihil niſi ſanguis totus videretur.* O pientiſſima Domina, omnium Matrum afflictiſſima! verè ſicut lilium inter ſpinas tunc extitiſti, quando in medio improborum huic luctuoſæ, & hactenus nunquam auditæ coronationi præſens interfuiſti, ſtans tota tremebunda, & defixis nunc in cœlum ad Patrem, nunc in patientem Filium oculis, & fortè etiam cum ſanguineis lacrymis, nulli maledicens, ſed patientiſſimè voluntati Divinæ omnia remit-

remittens; unde Lemma huic noſtro myſtico lilio inter pungentes ſpinas creſcenti, aculeisque transfixo adjicere placuit:

## Transfixum ſuavius.

2. Varios quondam ritus ac ceremonias in coronatione Regum ſuorum obſervabant Hebræi, quos ad fontem vel ad arborem extrà civitatem deducebant, ubi per Sacerdotes ſacro oleo erant inuncti, ſupra thronum exinde regium collocati & diademate redimiti, quibus & Liber Legis in manus tradebatur, ut Legem noſcerent ſervare, ac defendere; his peractis, omnis populus aggratulabundus acclamavit: *Vivat Rex, vivat Rex.* Typum de hac veritate nobis exhibet pacificus Salomon in Gihon propè fontem inunctus: *Sumpſitque Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & inunxit Salomonem & cecinerunt buccinâ, & dixit omnis populus; Vivat Rex Salomon, &c.* 3. Reg. 1.39.

Anime mi! ad aliam hodie invitaris coronationem; eheu quàm diſſimilem, quàm luctuoſam, quàm cruentam! vide, & contemplare dulciſſimum JESUM DEI & MARIÆ Filium, *qui longè plùs eſt quàm Salomon*, non Matth. 12.42. quidem ad fontem, quia ipſe erat *fons vitæ*, ſed in prætorio Romani Judicis Eccleſ. 21.26. coronatum, non regali diademate, ſed cruentis ſpinarum aculeis, non oleo ſacro, ſed pretioſo ſanguine ſuo inunctum, non in throno Regni ſui, ſed ſuper duriſſimum lapidem collocatum, non Sceptro Regio, ſed viliſſima arundine inſignitum. O quàm diſſimilis iſthæc erat coronatio inter utrumque Davidis filium! huic in die coronationis ſolenniſſimum adornabatur convivium; Chriſtus Rex ſæculorum *ſaturatus eſt opprobriis*; illi inter varios Threnor. 3. 30. generis honores pretioſa quæque unguenta & ſuaves odores, odor nardi, odor thuris, & odor malogranatorum deferebantur; in patientiſſimum JESUM ſpinis coronatum non niſi putida & fœtentia mittebantur phlegmata & oris excrementa: *Conſpuebant eum, & ponentes genua adorabant eum*: Marc. 15.19. iſti recèns coronato lætæ gratulationes, & acclamationes à primatibus 3. Reg. 1. 39. Regni, & ab univerſo populo fiebant: *Cecinerunt buccinâ, & dixit omnis* Joan. 19.3. *populus: Vivat Rex Salomon*: heu quàm diſpares plauſus & aggratulationes in coronatione JESU audiebantur: *Veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Judæorum; & dabant ei alapas.* Tandem dum Pilatus Præſes Romanus hunc cœli, terræque Regem, cunctis gentibus deſideratum, populo Judaicò proponit ad adorandum: *Ecce Rex veſter*, non audiebatur niſi illud ferale: *Tolle, tolle, crucifige eum.* O quanta hæc erat rerum metamorphoſis! paucis abhinc diebus, hoc eſt, die palmarum acclamabant Judæi: *Benedictus*, Joan. 12.13. *qui venit in nomine Domini, Rex Iſraël*; nunc: *tolle, tolle.* Ecce hic mundi ſtylus eſt; noli confidere mundo.

3. O mœſtiſſima Virgo! quis tibi tum temporis intervallo talia, ac tam indigna cernenti, & accedenti animi ſenſus fuit? Bethſabæa Regina filium



Digitized by Google

ſuum Salomonem in die deſponſationis illius, ubi cum Sulamitide Ægyptia Regis Pharaonis filia deſponſatus eſt, pretioſiſſima diademate, inæſtimabilibus gemmis & margarithis intexto condecoravit: *Videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua in die deſponſationis illius*; & tu, ô pretioſiſſima Virgo, cœleſtis Salomonis Mater, quæ in die incarnationis, ubi in thalamo virginei uteri tui humana natura cum Divina deſponſata eſt, hanc ipſam Filii tui Divinitatem corona carnis noſtræ coronâſti; ô triſtis Mater! ô triſtis Virgo! vide, ah vide, quomodo peſſima, impia & crudelis Synagoga (ah quàm ingrata noverca) in hac die deſponſationis JESU cum Eccleſia, eundem dulciſſimum Natum tuum non diademate aureo, ſed corona aculeatis vepribus horrida coronet: *Plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus*, & tanta vi, ut plerique veprium aculei non duntaxat cutis teneritudinem perforarent, ſed & ipſa oſſa penetrarent, ita S Vincentius Ferrerius: *Plectentes*, inquit, *coronam de ſpinis marinis, quæ acutiores & longiores ſpinas habent cæteris ſpinis, capiti ejus impoſuerunt, quæ eum in capite in ſeptuaginta duobus locis crudeliter vulneravit, nam erat ad modum pilei, ita quòd undique caput tegeret, & tangeret, ita quòd aculei oſſa penetrarent*, &c. O ſanè gravis dolor, qui omnem noſtram ſuperat fidem. Interim aperiuntur ſacroſanctæ venæ, fluit, currit undique cruor, & facies illa, in quam deſiderant Angeli proſpicere, non niſi ſanguis erat, qui de vulneribus Divini verticis decurrens oculos, genas, aures, nares, barbam, os, ipſosque humeros non modò tinxit, ſed & opplevit. O anime mi! quis hìc enarrabit, quinam major fuerit dolor aut amor in Sacratiſſimo CORDE JESU & MARIÆ? Certè uterque ſummus erat, & tamen mitiſſimus JESUS, cùm Matrem in tanto videret ſupplicio, plùs dolore Matris, quàm ſuo affligebatur.

Cant. 3. 11.

Matth. 27. 29.

S. Vincent. Ferrer. in Paraſc.

Cæterùm ſtabat in principio hujus inauditæ coronationis dolentiſſima Virgo ſine ſenſu, ſine voce, ſed non ſine amariſſimis lacrymis, tandem verò in hæc erumpebat lamenta, prout pereleganter obſervat Nebridius: *O mi Fili, quam informem te aſpicio! hiccine eſt vultus tuus, ô Salomon, quem videre deſiderat univerſa terra? O Angeli, qui miniſtrâſtis ei in deſerto, quin abſtergitis eum? ô æterne Pater! en Unigenitus tuus, ſpecioſus formâ præ Filiis hominum, quomodo deformatus eſt? mutatus eſt color optimus, ac tetrior leproſo eſt, qui quondam rutilavit ut Sol. O mi JESU, quis mihi det mutari in te, ad pro te patiendum dolores hos! ô ſpinæ, ô ſpinæ quàm acerbè tranſfigitis animam meam. Vos, ut experior, ille mihi Simeonis gladius eſtis; Vos illæ ſpinæ eſtis, quas DEus Pater in paradiſo peccati prædixit Adamo. Heu me miſeram! ſi ſpinis expungendum delictum Adami eſt, adeſte milites, priùs peccavit fæmina, priùs quoque fæmina pœnam ſentiat. En ſi non ſufficit caput, habete totum corpus meum, vulnerate, compungite, laniate ſicut vultis: Coronate me quoque in Reginam i*

Nebrid. in ſuo Faſcic. Myrrh. cap. 10.

nam

*nam hujus Regis ego Mater ſum. Quid parcendo me affligitis? Si parcere vultis, lædite me cum Filio. O Filiæ Jeruſalem, venite, egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum hæc impia turba militum in hoc amaritudinis die.* O anima Chriſtiana, quis non animitùs compatiatur tanto Filio? Tantæ Matri? Si cætera membra compatiuntur capiti, dum affligitur, ubi amor noſter, ubi mœror, & compaſſio? Verè qui hìc non dolet, & non compatitur CHRISTO patienti Capiti & Sacratiſſimæ Matri ejus doloroſæ, hoc ipſo oſtendit, ſe non eſſe membrum Chriſti, nec Clientem MARIÆ.

4. Quæres hìc, pie Lector, quare doloroſiſſimus JESUS, poſtquam jam cruenta ſubiit flagella, etiam ſpinis coronari voluerit? Reges alii & victores olim pro egregiis ſuis facinoribus diverſis redimebantur coronis aliquando ex auro, gemmis & Margarithis, aliquando ex lauro, oliva, hedera, quercu, aliquando ex odoratis herbis, floribus, roſis & liliis intextis; ſed floridus noſter Nazaræus pretioſiſſimus JESUS corona ſpinis horrente, & ſentibus hiſpida, paliuriſque aſperrima coronatur: ô quàm indignum diadema! non præceperat Pilatus ludum tam tragicum, tam funeſtum, tam cruentum ſed dæmon & barbara militum rabies novam hanc & hactenus inviſam ac prorſus inauditam paravit ſcenam, audierant enim impii Sathanæ miniſtri, inocentiſſimũ JESUM à Judæorum principibus Regem appellari, mox Curia Romana, pecuniis à Judæis in hunc finem ſubornata, decrevit & imponere coronam, & quidem de ſpinis, ut majori ludibrio impii deicidæ Filium DEI afficerent, & COR Matris doloroſæ ampliùs torquerent, erat enim hæc corona adinſtar fulminantis gladii, aut crudeliſſimæ lanceæ, quæ maternum pectus transfigebat, ita ipſa Diva Virgo ad S. Birgittam: *Tertia lancea mihi erat ſpinea corona ejus, quæ ſic immaniter pupugit caput ejus ſanctiſſimum, ut ſanguis deflueret in os ejus, in barbam, & in aures ejus.* S. Birgitt. lib. 1. c. 27.

Cauſam hujus probatiſſimæ coronationis aſſignant Patres, ideo Servatori noſtro Caput ſpinis præcinctum, ut maledictum ſolveretur, quod primus homo per peccatum contraxerat; ita Divus Hieronymus: *In corona ſpinea maledictum ſolvit antiquum: Spinas & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. 18. Coronatus eſt *ſpinis & tribulis*, ait Tertullianus, *in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Vide Mallon. in Explicat. S. Sindon. cap. 12. Coronatus eſt ſpinis, ut adimpleretur Scriptura: *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas:* Iſa. 1. 6. Corpus enim totum virgis, flagris, catenis, & aculeatis flagellis erat conciſum, facies colaphis lurida & ſputis fœdata, dentes luxati, aures oppletæ maledictis, &c. Solus vertex adhuc aliquid habebat ſanitatis, quod ſentium aculeis erat obliguriendum. Crat. P. g. O bone JESU, nunquid caput tuum *ſicut purpura Regis*, & vertex tuus *plenus rore, &*



Digitized by Google

*cicinni tui guttis noctium*? Coronatus eſt inſuper, quia non tantùm Rex noſter & animarum Sponſus erat, ſed & victima pro ſalute totius mundi in ara crucis immolanda, moris autem erat tum apud Judæos, tum Romanos, ut DEO T.O.M. victimæ viridi ſerto coronatæ offerrentur. Coronatus denique eſt, quia, capitibus noſtris multa delicta committimus, tum interna per malas cogitationes, tum externa nimio luxu & ornatu; vide, & mirare, optime Lector, qualia capillitia, quàm pretioſa, & criſpata nunc geſtent viri effœminati, & quouſque mulierum vanitas ſuas erigat criſtas? & hoc in-
S. Bernhard. ter Chriſtianos & Orthodoxos? Chriſto Sponſo noſtro relinquimus ſpinas,
ſerm. 5. in & nos coronemus nos roſis? *Pudeat*, ſubintrat hìc Mellifluus, *ſectari glori-*
Feſt. OO. Ss. *am membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur! pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.*

5. O Mater doloris & amoris, quæ à Filio tuo nec poteras, nec volebas ſeparari, dic nobis, quid tum ſenſerit COR tuum, ubi dilectum votorum tuorum & innocentiſſimum Filium mortuo & excoriato pecori, quàm homini vivo ſimiliorem ſpectâſti? Ah quid tunc penſabat COR tuum, ô omnium afflictiſſima Matrum? Sed nondum hìc tormentorum finis, plus ultra, ô Domina! facta hac coronatione, milites JESUM (prout erat) nudatum, toto corpore ſaucium, & lacernulâ, ſeu fruſto obſoletæ purpuræ vix tegendo dorſo ſufficiente veſtitum, arundinemque (vanitatis Symbolum) manu geſtantem, per atrium ac prætorium ad præſidem &
Joan. 19. 5. iniquiſſimum Judicem rapiunt: *Exivit ergo JESUS portans coronam ſpineam*
Nebrid. in *& purpureum veſtimentum.* Obſervat hìc citatus Nebridius: *JEſus autem*
Faſc. cap. 11. *tranſibat Matrem cum gemitu, quæ etiam poſt milites ſecuta eſt eum intro, nam*
Gen. 22. 13. *per totam paſſionem, quantum poterat, ei appropinquabat, neque unquam ab eo ſeparabatur.* Ah quid tunc penſabat afflictiſſimum COR tuum, ô Virgo dolentiſſima? Credo, & firmiter mihi perſuadeo, illo temporis tractu tibi veniſſe in mentem agnum illum maſculum vepribus coronatum, loco Iſaaci in monte quondam Moria ab Abrahamo immolatum: Ergone (ita tecum ſuſpirabas) ô mi JESU! tu es ille agnus innocuus, immacula-
Exod. 3. 2. tus, ſpiniſque cinctus, qui pro delictis totius populi hodie in Calvario monte eris immolandus? Moyſi quondam in typo, ô Fili mi! in rubo ſpinoſo, ardente quidem, ſed incombuſto, apparere dignatus es, nunc ipſe ingenti tormento cruentis es redimitus, & circumdatus ſpinis? Aaronem ſummum Sacerdotem pretioſa voluiſti coronari tiara, & caput ejus odorifero inungi, ac perfundi unguento, quod per barbam & veſtimenta decurrens
Pſal. 132. 2 univerſæ multitudini gratiſſimum ſparſit odorem: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit ad oram veſtimenti ejus*: Heu Fili mi JESU, Sacerdos & victima, quàm diſpari tiarâ redimitus es? fluit & pretioſum unguentum Sacroſancti cruoris tui de capite per genas, barbam & faciem, plurimis ſeſe diffun-

fun-

Digitized by Google

fundens rivulis, totumque veſtimentum, quod eſt Eccleſia, vitæ & æternæ ſalutis odore perfundens. O Pater æterne! quomodo permittis tanta, ac tam indigna pati dilectiſſimum Filium tuum? Video immenſi tui amoris in genus humanum affectum & effectum:

*Pungentem caput, cerebrum geſtare coronam*
*Cogit amor, cogit vulnera tanta pati.*

Et quia ita tibi placuit, ô Pater! placet & mihi indigniſſimæ Matri ejus; fiat, ô Domine, in omnibus ſanctiſſima voluntas tua. Hæc vel ſimilia ſecum animo volvens mœſtiſſima Mater, alto ingemuit ſuſpirio, cum Propheta threnologo compaſſioni, planctui ac lacrymis omnes laxans habenas: *Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem: Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*, &c. Et tu, anime mi! qui hæc legis, quid agis? ô doloroſiſſime JESU! ô doloroſiſſima Mater, quis hæc mente attenta conſiderans, etſi ferreus ac adamantinus ſit, non emolliatur? Quis non ex animo vobis condoleat? dolent ſaxa & rupes, & ego, qui per innumera mea delicta iſtorum omnium ſum cauſa dolorum, adhuc perſiſto immotus? O lacrymæ meæ, ubi eſtis? Plangam, ah plangam & ego diebus ac noctibus omnes iniquitates meas; tibi, ô mœſtiſſima Mater! me in planctu ſociare deſidero, ut totus tecum mergar in compaſſionis Oceano.

Threnor. 2. 18.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO XXXI.

Quanto dolore & compaſſione Doloroſa Mater audierit, & viderit Filium ſuum damnari ad mortem.




Captabunt in animam juſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. *Pſal.* 93. 21.

1. UBi Jonas Propheta mari mediterraneo ſe quondam commiſit, ut felici vento à portu Joppenſi in Tharſin transmitteret, ſubitò ingens procella & tempeſtas excitata eſt. Nautæ videntes hanc repentinam malaciam à DEO ſcelerum vindice immiſſam, ſtatuerunt ſortem mittere, quisnam inter ipſos reus ad placandam Numinis iram in iratum pelagus mitteretur: *Et cecidit ſors ſuper Jonam*; dum videlicet prima chartula, cui nomen Jonæ inſcriptum erat, primâ vice ab urna deducta Jonam reum proclamavit. Verùm quid ad hoc Jonas? Vide, anime mi, & admirare excel-

Jonæ. 1. 7.

celſum Prophetæ animum: *Tollite me*, inquit, *& mittite in mare*, *& ceſſabit mare à vobis*; quem cùm viri non reluctantem arriperent, & in fretum præcipitem agerent, extemplò omnis tempeſtas ceſſavit: *Et ſtetit mare à fervore ſuo.* Nos in præfixo noſtro Emblemate huic Prophetæ in mare miſſo pro epigraphe inſcribimus:

## Mergor, ne mergantur.

Per hunc Jonam mitiſſimum Redemptorem noſtrum ad mortem crucis ab iniquiſſimo Judice Pilato condemnatum rectè intelligunt Patres, dum ſeſe ultrò ac voluntariè pro ſalute univerſi generis humani, ne æternum periret, in cruentum paſſionis mare demitti permiſit: *Tollite me*, *& mittite in mare*; *& ceſſabit mare à vobis*. Videamus modò, quomodo inſpectante Matre doloroſa hæc vita noſtra damnata ſit ad mortem.

2. Joſeph Jacobi Patriarchæ filius, decorus aſpectu, & cultu regio inſignis, cùm nunc tanquam Pro-Rex Ægypti & Salvator Regionis in curru regali ſublimis per urbem veheretur, tantus ſubitò inter filias civitatis concurſus factus eſt, ut non plateas duntaxat, ſed & muros & feneſtras omnes replerent, ut ejus pulchritudinem & faciei majeſtatem poſſent contemplari: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens*, *& decorus aſpectu*, *filiæ diſcurrerunt ſuper murum*, *&c.* Geneſ. 49. 22.

Egredimini filiæ Sion, & videte Regem veſtrum, *ſpecioſum formâ præ filiis hominum*, quem tot olim votis Abraham & Patriarchæ videre geſtierunt, nunc in diademate ſuo è prætorio Romani præſidis Pilati ad populum egredientem. Eheu quid video? O ſpectaculum funeſtum omnium creaturarum lacrymis deplorandum! *Exivit ergo JESUS*, *portans coronam ſpineam*, *& purpureum veſtimentum*, *& dicit eis* (Pilatus) *ecce homo.* O ſuperi! quid hoc eſt? Loco regalis diadematis hic Rex Regum coronam pungentibus ſpinis horridam, & loco ſceptri viliſſimam arundinem tenet, pro pretioſa purpura abjectum & laceratum militare veſtimentum, atque pro vellere aureo craſſum funem, vel ut alii volunt, catenam ferream in collo geſtat, totumque corpus ejus innumeris ferè plagis & flagris, ſputis & livoribus adeò deformatum eſt, ut excoriatam pecudem faciliùs, quàm hominem repræſentet: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate*, *quo coronavit illum Mater ſua* (impia, ſcelerata, & ingratiſſima Synagoga) *in die deſponſationis illius.* O Pater Cœleſtis, reſpice in faciem Chriſti tui, & vide, num ſit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi ſemper benè complacuiſti? O Mater amoris & doloris, quæ præſens ſpectâſti tam cruentum, tam indignum, tam miſerabile ſpectaculum, an hic Filius tuus, in quem deſiderant Angeli proſpicere? Paulò antè dicebant Judæi, & præſertim afflicti, miſeri, deſolati: *Eamus ad Filium Mariæ*, *à quo conſolari poſſumus*; & nunc eſt vir dolorum, ac noviſſimus

Pſal. 44. 3. Joan. 19. 5. Cant. 3. 11. S. Birgit. lib. 6. c. 58.

mus virorum, cujus pulchritudinem Sol & luna mirantur? O Domina! dic nobis ſi tamen præ dolorum magnitudine dicere quid poſſis, an hic Filius tuus DEus & Homo Chriſtus? Ah non homo, ſed vermis eſt, & abjectio plebis! & quid peccavit dulcis ille JEſus tuus? Ah fluite, fluite lachrymæ: *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem: Non des requiem mihi, neque taceat pupilla oculi mei.* Ego, ego ſum reus tam cruentæ tragœdiæ & necis Chriſti; Judæos inculo, & ego ipſe ſum ille vir mortis: O afflictiſſima Domina! pudore ſuffundor coram facie tua ob innumeras iniquitates meas, quibus offendi Dominum ac Deum meum; ah ego, ego interemi Filium tuum. ô Mater dolorum, en habes hìc confitentem reum, ah ignoſce! quod luit nunc Deus, ego deliqui; exora mihi, obſecro, cor contritum & humiliatum, &c.

Threnor. 2. 18.

3. Jobum pientiſſimum illum virum ubi quondam Eliphaz, Baldad & Sophar, tres amici conſpicati ſunt toto corpore plagatum, excruciatum, & à diabolo peſſimis ulceribus percuſſum, magnitudine mali perculſi non poterant eum cognoſcere; tanta erat fortunæ, vultûsque mutatio; *Cúmque elevâſſent procul oculos ſuos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt ſciſſiſque veſtibus ſparſerunt pulverem ſuper caput ſuum in cœlum, & ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: Videbant enim dolorem eſſe vehementem.*

Job. 2. 12.

Ecce plùs hìc quàm Job: *Exivit ergo JEſus portans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum,* & à planta pedis uſque ad verticem non erat in eo ſanitas, quem Pilatus Judex populo univerſo, diducto veſtimento purpureo, & extento digito monſtrans, ait? *Ecce homo*; ita nimirum mitiſſimus Agnus ab invidis illis & ferociſſimis lupis erat tractatus, flagriſque contritus, ut in homine homo quærendus eſſet. O qualis tunc animi ſenſus tibi fuit, ô mœſtiſſima Matrum! ubi hoc luctuoſiſſimum, nunquam auditum, & toti orbi heu nimis lacrymabile ſpectaculum vidiſti? Si adeò de calamitate Jobi doluêre tres illi prænominati amici: *Exclamantes ploraverunt*, &c. Quis, obſecro, explicet, aut mente concipere poſſit animi tui dolores, ô Mater dolorum, cùm non Jobum, ſed unigenitum tuum ac dulciſſimum animæ Sponſum, quem quondam faſciis ligâſti, in præſepio reclinâſti, & virgineo lacte enutriſti, nunc nudatum veſtibus, funibus & catenis ligatum, ſputis fœdatum, à crudelibus virgatoribus verberatum, ſpinoſo ſerto redimitum, & inhumaniſſimè excarnificatum conſpicata es, ut factus ſit, quantus erat totus, unum vulnus? Et ſi dilectiſſimi Filii tui Corpus in paſſione ſupra quinque vulnerum millia pertulit, revera non paucioribus SS. Cor tuum convulneratum fuit: *Sicut*, inquit Richardus à S. Laurentio, *non fuit dolor, ſicut dolor ille, qui pertranſivit corpus & membra Filii, ſic non fuit dolor, ſicut dolor ille, qui ad Matris viſcera per compaſſionem pertranſivit.* O anime mi! quis vel ferreus hæc conſiderans non emolliatur? O lacrymæ ubi nunc eſtis? Quoties etiam pro rebus viliſſimis expeditæ

Joan. 19. 5.

Rich. à S. Laur. lib. 3. ſol. 143.

ditæ curritis, & nunc moramini? Ah fluite, fluite. O doloroſiſſime JEſu! ô Mater afflictiſſima! adaperite cataractas duriſſimi cordis mei, ut defleam diebus ac noctibus non tam paſſionem veſtram, quam & innumera delicta mea, quibus tantorum fui cauſa dolorum.

4. De Joiada Hebræorum Pontifice recenſent Regum Annales, quòd in conjuratione contra impiam Athaliam populo, in templo in unum tunc congregato, Joas Regium Principem ex Ochozia oriundum (quem jam pridem omnes mortuum & occiſum autumabant) in mediū produxerit, quem ſtans in loco elatiore univerſæ populi multitudini, ut legitimum ac unicum Regni Iſraelitici hæredem, ac Regem inaugurandum præſentavit: *Ecce Rex veſter.* Quid hìc expectatis, amici? Applaudunt omnes: *Vivat Rex.* Audi Scriptu- 4. Reg. 11.
ram: *Produxitque Filium Regis, & poſuit ſuper eum diadema & teſtimonium, fe-* 12.
*ceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt: Vivat Rex.*

Age anime mi, & unà mecum Regem cœlorum, ac Dominum univerſorum, non jam clarum imperio, ſed plenum opprobrio conſidera, quomodo eum Pilatus, homo gentilis & idololatra, in ſuperiori palatii ſui ambulacro populo Iſraëlitico, tanquam promiſſum à Deo Meſſiam, Regemque tot ſæculis ab illo populo deſideratum, publicè demonſtret: *Ecce Rex veſter.* Quid Joann. 19.
hic reſponſi ab univerſa plebis multitudine? Heu lugendam rerum humana- 14.
rum metamorphoſin! paucis abhinc diebus, hoc eſt, Dominicâ Palmarum ac- Matth. 2. 5.
clamabant omnes: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum Filium ſubjugalis; & benedictus, qui venit in nomine Domini:* nunc à Phariſæis, & omni populo non alius auditur clamor, & vociferatio, quàm illud ferale: *Tolle, tolle, crucifige eum: Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Ite nunc, Joann. 19.
mortales, & in mundi hujus im̄undi conſtantia confidite. Nuper cùm quin- 15.
que hominum millia quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus abun- Joan. 6. 15.
dantiſſimè ſatiâſſet, miraculo moti eum in Regem ſuum inaugurare volebant, nunc eundem cœli terræque Dominum latroni poſtponunt, homuncioni tam vili, & DEum parricidæ. O Mater dolentiſſima, quæ per totam ferè paſſionem Filio quàm maximè appropinquabas, Mater non jam Filii Dei, ſed Filii mortis, quid tu, obſecro, ad hunc feralem populi clamorem: *Crucifige, crucifige eum?* Ah quid ad tot blaſphemias, injurias, & inſanas rabi- Nebrid. in
es? *Minimè*, ait Nebridius, *immodeſtè clamabat, aut ejulabat evellens ſibi crines, aut* Faſc. Myr.
*inſtar inſanè lugentium fœminarum brachia hinc inde contorquens, ſed ſtabat pallida, ge-* cap. 11.
*mens ac tremens, totosq; lacrymarum torrentes in ſilentio profundens, multaque cogitans, pauca loquebatur, ſic, ut nec inimici ejus aliud in ea deprehenderent quàm gravitatem. Deflebat autem non tam Filii ſuamve calamitatem, quam inauditum contemptum, quo Deus æternus tot contumeliis à perditiſſimis hominibus afficiebatur; itaque ſecuta milites, imò potiùs ſanguineas guttas, quæ de capite Domini ubertim diſtillantes viam demonſtrabant, ipſum ingreſſa eſt prætorium, ne forte Filius abſque ſe moreretur.*

5. Recordor hic Danielis apud Darium Perſarum Regem quondam ab invidis regni ſatrapis accuſati, quòd contra edictum regium egiſſet, dum ter de die DEum ſuum flexis genibus adoràſſet, hinc non tam mortis reū, quàm dignum eſſe, qui vivus in lacum leonum mitteretur, à cruentis faucibus devorandus. Quid ad hanc calumniam Darius Rex? *Contriſtatus eſt*, inquit Scriptura, *& pro Daniele poſuit cor, ut liberaret eum, & uſque ad occaſum ſolis laborabat, ut erueret illum.* Verùm nihil profecit hæc Regis in Danielem benignitas: *Scito Rex*, ſic enim interpellant Darium ſatrapæ, *quia lex Medorum atque Perſarum eſt, ut omne decretum, quod conſtituerit Rex non liceat immutari*; unde invitus ſententiam tulit: *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miſerunt eum in lacum leonum.*

Dan. 6. 14.

O benigniſſime JESU! tu per illum Danielem præfiguratus es, dum per ſummam invidiam accuſatus, & ad lacum leonum, mortemque crucis injuſtiſſimè damnatus es. Noverat quidem Romanus Præſes tuam innocentiam, proinde variis modis allaboravit, ut te è manu Judæorum liberaret, & in priſtinam aſſereret libertatem: *Et pro Daniele poſuit Cor, ut liberaret eum;* verùm nihil profecit hæc Judicis benignitas: *Nos legem habemus* (ita ſucclamabant omnes illi impiiſſimi deicidæ) *& ſecundum legem debet mori; & ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Hic nodus erat, à quo tandem fractus eſt Judicis animus; hinc ex reſpectu merè humano & vano timore vitam morti adjudicat, atque in JESUM ſententiam judiciariam & irrevocabilem non Hebræo ſed Latino idiomate ſcribit: *JESUM Nazarenum, ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, ut majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicii locum, & cum ludibrio Regiæ Majeſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. I lictor, expedi cruces.* Quam funeſtam & injuſtiſſimam ſententiam pretioſiſſimus orbis Salvator etiam flexis genibus excepit, offerens ſe ultrò Cœleſti Patri in gratiſſimam victimam, nunc pro ſalute mundi in ara crucis immolandam. O anime mi! penſa hic, & repenſa, quomodo amore tui Chriſtus Dominus ac DEUS tuus factus ſit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; ô prodigium amoris! cogitavit de te amantiſſimus JEſus, quaſi non eſſet alius præter te in mundo, pro quo vitam, ſanguinem & omnia expenderet; & tu, ingratiſſime homuncio! non ames JESUM pro tua ſalute ad crucis mortem condemnatum? Ut tu viveres æternùm, mortua eſt pro te heu vita æterna! tanti ponderis erant peccata tua; & lubet adhuc peccare, atque Chriſtum de novo morti tradere?

Joan. 19. 7.

Adrichom. in deſcript. Hieruſ. pag. 163. Cornel. in Matth. fol. 526.

Gal. 2. 20

Expende inſuper hic ſenſum doloroſiſſimæ Virginis Mariæ, quæ ut piè creditur, & plures Scriptorū aſſerunt, hanc condemnationis ſententiam præſens audivit. Heu quàm acerbum oportuit fuiſſe illum dolorem in tenerrimo CORDE MARIÆ, dum ex ore Judicis audivit hanc condemnatoriam ſenten-

Ambr. Spinol. in Med. apud me fol. 466.



Digitized by Google

tentiam: *Ego Pontius Pilatus JESUM cruci adjudico*, quod idem eſt dicere: Ego pulvis, terra, & nihil, Authorem vitæ, & Dominum cœli & terræ morti addico, & quidem morti turpiſſimæ crucis. Si commota ſunt omnia viſcera illius Mulieris, cujus Filium Regum prudentiſſimus præcepit, ut in duas partes divideretur; quid dicemus de tali ac tanta Matre, dum Romanus Judex contra omne fas & æquum, atque contra propriam conſcientiam in innocentiſſimum Filium mortis & crucifixionis tulit ſententiam? *Quis tibi tunc ſenſus, cùm cernis talia, Virgo?* O Angeli, advolate, ubi eſtis? Danielem è lacu leonum liberâſtis; Iſaacum à gladio parentis; Petrum è carcere, & manu Herodis; Tobiam à cete, & Aſmodæo; tres pueros è camino ignis ardentis; Juditham è manu Aſſyriorum; Loth ab incendio; Davidem à peſte, &c. Et ecce Creator veſter, DEUS & Homo Chriſtus, qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus, injuſtiſſimè ab impiiſſimis ſycophantis condemnatur & rapitur ad mortem? O Angeli, ubi eſtis? Quare non liberâſtis innocentiſſimum JESUM è manu peccatorum, & reddidiſtis eum dolentiſſimæ Matri ſuæ incolumem? Actum ago: Altum hìc factum eſt in cœlo ſilentium, & Angeli pacis omnes amarè flebant, quia in Conſiſtorio Divino ſtatutum erat, ut unus homo moreretur pro populo, ut non tota gens periret. Attende hic, anime mi, quanto pretio ſteteris: Excita igitur in te magnam in DEUM fiduciam, & in infinita Chriſti merita, ac roga pientiſſimum JESUM per afflictiſſimum COR SS. Matris ſuæ, ut non intret tecum in judicium, pro quo ipſe judicium mortis ſubire dignatus eſt.

3. Reg. 3. 25
Dan. 6. 22.
Geneſ. 22. 11.
Actor. 12. 7.
Tob. 6. 3.
Dan. 3. 95.
Judith. 12. 20
Geneſ. 19. 15.
2. Reg. 24. 16

6. Cùm Regina Saba ex Æthyopia Hieroſolymam veniens Salomonem in ſua gloria cerneret, ejusque præſens audiret ſapientiam, præ admiratione & ſtupore tantæ Majeſtatis extra ſe rapta eſt: *Non habebat ultra ſpiritum.* Ubi Eſther Regem Aſſuerum inſolita cum Majeſtate in throno ſuo conſidentem conſpexit, tremore perculſa, quaſi exanimata corruit: *Regina corruit, & in pallorem colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinavit caput.*

3. Reg. 10. 5
Eſther. 15. 10

Num B. Virgo & Mater doloroſa ubi JESUM dilectiſſimum Filium ſuum, Regem ſæculorum (qui plùs eſt quàm Salomon, aut Aſſuerus) nunc adeò deformatum, adeò dire tractatum, ſanguine perfuſum, & ad mortem crucis condemnatum vidit, animi deliquium paſſa ſit, certò non conſtat; ſubintrat tamen hìc S. Anſelmus: *Eſtne aliquis*, inquit, *qui queat percipere qualitatem pectoris ejus?* O afflictiſſimum COR MARIÆ, quis tuos hìc exprimet dolores? *Adſtabat MARIA*, ait Joannes Taulerus, *cùm eum Pilatus ad populum produceret, dicens: Ecce homo; ſed cujus poſſit animus capere, quis te dolor invaſerit, cùm eundem unicum tuum tam dire ligatum, tam ex verberibus, ſputis ſanguine miſerandum in modum deformem cerneres, ut penè hominis ſpeciem videretur amiſiſſe? Et quidem omnino veriſimile eſt, amabilem Dominum dulciſſimam Matrem ſuam, quàm potuit placidiſſimè, reſpexiſſe, quodque verbis nequivit,*

S. Anſelm. de Excell. Virg. cap. 5
Jo. Tauler. Exercit. vitæ Chriſt. c. 19

x Cant. p. 118. S. Laurent. Juſtin. lib. de agone Chriſt. c. 12.

*amicabili feciſſe aſpectu*: O triſtis aſpectus! *Mutuò ſe aſpicientes*, inquit Aſterius, *mutua ſibi fiunt ſpecula*; proinde haud immeritò S. Laurentius Juſtinianus illud SS. Cor Virginis clariſſimo ſpeculo paſſionis Chriſti, & perfectæ mortis imagini comparavit; ſicut enim ſi quis ſanguinolentus, vel vulneratus in ſpeculo ſe intuetur, idem ſpeculum illius hominis effigiem pariter ſanguinolentam vel vulneratam referre ſolet, ita in Corde doloroſæ Matris totus Sponſus ſanguinum vulneratus & cruentatus videre fuit. O anima Chriſtiana imitare doloroſam Matrem, & non aliud tibi ſpeculum propone, quàm *ecce homo*: Si tentaris, condemnaris, mortificaris, infirmaris, cruciaris, triſtaris, moreris, cogita *Ecce homo*: *Feciſti*, ait S. Drogo, *ô bone JESU, de Corpore tuo ſpeculum animæ meæ*, & quid eſt, quod non æquanimiter toleremus, ſi Chriſti paſſionem ad mentem revocamus? *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.*

S. Drogo. Ep. Hoſt. de Paſſ. — 1. Petr. 4. 1.

7. Interea milites, latâ & publicatâ mortis ſententiâ, optimum JEſum de loco illo ſublimi, ex quo circumfuſæ multitudini à Pilato in ſpectaculum proponebatur, de novo ſecum in prætorium rapiunt, in quo cum exutâ purpurâ, propriis induerunt veſtibus, jubilantibus interim & plaudentibus Sacerdotum principibus, Scribis & Phariſæis, quòd nunc è medio tolleretur ille, qui hactenus toties eorum taxabat, & corrigebat crimina.

Fratres Joſeph, licet barbari, inhumani & invidi, qui non aliud niſi cædem & ſanguinem innocui fratris ſui ſitiebant, ubi audierunt à Juda hoc conſilium: *Melius eſt, ut venundetur* (Joſeph) *Iſmaelitis & manus noſtræ non polluantur, frater enim & caro noſtra eſt*; ſine mora acquieverunt ad conſilium ejus, & motos iræ compoſuere fluctus: *Acquieverunt fratres ſermonibus illius*, eò quia frater & caro eorum erat. O quàm crudeliores & inhumaniores fuerunt Judæi erga Chriſtum, dum neque per ſanguinem Fratris ſui JESU ad aliquam compaſſionem & pietatem fuerunt permoti, ſed ſicut feri elephantes viſo ſanguine JESU ferociores facti ſunt? *Et elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium*; unde clamarunt & petierunt etiam in propriam perniciem: *Sanguis ejus ſuper nos*. O mitiſſime JESU, hoc & ego clamo & rogo, ſed alia mente & ſenſu, ut ſanguis tuus veniat ſuper me, non in vindictam, ſed in ablutionem peccatorum meorum; ſit mihi pretioſiſſimus ſanguis tuus à Spiritu Sancto formatus, & in paſſione toties effuſus, ille *funiculus coccineus in feneſtra*, qui, cùm, Jericho, hoc eſt, corpus meum de luto formatum, à morte brevi deſtruetur, me ad vitam & ad æternam perducat ſalutem, ut in ſanguine Agni dealbatus cum omnibus Sanctis & Electis tuis in æternum tibi cantare valeam: *Redemiſti nos DEUS in ſanguine tuo*. Hoc mihi exora, ô Mater doloris & amoris.

Gen. 37. 27. — 1. Mach. 6. 34 — Matth. 27. 25. — Joſue. 2. 18. — Apoc. 5. 9.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO XXXII.

## Mater doloroſa Chriſtum Filium crucis pondere onuſtum uſque ad mortem fidelis comes ſequitur.




Bajulans ſibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. *Joan.* 19. 17.

1. TRibus potiſſimùm ſtellis à SS. Patribus SS. Deipara aſſimilari aſſolet: *Matutinæ*, quia *quaſi ſtella Matutina in medio nebulæ* exorta eſt, Solemque Juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DE- Eccl 50.6.
US noſter, præcurrens optatum mundo diem tulit. *Maris*, ſeu ſtellæ transmontanæ, de qua Eccleſia: *Stella ma- S. Bernhard.
ris ſuccurre cadenti*; & D. Bernhardus: *Ne avertas oculos à fulgore hujus ſideris*, hom. ſuper
*ſi non vis obrui procellis*; *& Veſpertinæ*, quæ ſolem in ſuo curſu ad occaſum Miſſus eſt.
vergentem ſola & proxima ſequitur, proinde haud incongruè pro Lemmate tulit: *Comes fidiſſima Solis*; vel: *Sola cum ſole*; vel ſi mavis:

Sequitur deſerta cadentem.

Talis, inquam, Stella Veſpertina B. Virgo & Mater amoris ac doloris extitit, cæteris enim Diſcipulis ob metum in fugam actis, ſola ac deſerta myſticum ſuum ſolem, amantiſſimum JEſum, usque ad rupem Golgothæam & ad ſupplicii locum conſtantiſſimè ſecuta eſt; hinc peraccommodè B. Amadeus: *Curris*, inquit, *poſt JEſum, non tantùm in odorem unguentorum, ſed & in multitudine dolorum, non ſolùm in gaudio conſolationum, ſed & in abundantia paſſionum.* Plura de hac veritate in præſentiarum conſiderabimus.

B. Amadeus hom. 5. de laud. Virg.

2. Cùm Onias ſummus quondam in Lege Sacerdos, vir Deo & hominibus dilectus, ob templi Solymæi defenſionem, ne ab impio Heliodoro profanaretur, in ſummo verſaretur periculo, tota civitas trepidâſſe, & ad hoc ſpectaculum accurriſſe perhibetur: *Non modica verò per univerſam civitatem erat trepidatio: Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis Sacerdotalibus jactaverunt ſe, & invocabant de cœlo eum, qui depoſitis legem poſuit, ut his, qui ea depoſuerunt, ea ſalva cuſtodiret; jam verò qui videbat ſummi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur; facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem, circumfuſa enim erat mœſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus dolor cordis ejus efficiebatur. Alii etiam gregatim de domibus confluebant, publica ſupplicatione obſecrantes pro eo, quòd in contemptum locus eſſet venturus; accinctaque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant, ſed & Virgines, quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciebant; univerſæ autem protendentes manus in cœlum deprecabantur, erat enim miſera commiſtæ multitudinis & magni Sacerdotis in agone conſtituti expectatio.* O filiæ Sionidæ! ô animæ Chriſtianæ! accurrite omnes, & conſiderate cum doloroſiſſima Matre ſummi veſtri Sacerdotis nunc ad mortem condemnati vultum, non pretioſâ tiarâ ſed ſentibus redimitum, lacrymis perplutum, verberibus lividum, ſputis & ſanguine decoloratum. O Mater doloris & amoris, reſpice & tu in faciem Chriſti tui & noſtri. Ah hæccine, inquis, eſt facies illius, in quem deſiderant Angeli proſpicere, de qua ſcriptum eſt: *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis?* O mutatio dexteræ Excelſi! & ſi Sionidarum quondam mentes ingenti vulnerabantur dolore, dum Oniam magnum Sacerdotem in agone conſtitutum contemplabantur, & quid tu, mœſtiſſima Mater, ubi ſummum Sacerdotem, qui plùs eſt quàm Onias, dilectiſſimum Filium tuum, nunc aram crucis, in qua pro delictis omnium populorum non tam ſacrificaret, quàm & ſacrificaretur, propriis ac laſſatis humeris ad Calvariæ montem bajulantem, ſtans in platea juxta fontem præſens ſpectâſti? O bone DEUS, qualis hic mœror, qualis luctus? explicet, qui poteſt.

2 Mach. 3. 14.

Luc. 10. 23.

3. Videamus nunc crucis proceſſionem, quâ triſtiorem nunquam orbis conſpicatus eſt. Poſtquam ab ore iniquiſſimi Judicis ſententia mortis, quàm Judæi bibulis exceperunt auribus, in vitæ authorem prolata fuit, ſine

mora

Digitized by Google

mora omnia hujus feralis pompæ inſtrumenta parabantur: Ante prætorium jam ſtabat crux parata, & cum ea carnifices, clavis, malleis, forcipe, reſtibus, ſcalis, ligonibus, aceto, felle, vino myrrhato, & aliis ad crucifixionem neceſſariis inſtructi. Interim Dominus JEſus funibus vinctus, lacrymis perfuſus, ſanguine cruentatus, innumeris vulneribus ſaucius, ac velut Rex Judæorum ſcenicus diriſſimis ſpinis coronatus extrahitur, & ad conſpectum crucis ſiſtitur. O ſi vidiſſes, anime mi! quo tunc amore & tenerrimi animi deſiderio mitisſimus Redemptor tuus hoc ferale crucis patibulum, in quo te ab interitu redimeret, amplexatus, & deoſculatus ſit, quam mox propria ſponte in ſaucios humeros elevavit, non ſine pientiſſimis lacrymis ac gemitu, Patri ſe denuo pro mundi ſalute in victimam pacificam offerens: *Ita pater, quia ſic placitum fuit ante te.* Matth. 11. 26. O ſi tali quoque affectu & amore à DEO immiſſam nobis crucem acceptaremus, quàm citò ſancti eſſemus; ſed proh dolor! quàm multi nunc ſunt hujus mundi im̃undi comptuli, & delicati Chriſtiani, qui crucem quidem commendant, eamque ſummis extollunt laudum præconiis, imò & Sacratiſſimæ crucis Dominicæ particulam aut ſegmentum illius è collo ad pectus pendulum gerunt, eamque oſculantur, venerantur, & adorant, qui tamen, ſi vitam illorum conſideras, inimici ſunt crucis Chriſti, dum quotidianis eum peccatis de novo in crucem agunt. O Chriſtiani! quàm paradoxa ſunt iſta: Audite veritatem: *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth. 10. 38. Audis hoc?

Hæc inter, dum fit concurſus per compita, vicos & plateas, adornatur feralis illa proceſſio, in qua præcedebat quidam juſtitiæ miniſter funeſtam inflans tubam, ut adimpleretur illud Jeremiæ: *Sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: En iſta eſt dies, quam expectabamus, &c.* Threnor. 2. 16. Alius præferebat in pertica mortis cauſam, ſeu titulum in tabella candida ſtylo ferreo inciſum: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM, cujus litteræ minio, ſeu rubro colore erant tinctæ, tum ut terrorem mortis ſpectantibus incuterent, tum etiam ut poteſtatem Romani Præſidis oſtentarent. Poſt hæc ſequebatur ingens armatorum militum Romanorum, & equitum cataphractorũ agmen, ut, ſi fortè tumultus in populo ſuboriretur, illum arcerent, atq; compeſcerent. Hos proximè inſecuti ſunt barbari ſatellites, apparitores, lictores & carnifices, infima fæx hominũ, inſtrumenta ad tam cruentam lanienam requiſita geſtantes, & prout obſervat S. Anſelmus, lutum, ac lapides in Chriſtum projicientes. Tandem proceſſit circumcinctus tortoribus, propriisque veſtimentis, ut à circumfuſa populi multitudine agnoſci poſſet, indutus *Rex Regum & Dominus Dominantium,* Apocal. 19. 16. prægrandi crucis trabe, in qua necandus eſſet, onuſtus, & catenâ ferreâ in collo oneratus, atque duobus latronibus ſecum, crucifigendis ſtipatus. O Angeli pacis, quid, obſecro, tunc penſaſtis, quando Dominum veſtrum inter duos latrones medium tanquam eorum coriphæũ vidi-

Digitized by Google

Hebr. 1. 6. vidiſtis, qui inter duas Divinas Perſonas Patrem inter & Spiritum Sanctum medius eſt? Olim in cœlo illum ſubmiſſiſſima devotione adoraſtis: *Et adorent eum omnes Angeli*; nunc ab omnibus contemptum, & velut canem immundum impiiſſimorum homuncionum pedibus proculcatum cernitis? O 2. Reg. 20. 12. cœli obſtupeſcite! tantine ponderis peccatum eſt? *Amaſa* quondam *conſperſus ſanguine jacebat in media via*; hic ipſe DEI Filius præ defectu virium cruenta Iſa. 59. 14. ſub cruce humi prolabitur? Heu quomodo *corruit in platea VERITAS*? Ah tantine ponderis peccata mea ſunt? O lacrymæ? ubi eſtis modo?

4. O pientiſſima Domina! ô Mater amoris & doloris, ubi interim, dum hæc fiunt, commoraris? Et nunquid adhuc valedices Filio tuo, antequam moriatur, ſi non verbis, ſaltem nutu aliquo? Ita eſt, ô mi Lector! in hunc enim finem à turba, quacum hactenus ibat, pauliſper ſeparata, brevioremque viam per aliam plateam eligens, locum juxta fontem occupavit, ubi neceſſariò Filio erat tranſeundum; ibi ergo cùm ſtaret, & cum lacrymis, intimoque cordis dolore Dilectum ſuum vehementiſſimo deſiderio expectaret; ecce ſu- S. Bonavent. lib. meditat. vitæ Chriſt. cap. 77. & Suarez Tom. 2. in 3. p. diſput. 98. ſect. 2. bitò feralis aperta eſt ſcena: *Mæſtiſſimo Filio*, inquit S. Bonaventura, *mæſtiſſima Mater occurrit.* O triſtis aſpectus! ô lamentabilis occurſus! ô mœſtum vale! videre innocentiſſimum Agnum in medio luporum, exhauſtis jam omnibus viribus, immani crucis ponderi ſuccumbentem, & ſanguine ſuo ipſas Hieroſolymæ ſignantem plateas: Ah quis fando dicet, quo dolore ac mœrore piiſſima Virginis viſcera tunc fuerint diſcruciata? Certè uterque & Filius & Mater ex hoc mutuo aſpectu præ dolore & comiſeratione viribus defecerunt, ubi neuter ad alterum nec unum quidem verbum poterat effari. De JEſu dicitur, quod totus tremens & anguſtiis repletus, quaſi mox animam acturus, ſuper obvium fortè lapidem reſederit, proinde quia cernebant milites, eum ferendæ ulteriùs cruci imparem, angariaverunt Simonem Luc. 23. 26. S. Bernhard. lib. Medit. cap. 77. Cyrenæum, ut ejus crucem tolleret: *Impoſuerunt illi crucem portare poſt JESUM*; de doloroſa autem Virgine refert S. Bernhardus: *Cernens eum oneratum ligno tam grandi ſemimortua facta eſt præ anguſtia, nec verbum dicere potuit.* O animæ Chriſtinæ! audiamus ſaltem hujus dolentiſſimæ Matris COR loquens, dum lingua ejus præ dolorum multitudine in verba ſolvi non poteſt. Audite cœli, & obſtupeſcite; audiat terra verba oris ejus: *An meus iſte Filius? An* Vide R. P. Jodoc. Andries S. I. de perpet. cruce f. 75. *meus eſt?* Inquit Mater, *& DEus meus? DEus qui ſedet inter Cherubinos, hic incedit inter latrones? DEus qui adoratur in cœlo à millibus Angelorum, hic vilipenditur in terra à millibus hominum? DEus qui tribus digitis ſuſtinet molem terræ, hic velut imbecillis curvatur ſub cruce: DEUS qui omnibus benedicit, hic maledicitur ab omnibus? Hicne eſt unigenitus meus? Illene formoſus præ filiis hominum, cui jam neque ſpecies, neque decor? Illene Filius hominis, qui jam vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis? Illene Judex omnium, qui ab omnibus judicatus, & ad infamem crucem damnatus? Fluite lacrymæ, fluite, ne qua* 

*ceſ-*

Digitized by Google

*ceſſate aut die, aut nocte.* Ah fluite cum lacrymante doloroſiſſima Matre & meæ lacrymæ, fluite, fluite, ego enim omnium horum dolorum, anguſtiarum, cruciatuum cauſa ſum, quia peccavi in DEum meum. O ſi ſanguine meo fieri poſſet, ut non offendiſſem te, ô mi JESU! ô MARIA!

5. Sed nondum hic hujus luctuoſiſſimæ cataſtrophes & cruciatuum finis. Plùs ultra, ô mi JESU! ô MARIA! plùs ultra, ad montem myrrhæ & ad montem thuris, ibi magnum illud redemptionis noſtræ opus, quod vobis Pater impoſuit, perficietis: Progredere igitur, ô mi JEſu! ſed quid dico? Progredere? repit potiùs, quia vermis factus, pientiſſimus JESUS, quàm incedit; procedendum tamen eſt; ſequitur & Mater, Stella Veſpertina ſuum cadentem ſolem: *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod eſt Calvariæ locus*, ubi benigniſſimus JESUS per aſcenſum montis non patiebatur, ut notus ille Cyrenæus tantam crucis molem ſolus ad ſupplicii locum geſtaret, ſed ſponte ſuâ ſubjectis, licet crudeliſſimè dilaniatis humeris, anteriorem & majorem crucis partem portavit, Simone interim pedem crucis ſublevante. Et quid hæc inter omnium afflictiſſima & ſanctiſſima Matrum? Matth. 27. 33.

Vidi, dum ſtudiis excultioribus quondam Monachii Bavariæ Superioris Metropoli vacarem, tres una die Mercurii proles uncis manibus rapaces ad patibulum condemnatas, ad quod ſpectaculum ingens hominum turma, velut torrens affluxit, inter quos & junioris latronis Mater extitit, quæ ubi Filium ſuum ad ferale hoc theatrum progredientem animadvertit, repente viribus deſtituta vix non animam expiravit. ô Domina mundi! ô Mater amoris & doloris! quomodo poſſibile fuit, Chriſti Filii tui ſanguinolenta ſequi veſtigia, & inter latrones, qui incomparabiliter illo mitiùs habiti ſunt, ſolum innocentiſſimum Natum tuum trabale crucis lignum, in quo interficeretur, trahentem? Et quid, obſecro, tum temporis intervallo ſecum ruminabat afflictiſſimum COR Matris DEI? Ita mi Pater (ſuſpirabat ſecum) quia tu ita jubes: placet & mihi; acerbiſſimum quidem eſt hæc intueri, ac tam indigna pro indignis pati, placet tamen, quia tibi placet, proinde me totam in SS. COR tuum reſigno, paratiſſima unà cum Filio tuo, imò & meo, ſi non corpore, animo ſaltem crucifigi. Vade igitur, ô fili mi, & velut alter Iſaac porta ligna holocauſti ſuper unum montium, quem nunc Pater monſtrabit tibi. Gen. 22. 6
Vade in agrum, Abel innocentiſſime, in quo à perfidis Caini fratribus etiam ſine cauſa furcâ ligneâ occidêris. Vade, juſtiſſime Noeme, & per crucem tuam arcam mundo naufrago præpara, in qua in ſecundo diluvio ſalvetur genus humanum. Vade, ô mitis Agnelle, ad macellum & ad cruentiſſimam lanienam, in qua non lanam duntaxat, ſed & ſupremam ſanguinis ſtillam pro ſalute mundi dabis. Vade, manſuetiſſime Moyſes, Dux & Legifer noſter, ac virga SS. crucis tuæ non tantùm rubrum paſſionis mare divide, ſed & viam omnibus tuis fidelibus ad cœleſtem Palæſtinam pande. Vade, ô Fili David, Gen. 4. 8 Gen. 6. 14. Jerem. 11. 19. Exod. 14. 16. Iſa. 22. 22.

& clavem Regni tui porta laſſatis & luxatis humeris, quâ paradiſum, tot retro
Iſa. 9. 6. ſæculis occluſum, aperies. Vade, ô Princeps pacis, jam enim à primo conce-
Pſalm. 95. ptionis tuæ momento tibi à Patre inſinuatum fuit: *Et principatus ejus ſuper hu-*
10. *merum ejus*; habes, inquam, nunc principatum tuum, nam Dominus à ligno
regnabit. Vade denique, ô omne bonum meum! vade ad mortem, & quidem
mortem omnium crudeliſſimam, ſequar & ego te, quocunque ieris. Ethai
Davidem inter tot tribulationum fluctus conſtantiſſimè ſecutus eſt, faciam
2. Reg. 15. 21. & ego hoc: *Vivit Dominus meus, & vivit Dominus meus Rex! quoniam in quocun-*
1. Reg. 14. 13 *que loco fuerit Dominus meus, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit & Mater, imò & ancilla tua.* Armiger ille contempto omni mortis periculo ducem ſuum Jo-
natham ſecutus eſt per loca excelſa, per rupes præaltas, manibus ac pedibus
poſt Dominum ſuum reptans; ſequar & ego, & ſi præ virium laſſitudine in-
cedere ampliùs non potero, reptabo pedibus ac manibus ad Calvariæ rupem,
ut cum dilecto meo ſi non corpore, ſaltem animo patiar, & commoriar; &
Cant. 8. 6. quis me ſeparabit à Charitate JEſu? *Quis fortis eſt, ut mors, dilectio; aquæ mul-
ta hanc non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* O anime mi!
quid tu ad hæc & iſta? Si ferreus, ſi ſaxeus, ſi adamantinus eſſes? deberes ſal-
tem aliqua commiſeratione erga JESUM patientem & SS. Matrem ejus
compatientem tangi; & tu, ô miſer! adhuc ſtas immotus? Et dic, quæſo ſo-
des! ſi quis te ex tuis amicis à morte redemiſſet, manu una pro tua defenſione
perditâ, mutilusque per reliquum vitæ curſum permaneret, num ingenti te
illi profitereris obſtrictum beneficio? An non, quoties in tuum veniret con-
ſpectum, te ad aliquam ſaltem excitaret commiſerationem, & reciprocum
amorem? Anime mi! leva oculos tuos, & JESUM pro te graviſſimam cru-
cem bajulantem, ac SS. Matrem ejus ſequentem conſidera; quid pro tua ſa-
lute ultra poterant facere, & non fecerunt? O quantum debes Redemptori
tuo, ac SS. Virgini! gratias proinde illis ſummas repende, & in animo verè
contrito ac humiliato ad eorum pedes proſtratus, ingratitudinis, tuæ omni-
umque delictorum veniam ſuppliciter pete, &c.

6. Revertor ad te, ô Domina mundi! & quid appello te mundi Domi-
nam, cùm nunc ſis omnium noviſſima mulierum, quia Filius tuus noviſſi-
mus virorum? Dic tamen, ô Domina! obſecro te, an non in mentem tunc
tibi venerit illa Archangeli promiſſio olim in conclavi Nazarethano tibi fa-
Luc. 1. 32. cta: *Dabit illi Dominus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æter-
num, & regni non erit finis*? Nunquid cogitare, & Angelo ſalutis humanæ
nuntio nunc objicere poteras: Qualis hæc ſedes David? Quale Regnum in
domo Jacob? ſi Filius meus etiam quâ homo Regni Davidici legitimus hæ-
res eſt, quia Filius David, quare hunc legitimum hæredem hodie cum tanta
Matth. 21. 38. infamia ejecerunt extra civitatem: *Hic eſt hæres: Venite, occidamus eum, & habe-
bimus hæreditatem ejus; & apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occide-
runt*?

Digitized by Google

*runt*? Si promiſſum eſt eum in domo Jacob regnaturum, ubi hoc regnum? Ubi corona? Ubi ſceptrum? Ubi regalis purpura? Ubi majeſtas? *Ah vidimus eum, & non erat aſpectus: Deſpectum & noviſſimum virorum.* O domus Jacob! quomodo in te regnabit Filius meus, dum illum hodie coram Romano Præſide negâſti: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*? Quomodo ergo, ô mi Angele! hæc tua promiſſio verificatur? ita, inquam pretioſiſſima Deipara miſerando illo temporum intervallo ſecum in animo ratiocinari poterat. Sed magnum hic abſconditum eſt myſterium; alia enim ſunt Dei, alia hominum judicia; enimverò dedit illi Pater æternus ſedem & regnum David non temporale, ſed æternum, aſt non niſi per paſſionem & crucem obtinendum, in ligno enim oportebat Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, unde Eccleſia: *Regnavit à ligno Deus*; & Vates Regius: *Dominus regnavit à ligno*; quæ ultima verba *à ligno* impii Judæi crucis Chriſti æmuli dato ſtudio, ne à Chriſtianis convincerentur, ſuſtulerunt, ita S. Juſtinus & plures SS. Patrum; proinde ſenſus eſt, Chriſtum non vi, aut armis nec per publicam populi electionem regnum ſuum conſecuturum, ſed *à ligno* in domo Jacob, hoc eſt, in Eccleſia regnaturum, & per hoc in æternum in cœlo triumphaturum. Et hoc erat dolentiſſimæ Matri hujus Sacramenti non ignaræ unicum in tot adverſis ſolatium, proinde magno animo omnes cruces, paſſiones & adverſitates cum Filio ſuſtinuit; hinc rectè à S. Epihanio crux appellata eſt, cujus verba ſunt. *Dico ſanctam Virginem eſſe cælum, thronum & crucem.*

*Iſa. 53. 2.* *Joann. 19. 15.* *Pſalm. 95. 10.* *Vide in hunc Pſal. Tirinum & alios paſſim.* *S. Epiphan de Laud. Deip.* *Matth. 16. 24.*

Age hîc, quiſquis es ô homo Chriſtiane! & diſce, non eſſe ſatis ad ſalutem conſequendam, quòd Chriſtus nobis crucem portaverit, ſed inſuper oportet, ut & tu eam poſt Chriſtum feras, ita atteſtante veritate: *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Si Chriſtianus es, debes eſſe & *Crucianus*, tota enim vita Chriſti JESU & MARIÆ crux fuit & martyrium, ergo ſi DEUS te amat, tibi non aliam in cœlum viam pandet, quàm crucem:

Per crucem ad lucem.

# CONSIDERATIO XXXIII.

## In conſpectu afflictiſſimæ Matris Filius JEſus infami crucis patibulo affigitur.




**Poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum** *Luc. 23. 33.*

1. AD ſpectaculum hodie invitaris, anima Christiana, cui ſimile hactenus non vidit, nec ampliùs videbit mundus: *Spectaculum*, inquit Apoſtolus, *facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus*; ubi alludit ad perſecutiones & martyria Apoſtolorum, ac præſertim ad illos beſtiarios, primosque SS. Martyres, qui Romæ & alibi quaſi beſtiæ caveis incluſi in amphitheatro publico, ſpectante Imperatore & populo Romano, beſtiis objiciebantur; inter quos præeminet D. Ignatius, tertius poſt S. Petrum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui in perſecutione Tra-

1. Cor. 4. 9

Martyrol. Rom. 1. Febr.

Trajani damnatus ad beſtias Romam vinctus miſſus, præſente ipſo Trajano Imp. & circumſedente Senatu primô immaniſſimis pœnarum ſuppliciis affectus, ac tandem rugientibus leonibus in cibum objectus eſt, quorum dentibus præfocatus, & ut frumentum Chriſti, prout deſideraverat, comminutus, digna Chriſti hoſtia effectus eſt.

Verùm longè crudelius, longè immanius eſt iſtud, quod tibi hodie, anima Chriſtiana, exhibebitur ſpectaculum, de quo S. Lucas commemorat: Luc. 23. 48. *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur.* O tremendum, ô luctuoſum, ô cruentum ſpectaculum, videre JESUM, Agnum illum innocentiſſimum, DEI & MARIÆ Filium, in conſpectu afflictiſſimæ Matris & totius populi dentibus efferatorum leonum objici, & quaſi brutum excoriatum pro peccatis noſtris in infami crucis patibulo duriſſimis clavis affigi: *O cœli obſtupeſcite ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.* Jerem. 2. 12.

Moyſes olim pro ſpectaculo in publicis caſtris vaſtiſſimæ molis ſerpentem ex ære candente conflatū in alta furca adinſtar literæ T. fabricatâ, ingratiſſimo populo Judaico, à venenatis tunc anguium morſibus percuſſo, proponi curavit, ut in eum intuentes ab infirmitate & lue graſſante peſtifera liberarentur: *Quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur*, cui ſerpenti rectè pro Num. 21. 9. Lemmate inſcribes:

## Pharmacum, non venenum.

O bone JESU, ô Amor crucifixe! tu nobis per illum æneum ſerpentem præſignatus es: *Sicut Moyſes*, inquis ipſe, *exaltavit ſerpentem in deſerto*, Joan. 3. 16. *ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*; in qua pœnoſiſſima, ac doloroſiſſima exaltatione adimpletum fuit illud juſti Simeonis vaticinium: *Ecce poſitus eſt hic in ſignum*, Luc. 2. 34. *cui contradicetur, & tuam* (ô Mater) *ipſius animam pertranſibit gladius.* O anima Chriſtiana! veni unà mecum, aſcendamus cum hac doloroſiſſima Matre ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, & videamus viſionem hanc magnam, DEUM & Hominem pro ſalute noſtra cruci ſuffixum: *Non te pigeat*, ait Mellifluus Bernhardus, *videre ſerpentem in patibulo pendentem, ſi vis videre Regem in ſolio reſidentem*: Et S. Auguſtinus: *Fratres* inquit, *ut à peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur, quomodo, qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, non peribant; ſic qui intuentur fide Chriſti mortem*], *ſanantur à morſibus peccatorum.* Proinde non incongruè Poëta ille Chriſtianus: S. Bernhard. cit. à Cornel. in lib. Num. 21.

*Pharmaca ſunt potiùs, quàm vulnera Vulnera Chriſti,*
*Cura enim plagis vulnera noſtra ſuis.*



Digitized by Google

Luc. 23.33

2. *Poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum.* Et quis, obſecro, hìc non obſtupeſcat, pie Lector, quòd cuncti Evangeliſtæ hoc ſummum redemptionis noſtræ myſterium non pluribus, quàm duobus tantummodo verbis adumbrârint: *Crucifixerunt eum?* quare tam parci fuere hi ſacri Scriptores in deſcribendo hoc funeſtiſſimo, omnibusque ſæculis inaudito ſpectaculo, cùm nullus modum addat, quomodo DEI & MARIÆ Filius, an in jacente, aut in erecta cruce ſit clavis confixus? Reſpondet Simon de Caſſia, Salmeron & alii, quòd Evangeliſtæ præ verecundia, teneritudine & compaſſione animi tam horrendum ac luctuoſum facinus non potuerint pluribus explanare, vel dilucidare verbis, tremebat enim tunc, cùm arripuêre calamum, manus ſcribens, oculi madebant lacrymis, cor inſolito perfundebatur horrore, immò & ipſa penna rigebat ſtupefacta, ad conſignandum poſteritati tam indignum, tam cruentum, & luctuoſiſſimum ſpectaculum. Addit S. Bernhardinus, ita placuiſſe Spiritui Sancto, qui *ſic breviter ſcribi voluit, ut pia conſideratio, non expreſſa per atramentum, pia meditatione ad meritum Fidelium remaneret.*

Simon de Caſſ. & Salmeron. in hunc loc.

S. Bernhard. Tom. 1. ſer. 15. art. 4. cap. 3.

S. Anſelm. Dialog. de Paſſ. Dom. S. Laurent. Juſtin. de Paſſ. & alii. Barrad. Tom. 4. lib. 7. cap. 13.

Hunc crucifixionis modum multi cum SS. Anſelmo, Cyrillo, Leone, Laurentio Juſtiniano, & aliis meditantur in cruce jacente factam, in quam Salvator mundi à carnificibus proſtratus, ac ſupinus ſuper cruce jacens eidem clavis ferreis pluribus malleorum ictibus affixus eſt, quem exinde impii miniſtri Satanæ in altum elevatum in ſcrobem in rupe illa Golgothæa defoſſam, inhumanè dejecerunt, non ſine maxima cunctorũ membrorum concuſſione & dolore inexplicabili. Alii cum Barradio cenſent, manus pientiſſimi JEſu ligno humi jacenti affixas, pedes verò erectâ jam cruce eidem eſſe ſuffixos. Verumenimverò qui antiquiſſimos Patres conſulunt, & Romanum crucifigendi modum, à quibus & Chriſtus crucifixus eſt, attentiore mentis oculo conſiderant, expenſis rationibus, facilè in hanc declinabunt ſententiã, mitiſſimum orbis Reparatorem Chriſtum cruci jam fixæ, & humi depactæ, ac ſolidè in ſcrobe firmatæ in alto per ſcalas fuiſſe affixum, quia hic modus Romanis, prout benè obſervat Juſtus Lipſius, uſitatior, & ad majorem crucifigendi ignominiam, populique ſpectantis terrorem inſerviebat. Accedit & ratio, quia furca ſeu patibulum priùs erigi, & trabibus in terra firmari ſolet, antequam ſontes in eo ſuſpendantur; unde etiam provenit uſitatus ille loquendi modus: *In crucem agere, in crucem tollere?* In hunc enim finem Judæi ad Præſidem Pilatum ſucclamârunt: *Tolle, tolle*, & exinde primum: *Crucifige eum.* Quod Jacob Patriarcha in ſpiritu prævidit, dum moriens filio ſuo Judæ in perſona futuri Meſſiæ intimavit: *Catulus Leonis Juda ad prædam Fili mi aſcendiſti*; tunc enim Chriſtus tanquam Leo de tribu Juda ad prædam aſcendit, quando in cruce *tulit prædam Tartari.* Item Sponſus: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*; quibus aſſentit S. Mater Eccleſia, dum in oratione

Lipſius lib. 2. de cruce cap. 7.

Joann. 19. 15.

Gen. 49. 9

Cant. 7. 8

ne de Miſſa Paſſionis Domini, cujus initium: *Humiliavit*, ita orare aſſolet: *Domine JESU Chriſte, qui horâ ſextâ crucis patibulum aſcendiſti, &c.* Quibus adjungamus SS.Patres & cumprimis S.Gregorium Turonenſem, qui aſſerit, Chriſti pedibus ſuppoſitam fuiſſe tabulam: *Super hanc verò tabulam*, inquit, *tanquam ſtantis hominis ſacræ affixæ ſunt plantæ, &c.* S. Auguſtinus: *Aſcendit Sponſus noſter thalami ſui lignum, &c.* S. Bernhardus: *Exaltato in crucem perforantur manus & pedes Viri optimi benigni JESU.* Mitto S. Cyprianum, Joannem Chryſoſtomum, Gregorium M. Gregorium Nyſſenum in tragœdia, Nazianzenum, Nonnum, & quàm plurimos recentiores, &c.

S. Gregor. Turon. cit. à le Blanc. Tom. 2. Pſal. 21. v. 18.
S. Aug. lib. de fide ad Catechum.
S. Bernhard. Tractat de Paſſ. Dom. cap. 5.
S. Jo Chryſoſt in 1. ad Cor. 2.

O bone DEUS! quàm lugubre hoc erat ſpectaculum, videre JEſum nudum, vulneratum, ab omnibus deſertum, inter truculentas carnificum manus in conſpectu totius populi inſultantis ſcalas ſeu tabulationem juxta crucem erectam perreptare, ubi ſtans in pegmate facie in cœlum converſa ſe denuo Patri Cœleſti in victimam & holocauſtum totius mundi obtulit; ita Seraphicus Bonaventura: *Aſpicit in cælum, Patri dicens: Ecce hic ſum, Pater mi, usque ad crucem me humiliare voluiſti, pro amore & ſalute generis humani, placet, accepto, & pro eis me tibi offero, quos dediſti mihi, & fratres eſſe voluiſti; accepta igitur & tu, Pater, & deinceps placabilis eſto mei amore, & omnium maculas veteres abſterge, & elonga ab eis; Me tibi pro eis offero, Pater; &c.* O utinam mortales omnes hæc Chriſti patientis verba altiùs animo ſuo inſcriberent; ita nimirum par eſt, ut loquamur, præſertim ubi crux aliqua à cœlo nobis ſubmittitur.

S. Bonavent. lib. Meditat. vitæ Chriſti cap. 78.

3. Et quid interea dolentiſſima Mater? Penetrat illa immenſam turbam (tanta eſt vis amoris) & exadverſum cruci ſe collocat, ubi videret, & audiret omnia. O fortis Machabæa, quæ non ad montem Thaboræum ad gaudia, ſed ad collem Golgothæum luctibus & doloribus inundantem, ut unà cum Filio in anima crucifigeretur, aſcendit: *Super omnia autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna, quæ pereuntem Filium conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem, quam in DEUM habebat*: Proinde cùm vidiſſet dulciſſimum Natum tam probroſè nudatum, ei capitis ſui velum vel per alium ſubmiſit, vel potiùs ipſa, prout S. Anſelmo revelavit, lumbis patientis Filii ſui circumligavit; audi ipſam mœſtiſſimam Virginem loquentem: *Audi Anſelme, quod modò referam, nimis eſt lamentabile, & nullus Evangeliſtarum ſcribit. Cùm veniſſent ad locum Calvariæ ignominioſiſſimum, ubi canes, & alia morticinia projiciebantur, nudaverunt JESUM Filium meum totaliter veſtibus ſuis, & ego exanimis facta fui, tamen velamen capitis mei accipiens circumligavi lumbis ejus.*

2. Mach. 7. 20.
S. Anſelm. Dialog. de Paſſione.

O pientiſſima Domina! ſi Adam Protoparens noſter ob nuditatem ſuam adeò erubuit, ut in medio ligni paradiſi ſeſe abſconderet, ac nuditatem ſuam foliis ficûs contegeret. Si Noë nudatus in tabernaculo jacens ingenti vere-

Gen. 3. 7. Gen. 9. 21.



Digitized by Google

1. Reg. 10. 4 verecundiâ perfuſus eſt, ubi nuditatem ſuam ex aliis intellexit. Si Ligati illi Davidis ab Ammonitis turpiter raſi, & uſque ad lumbos denudati non auſi ſunt propter veſtes præciſas in publico comparere. Si Pater in filio prodi-
Luc. 15. 20 go non poterat ferre ignominioſam ejus nuditatem: *Citò proferte ſtolam primam*; heu qualis ac quanta oportet fuiſſe caſtiſſimorum pectorum JEſu & Mariæ erubeſcentia? O cœli quid agitis? Ubi veſtra ſunt fulmina? Ubi fulgura?
1. Reg 6. Ubi ſagittæ Potentis acutæ? Olim Bethſamitas ſubitanea morte percuſ-
Deut. 29. 6 ſiſtis, quòd arcam nudatam curioſiùs inſpexerint; & nunc arcam vivam impunè reſpiciunt tot improbi & ſceleratiſſimi mortalium? O impii, ô execrandi Deicidæ, nunquid Dominus *adduxit vos quadraginta annis per deſertum, & non ſunt attrita veſtimenta veſtra*, & hoc beneficium ita peſſimè DEI Filio recompenſatis? Omnes planetæ cœleſtes erga JEſum ignominioſiſſimè de-
Matth. 27. 45. nudatum ſuam exhibuêre compaſſionem: *Et tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram.* O impudici, ô libidinoſi, diſcite & vos verecundiam à verecundiſſimo JESU, non enim minima cauſa hujus probroſiſſimæ denudationis veſtra inſana libido extitit: audite Poëtam:

*Luce obiit Veneris; Veneris ſic turba! videtur*
*Cauſa DEI paſſi non minima eſſe Venus.*

4. Interim parantur clavi, mallei, funes, ſcalæ, titulus, & alia ad hanc cruentam tragœdiam neceſſaria. Juvat hìc rurſus audire doloroſam
Revel S. Birgitt. lib. 4. cap. 70. Matrem, ita ad S. Birgittam aſſerentem: *Erat autem crux fixa & brachia ejus elevata, ita ut nodus crucis inter ſcapulas eſſet nec ullum capiti reclinatorium crux præbebat, & tabula tituli utrique brachio ſuper caput eminens affixa erat. Ad crucem igitur juſſus dorſum vertit, & manum poſtulatus, primò dexteram extendit, & inde alia manus ad reliquum cornu non attingens diſtenditur: Et pedes ſimiliter ad foramina ſua diſtenduntur, cancellatique & quaſi infra à tibiis diſtincli, duobus clavis ſtipitem per ſolidum os, ſicut & manus erant, crucifiguntur. Ad primum igitur ictum ferientis malei ego ex dolore in extaſi ſio, & evigilans Filium meum confixum video, colloquentes etiam homines, alterum ad alterum audio: Quid hic fecit? furtum? rapinam? vel mendacium? aliis reſpondentibus, quod mendax eſſet. Et tunc corona ſpinea capiti ejus arctiſſimè impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguinis ex aculeis infixis decurrentibus in faciem ejus, & crines & oculos & barbam replentibus, ut quaſi nil niſi ſanguis totum videretur, nec ipſe me adſtantem cruci videre potuit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem, &c.* Huc uſque doloroſiſſima virgo ad S. Birgittam.

Conſidera nunc, anima Chriſtiana, utriuſque & Filii in cruce pendentis, &
Gen. 15. 5. afflictiſſimæ Matris juxta crucem ſtantis dolores: *Numera ſtellas, ſi potes*, Olim ad Abraham dictum fuit; & tu, anime mi, *numera plagas, ſi potes*, pientiſſimi

Re-

Digitized by Google

Redemptoris tui, & doloroſiſſimæ Matris ejus immenſos CORDIS dolores.
Aſpice venerandum JEſu crucifixi Caput mille puncturis ſpinarum ſaucium: 1. Petr. 1.
Vide Divinam ejus faciem, *in quem Angeli deſiderant proſpicere*, nunc cruore, 12.
livoribus & alapis deformatam: Intuere manus & pedes ferreis nunc clavis Gen. 2. 10.
crudeliter perforatos ex quibus quatuor illi paradiſi fontes promanant, qui-
bus orbis univerſus rigatur, & à peccatorum ſordibus abluitur. Expende
oſſa luxata, & membra omnia per extenſionem à ſtatione ſua mota: *Dinu-* Pſalm. 21.
*meraverunt omnia oſſa mea*; ac denique conſidera totum corpus ejus à planta 18.
pedis usque ad verticem capitis, & nil niſi unum vulnus videbis: dic nunc,
obſecro, quid ultra debuit tibi facere Salvator tuus & non fecit? O Chriſtia-
ne, qui hæc audis num etiam tu ex illis es, qui rurſum crucifigis tibimetipſi
Filium DEI & oſtentui habes? *Plures Judæi ſunt*, dicebat mitiſſimus Re- Hebr. 6. 6.
demptor de cruce ad B. Margaritham de Cortona, *qui me hoc tempore crucifi-*
*gunt, quàm fuerunt in die paſſionis meæ.* O lacrymæ, ubi nunc eſtis? Moyſes Vita 22. Feb.
*percuſſit petram, & fluxerunt aquæ*; & cor meum petra, & ſilice durius erit? apud Bolland.
Condolebant huic crucifixo Domino meo creaturæ omnes: *Angeli pacis* Pſalm. 77.
*amarè flebant*; Sol & luna & cuncta cœli ſidera à tam cruento ſpectaculo 20.
ſuos retraxerunt radios; obſtupuere ſaxa & rupes, ſepulchra & monumenta Iſai. 33. 7.
diſrupta ſunt; orbis univerſus horrendo terræ motu conquaſſatus, & qua-
ſi à ſuo centro convulſus eſt; & ego, heu ingratiſſimus peccator, ob amo-
rem meum crucifixum, toties à me offenſum, non doleam? O Domina! ve-
rè Mater amoris & doloris, hoc, quæſo, mecum agas, Crucifixi fige plagas
cordi meo validè; iterum rogo, ô Domina! ah *validè*.

5. Nondum à te diſcedo, ô mœſtiſſima Mater! de aquila referunt, quòd
non tantùm radiantem, ſed & eclypſatum ſolem irretortis oculis conſiderare
ſoleat, unde lemma: *Etiam cum deficit*; aut *Videndo non expleor.* O do-
lentiſſima Domina, quid dico de te? *Aquila* eras, & es etiamnum *magna-* Ezech. 17. 3.
*rum alarum*, quia multos ſub alis maternæ pietatis tuæ fovere ſoles filios: dic,
obſecro quàm immenſo gaudio identidem perfruebatur cor tuum, cùm dul-
ciſſimum Filium tuum *ſpecioſum formâ præ filiis hominum*, tanquam radiantem Pſal. 44. 3.
& myſticum juſtitiæ ſolem, poteras in vita intueri, ac contemplari? *cúmque* Revel. S.
*conſpicerem eum*, inquit ipſa, *& conſiderarem pulchritudinem ejus, anima mea* Birgitt. lib. 1. cap. 10.
*quaſi rorem præ gaudio ſtillabat.* Verumenimverò mutata nunc eſt ſcena, Pſalm. 30. 13.
ô pientiſſima! declinavit Dilectus tuus, & *factus eſt tanquam vas perditum*, Thren. 4. 1.
vulnus & livor, & plaga tumens eſt indumentum ejus, ah quantùm jam in
cruce mutatus ab ipſo eſt? *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color*
*optimus.* Hæc mutatio dexteræ Excelſi dulciſſimum COR tuum non tam
ſcindebat, quàm immenſo replebat dolorum pelago: *Eram*, ais ipſa, *ſicut mu-* S. Birg. lib. 2. cap. [illegible].
*lier pariens, cujus omnia membra poſt partum tremula ſunt*; ſtabas tamen, & juxta
crucem ſtabas à meridie usque ad veſperam, contemplans patientem, mori-



Digitized by Google

entem & eclypſatum juſtitiæ Solem, unde rectè prædictumLemma tibi applicare poſſumus: *Etiam cum deficit*; vel: *Videndo non expleor.*

Gen. 4.7 Hen 12. 9. Exod.12.7. Can. 5.10. Cant. 1, 15.

Nunc conſiderabas eum, ut innocentem Abelem, à perfidis Caini fratribus in agro Golgothæo occiſum, nunc ut Iſaacum ſuper ſtruem lignorum locatum, ut DEO in holocauſtum im̃olaretur; nunc ut Agnum Paſchalem & veſpertinum, veru ligneo crucis infixum, & Divino amoris igne aſſatum, de cujus ſanguine domorum poſtes aſpergebantur; nunc ut Sponſum dilectiſſimum, candidum, & rubicundum, candidum per ſum̃am innocentiam, & rubicundum per paſſionem; nunc ut floridum Nazaræum, cujus lectulus (aſpera crux) omni ſelectiſſimorum florum & virtutum genere erat exornatus. Denique conſiderabas hunc crucifixum Amorem & Filium tuum, ut Sacerdotem ſum̃um, & *Epiſcopum animarum noſtrarum*, ſolemnem ſuam, ſed eheu! quàm cruentam miſſam publicè extra caſtra in monte Calvario pro ſalute totius mundi celebrantem, cujus ara crux fuit; tiara corona ſpinea; calix, quem dedit ei Pater, myrrhâ felle & aceto miſtus; panem Judæi ei *in lignum* mittebant; veſtis Sacerdotalis caro virginea, ſed nunc conciſa, & ſanguine purpurata; annuli clavi ferrei; & pectorale SS. Cor apertum, ex quo ſanguis & aqua manabant: *Terra, pontus, aſtra, mundus, quo lavantur flumine.* O triſte, ô luctuoſum Sacrificium! *Chriſtus carnem*, ait Arnoldus Carnotenſis, *MARIA immolabat animam; optabat quidem ipſa ad ſanguinem animæ & carnis ſuæ adolere ſanguinem, & elevatis in cruce manibus celebrare cum Filio Sacrificium veſpertinum, & cum Domino JESU corporali morte redemptionis noſtræ conſummare myſterium; ſed hoc ſummi Sacerdotis ſolis privilegium erat.*

1. Petr. 2. 25. Arnoldus Carnotenſ. & Richard. lib. 4. de laud. Virg.

O anima Chriſtiana! quot modos, & quàm latiſſimum campum hìc habes cum doloroſa Matre de Crucifixo JESU cogitandi, & meditandi: Quis patitur? Quid patitur? pro quo? quare? quo loco? quo tempore? à quibus? quomodo? in quem finem? & quid tandem huic ſum̃o Benefactori tuo crucifixo JESU & SS. Matri ejus doloroſæ poſſis rependere? &c. Ah cogita!

CON-

BIBLIOTECA

# CONSIDERATIO XXXIV.

## Expenditur dolor & amor afflictiſſimæ Matris Filium ſuum in cruce ſuffixum contemplantis.




Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.

*Iſa.* 38. 14.

1. EZechias pientiſſimus Iſraelitarum Rex, cùm in graviſſimum ac lethalem morbum incidiſſet, & ab Iſaia nunc audiret: *Morieris tu, & non vives*, impenſiſſimè Deum 4. Reg. 20. 1.
pro ſalute ſua flagitare cœpit; quatenus ſibi ad aliquot adhuc annorum tractus vitam & ſanitatem ob ſpem prolis (ne catalogo generationis Chriſti ſcintilla ſua extingueretur) prorogaret; in quem finem aſſiduè, intentè & ex imo non tantùm ore, ſed & pectore gemebundus in cœlum ſuſpiravit, ut abinde auxilium impetraret

Iſa. 38. 14. in tempore opportuno; Audi ipſum loquentem: *Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum.* Et ecce dum laſſos ac moribundos ad cœlum levat oculos, ſolem aſtrorum Principem advertit in ſolario Achaz decem lineis per gradus retrorſum deſcendentem,& in gradu decimo,qui per crucem X. notari aſſolet, conſiſtentem: *Et reverſus eſt Sol decem lineis, per gradus, quos deſcenderat,* Vide hic, prudens Lector! quantùm potentiſſimus DEUS ſuos æſtimet ſervos, dum non ſol duntaxat, ſed & luna, omneſque orbes cœleſtes in gratiam hujus moribundi Regis retrogreſſi ſunt,quia aliàs totus ordo& harmonia cœleſtis fuiſſet perturbatus.

Iſa. 38. 8.

Pulcherrima eſt hæc figura, quæ Chriſtum, myſticum illum Juſtitiæ Solem, repræſentabat, decem lineis infra omnes Angelorum, hominumque choros, tanquam virorum noviſſimum, in paſſione ſua usque ad crucem X. deſcendentem, ad quem in umbra patiens ac moriens Ezechias jam tunc ſuos ſublevavit oculos, ut optatam per illius merita reperiret ſalutem. O Mater amoris & doloris! dic, quæſo, quomodo tibi Cordi fuerit, dum ſtans ad radicem crucis, laſſa ac gemebunda Solem tuum myſticum, amantiſſimum JESUM in Sanguine ſuo rubentem, & in cruce, decimo gradu occumbentem conſpicata, ac contemplata es? Nunquid cum Ezechia ægrotante tunc dicere poteras: *Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum*? Et revera, ô Domina! attenuati ſunt oculi tui adinſtar aquilæ, non radiantem duntaxat Phœbum, ſed & obnubilatum ac eclypſatum irretortis oculis conſiderantis, cum Lemmate ex Pſalmis Jeſſæi Vatis mutuato:

## Ad te levavi oculos.

Pſalm. 122. 1.

Pſalm. 24. 15. Ita eſt, ô pientiſſima! *oculi tui ſemper ad Dominum*, ac tunc præſertim, cùm in cruce pro omnium ſalute extremos perferret dolores! ubi *omnia excelſa ejus & fluctus ejus ſuper te tranſierunt*; ibi enim verificatum erat illud: *Abyſſus abyſſum invocat*; abyſſus videlicet paſſionis dilectiſſimi Filii tui abyſſum invocavit compaſſionis mœſtiſſimæ Matris ſuæ. O Mater! non Mater, ſed omnium afflictiſſimarum parentum infelix ſimulacrum! proinde non miror, quòd mitiſſimus orbis melioris Reparator Chriſtus ad dilectam Sponſam ſuam B. Veronicam de Binaſco, quæ ſolùm hujus Diviniſſimi Sponſi ſanguinum paſſionem meditari conſueverat, teſte Bollando hæc ſequentia dixerit: *Intellige, Filia mea, lacrymas paſſionis meæ gratiâ à meditantibus manantes, mihi quàm gratiſſimas fore: At cùm mei Genitricem, cœlorum Reginam, inexcogitato amore proſequar, gratior mihi eſt dolorum, quos in paſſione mea perpeſſa eſt, attenta meditatio.* Audis hoc, Mariane Lector! Et quomodo poteris *obliviſci gemitus Matris tuæ*? Ah quomodo?

Pſalm. 41. 8.

Pſalm. 41. 8

Bolland. 13. Joan. fol. 802.

Eccl. 7. 29.

In

*En Mater ſtat fixa loco, truncumque madentem*
*Sanguine perfundit fletibus usque ſuis.*
*Nunc lacrymis madidos convertit ad æthera vultus.*
*Nunc tenet in Nato lumina fixa ſuo.*
*Heu quid agat? maneat? prohibet dolor; inde recedat?*
*Fortior immotam ſub cruce ſiſtit amor.*
*Dure amor! has ſervas leges? ſic jungis amantes?*
*Quàm non ſunt regni molia jura tui!*

2. Perpetuâ memoria digna eſt ſancta illa, juxta ac fortiſſima Machabæorum Mater, quæ omnia tormenta pro Lege DEI à ſeptem filiis generoſo animo exantlata coràm & immota ſpectavit, quam proinde meritò Div. Auguſtinus ſum̃is laudum extollit præconiis, eamque ſeptemplicem Martyrem appellat: *Iſti ſinguli*, inquit, *in ſe ſentiendo, illa videndo in omnibus paſſa eſt. Facta Mater ſeptem Martyrum, ſepties Martyr: à filiis non ſeparata ſpectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes. Ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Verùm hìc obſerves, rogo, prudens & Mariane Lector! quod ſacer inſinuat textus: *Contigit autem & ſeptem fratres unà cum Matre ſua comprehenſos compelli à Rege, &c.* Adverte τὸ *compelli.* Ex quibus facilè conjicies, neque Matrem, neque filios ſponte propriâ ſeſe Regi Antiocho ad lanienam præſentâſſe. S. Auguſtin. ſerm. 109. in app. de diverſ.

Verùm longè major atque excellentior fuit illa animi fortitudo, amor & dolor afflictiſſimæ Matris DEI, dum non ſepties duntaxat, ſed plùs quàm millies Martyr extitit, ac tunc præſertim, quando vitam ſuam in cruce ante ſe pendentem à meridie uſque ad veſperam inumbrantem contemplata eſt: *Ibi ferebat in corde, quod Filius in carne.* Neque coacta, aut compulſa, ab humana vi, vel juſſa à Filio ad locum cruenti hujus certaminis feſtinavit, ſed ultro citroque cunctis periculis ac doloribus unà cum Filio pro ſalute humani generis ſeſe ſubjiciens, in medium turbarum ac ferociſſimorum ſatellitum usq; ad ipſas crucis radices penetravit, ubi ſtillicidium Divini cruoris ex hiantibus Nati vulneribus largiſſimè in terram promanans, non tam coram (heu quo animi cum luctu?) ſpectavit, quàm & ipſo pretioſiſſimo hoc cruore in velo ac veſtimentis abundè proluta eſt. O luctuoſum ſpectaculum! Mater & Filius; Filius & Mater! dolebat hæc omnium Matrum afflictiſſima, ac deſolatiſſima, Divinum illum Sanguinem, cujus pretium immenſum optimè noverat, velut inæſtimabiles margarithas ab immundis canibus & porcis conculcari, ac profanari; dolebat viciſſim & Filius, cùm Matrem videret in tanto ſupplicio: *Flebat Mater*, inquit Nebridius, *ob dolores Filii, atque effuſione lacrymarum irrigabat totum montem; flebat quoque pius Dominus ex compaſſione Matris, imberque lacrymarum mixtus ſanguine defluebat* Nebrid. in Faſc. Myrrh. cap. 11.

 in

Digitized by Google

Exod. 12. 7. *in terram de cruce ante faciem Matris.* Et tu, anime mi! quid agis? Quare non accedis cum hac dolentiſſima Matre ad pedem crucis, & pretioſas has lambis Divini cruoris ſtillas? Si quondam Sanguis ille Agni typici in Ægypto primogenita Iſraëlitarum à morte ſervavit im̃unia, quid poſſit ſanguis tam prodigè fuſus im̃aculati illius Agni pro omnium ſalute in crucis ara im̃olati? Roga igitur, iterumque roga hanc doloroſiſſimam Virginem: Ah Domina! unicam ſtillulam etiam pro me omnium peccatorum miſerrimo; ah Domina! quæſo, ne deneges mihi, licet clientum ac ſodalium tuorum infimo, hanc gratiam, ac tunc præſertim, quando in ſupremo illo judicio agetur de æterna animæ ſalute; Domina! unicam ſtillulam rogo, & ſufficit mihi.

Pſalm. 103. 24. Pſalm. 37. 12. Gen. 7. 16. Gen. 22. 3. Geneſ. 21. 17. Matth. 3. 17.

3. Ad te nunc humilis ſermo meus, ô Pater cœleſtis! qui *omnia in ſapientia feciſti*, & cuncta ſuaviter in ſuum diſponis finem; Quare, obſecro, voluiſti, ut dilectiſſimo Filio tuo in tragœdia illa tam cruenta, tam luctuoſa, tam funeſta, cùm ſalutem noſtram *in medio terræ* in cruce pendens operaretur, & Mater dolorum ſocia ei aſſiſteret? Noëmo pepercisti, includens eum in arca, ne generalem videret humani generis interitum: *Et inclusit eum Dominus deforis.* Cum Sara diſpensâſti, ut dum Filius ejus nunc erat in victimam tibi litandus, ipſa interim domi remaneret. Agar ob morientem in deſerto filium per Angelum ſolatus es: *Quid agis Agar? Noli timere: &c.* Et innocentiſſimæ Matri Filii tui, in quo, & in qua tibi ſemper benè complacuiſti, non parcis? Ad quid mitis hæc agnella inter cruentas luporum manus? Ad quid intemerata hæc Virgo hactenus ſolitudinis amantiſſima & publici ſemper fugiens in tanto rerum tumultu? Nunquid poterat in ſuo cubiculo mortem Unigeniti ſui materno affectu proſequi, & tibi æterno Patri pro humani generis offerre ſalute? O bone DEus! quàm lamentabilis hic erat aſpectus, ſuum videre ſanguinem de infami ligno tot vulneribus, tot patefactis defluere oſtiis!

Pſalm. 35. 7 Jo. Tauler. cap. 18. S. Bernhardin. Senenſ. Tom. 1. ſer. 55. art. 12. par. princ. cap. 3.

Adverte, anima Chriſtiana! *Judicia Dei abyſſus multa*, quia primus Adam peccavit in ligno, ſecundus & melior culpam luit, ac diluit in ligno; & quia Eva ex arbore prohibitum decerpendo fructum omnis noſtræ ruinæ inſtrumentum fuit, voluit benignus Deus, ut nova & melior Eva ſub arbore crucis repararet, quod priùs illa deſtruxerat: *Sicut Heva*, inquit doctiſſimus Taulerus, *uſurpans temerè de arbore ſcientiæ boni & mali, homines in Adam perdidit; ita tu de arbore crucis dolorem in te ſuſcepiſti, ſatiataque amaritudine, unà cum Filio tuo hominem redemiſti.* Et quia Chriſtus pro peccatoribus primariò in monte Golgothæo paſſus, crucifixus & mortuus eſt, æquùm fuit ac conveniens, ut & Mater, quæ eſt *Refugium peccatorum*, pro eis intercedendo ad crucem adſtaret. Mitto plures rationes. Audiamus S. Bernhardinum Senenſem: *Tota commigraverat*, ait de hac doloroſa Matre, *in Dilectum, & dum ille corpus, iſta ſpiritum immolabat. Sed quâ parte ſtabat Virgo juxta crucem? Utique ad ſiniſtram Chriſti, juxta Alexandrum de Ales, ſcilicet ut pro peccatoribus Filium exora-*

*maret, qui à ſiniſtris Domini ſunt.* O peccatores omnes, reſpirate, & in novam vos ſpem erigite: Maria facta eſt ſub cruce Refugium peccatorum, Conſolatrix afflictorum, Auxilium Chriſtianorum, Atlas mundi, Arca ſalutis & Civitas refugii; ite ad hanc Matrem doloroſam; & ſi faciem Chriſti Crucifixi, cujus interfectores fuiſtis, ob demerita veſtra pertimeſcitis, ite inquam, priùs ad Matrem, & hanc doloroſam, ut vobis viam paret ad veniam & ad æternam conſequendam miſericordiam: *Sicut pia Mater*, ſunt verba Richardi, *abſcondit Filium ſuum ſub pallio, quando pater vult eum verberare: Sic B. Virgo refugientes ad ſe Chriſti juſtitiam formidantes.* O pientiſſima Mater! quis non diligat te? Richard. lib. 12. de laud. B.V.

4. Et ſi ulteriùs libeat progredi, quare dolentiſſima Mater non eminus, ſed proxima Filio juxta crucem ſteterit verè cum Crucifixo crucifixa, perpendere oportet rationem, quam veritas in ſacro eloquio nobis inculcat: *Ubi*, inquit, *eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*; ſed quis magis dilectus atque gratior poterat eſſe theſaurus tantæ Matri quàm talis Filius? Ergo COR MARIÆ penitus in SS. CORDE JESU erat abſorptum, proinde à Dilecto ſuo abeſſe non poterat, etſi mille oportuiſſet eam ſubire neces, non tribulatio aut anguſtia, non fames aut ſitis, non periculum aut perſecutio, non gladius aut ignis, vel creatura alia illam ſeparare poterant à charitate DEI, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro. Matth. 6.21 Rom. 8.35.

Videntur mihi JEſus Crucifixus & cum eo in anima crucifixa Mater, ut duo ſpecula ſibi invicem oppoſita, quorum unum alteri ſolares ſplendores mirandâ prorsùs viciſſitudine reverberatos comunicat, adjecto Lemmate: *Alterum ab altero.* Vel ſi mavis: *Fertque refertque.* Ejusmodi mutua ſibi ſpecula erant JESUS & MARIA, dolorem & amorem ſibi invicem comunicantes: *Clariſſimum ſpeculum paſſionis Chriſti*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *effectum erat Cor Virginis, & perfecta mortis imago; in illo agnoſcebantur ſputa, convitia, verbera & vulnera Redemptoris.* O quis dicet, quo animi ſenſu hæc mœrentiſſima Virgo hunc crucifixum Amorem ſuum à meridie uſque ad veſperam in cruce pendentem fuerit contemplata? Noverat quippe, quis eſſet; quid pateretur; pro quo pateretur; in quem finem pateretur; & quòd *poſuerit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.* O quot pientiſſimos affectus hæc pretioſiſſima Mater tunc ſtans ſub cruce in DEum & Hominem Chriſtum eliciebat: Comiſerationis, gratiarum actionis, admirationis, amoris, fiduciæ, imitationis, &c. Nunc patientis & morientis Filii conſiderabat vultum, heu quàm lugubrem, lividum, ſaucium percuſſum, totum cruentũ, & ſpineo ſerto redimitum: Hæccine, intra ſe ſuſpirabat, eſt facies illa, in quam deſiderant Angeli proſpicere? O cœli obſtupeſcite! nunc manus ejus intuebatur, olim tornatiles, plenas hyacinthis & in omnes beneficas: *Et imponens manus ſuper illos, benedicebat eos.* Sed modo, ah quàm crudelibus terebratas clavis? S. Laurent. Juſtinian. de Triumph. Chriſt. ag. cap. 21. Iſa. 53. 6. Marc. 10. 16

Nunc

Nunc venerandos oculis luſtrabat pedes, triginta & ampliùs annis pro ſalute noſtra fatigatos, & ecce, qui ſidera & maria priùs calcare poterant, nunc trabalibus ſunt clavis perforati. Nunc totum corpus contemplabatur, ô ſpectaculum ſacro plenum horrore! & non niſi ſanguinem & unum vulnus cernebat: Et hiccine, inquiebat, eſt Filius meus? An meus ille Filius? Qui inter Cherubinos ſedet, nunc inter latrones pendet quaſi pecus excoriatum, & non
Iſa. 53. 3. eſt ei ſpecies neque decor; verè, ô mi JEſu! *noviſſimus virorum* factus es, *ver-*
Pſal. 21. 7. *mis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis.* Supra omnia autem hæc pientiſſima Mater Sacratiſſimum ac Diviniſſimum Cor JEſu meditabatur, illum amoris thronum, Divinitatis thalamum & librum Electorum (ô beati, quorum nomina in hoc libro vitæ ſcripta ſunt) ſed quid vidit mœſtiſſima Matrum? O Domina! claude oculos, ah claude, & noli fulminantem videre lanceam, quâ miles truculentus te præſente illud transverberabit.

O luctuoſiſſima Mater! qualis, obſecro, tunc tibi animi ſenſus? Quis dolor? Quis amor? Dicat, qui poteſt, & ego cum tibi explicabo. Et ſi S. Paulus de ſe affirmat, quòd per frequentem meditationem ſtigmata Domini JE-
Galat. 6. 17. ſu in Corpore ſuo portaverit, qui tamen Chriſtum patientem non viderat; quid de doloroſa Virgine dicendum, cujus COR unum cum CORDE JESU fuerat, quæ omnia præſens & coràm ſpectavit? Magnum ergo miraculum extitit, quòd hæc tenerrima Virgo non ad pedem crucis expiràrit; audi
S. Bernhard. in Cant. 5. Mellifluum: *MARIA quia plùs omnibus dilexit, ſingulare miraculum DEUS Pater in ea perpetravit, ideò etiam dixit ipſa Canticorum 5. Anima mea liquefacta eſt per incendium charitatis, ſicut metalla liqueſiunt per vehementiam ignis.* O bone JESU! ô Mater doloris & amoris! Ubi noſter in vos amor eſt? Ubi compaſſio? Ubi lacrymæ? Ubi vera contritio? Ubi ſeria vitæ emendatio? Ah quando tandem carnem noſtram cum vitiis crucifigemus? Si non compatimur, quomodo cum illis conglorificabimur? Audi, mi Lector! Crucifixum amorem tuum ad cor tuum de cruce loquentem:

*Aſpice me, quicunque refers cognomine Chriſtum,*
*Te propter volui hanc ſponte ſubire necem.*
*Ecce patent ferro diſruptis brachia nervis,*
*Confoſſum latâ cuſpide pectus hiat.*
*Planta ſuperfixo contunditur utraque clavo:*
*En regale caput ſpinea ſerta tegunt:*
*Plurimus è lacero diſcurrit corpore ſanguis,*
*Tabifica cervix ſparſa cruore nota:*
*Lumina liveſcunt, mortis tempore propinqua,*
*Lividus exſangui pallor in ore ſedet.*
*Quid ceſſas grato ſuſpiria ducere corde?*
*Ecce tua immerito hæc pœna luenda fuit.*



Digitized by Google

5. Recordor hìc illius Cherubini, quem quondam DEUS poſt expulſos ex horto voluptatis protoparentes noſtros cum gladio ignito atque verſatili ad fores paradiſi conſtituit: *Collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Supra quod pulcherrimè comentatur Doctor Seraphicus: *Ecce*, inquit, *aperta eſt janua paradiſi, & per lanceam militis gladius verſatilis eſt amotus.* Et hoc eſt, quod Dilectus ille diſcipulus Chriſti nobis inſinuâſſe videtur, dum ſcripſit: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Adverte τὸ *aperuit*, non vulneravit, ſauciavit, &c. Sed *aperuit* latus JESU adinſtar Januæ aut portæ, per quam omnes Chriſti fideles ad SS. Cor Redemptoris ſui apertum ac liberum haberent introitum, ad quem myſticum paradiſum (SS. Cor JESU) clavem doloroſa Virgo & Mater habet, ita rursùs idem Seraphicus: *MARIA*, ait *eſt clavigera cæleſtis*, per illam enim acceſſum habemus ad Filium, & à Filio ad Patrem. Sanctam Mechtildem conſulite, quæ cùm aliquando Sacram hiſtoriam de paſſione ſecundùm Joannem mente attentâ ac devotâ legeret, dum ad illa morientis Redemptoris noſtri verba pervenit: *Ecce Mater tua*, Crucifixum hunc Amorem ſuum impenſiùs rogare cœpit, quatenus & ſibi, ſicut quondam S. Joanni, hanc SS. ac doloroſam Matrem ſuam conſignaret. Attende mitiſſimum Cor JESU, mox annuit benignus orbis Reparator Chriſtus, & hanc SS. Matrem ſuam non duntaxat ei in Matrem legavit, ſed & voluit, ut ſingularem impoſterum Mechtildis curam haberet. Audiamus hìc propria Auctoris verba: *Illico*, ait, *Chriſtus tradit eam in manus Matris ſuæ: Mater, inquiens, mea, ego hanc tibi commendo, ut plagas meas, & quaſi ſaucius ante te jacerem, conante te iterum vulneribus meis mederi: Ad eundem planè modum opto te ejus curam ſuſcipere, eamque ſolari, ubi uſus feret. Iterum illam tibi commendo, tanquam mei pretium, meminiſſeque te velim, quanti illam feci, cùm ejus amore captus, pro ejus ſalute mortem crucis obierim. Denique eam commendo, tanquam cordis mei delicias & amores, cùm non ignores delicias meas eſſe cum filiis hominum. Tunc ad Chriſtum S. Mechtildis: Nonne hoc idem, ô bone Domine, præſtare velles quibuſcunque, qui id exoptant? Imo, reſpondit Chriſtus Dominus, neque enim acceptio perſonarum apud me eſt.* Si hoc ita eſt, prout in veritate ita eſt, quare ergo, ô peccatores! ad hanc SS. Matrem doloroſam non feſtinatis? Si Mater veſtra eſt, ubi reciprocus in illam amor? Audite pro coronide Jo. Berchmannum S. J. fama ſanctitatis notiſſimum: *Neceſſarius*, inquit, *cuilibet eſt, certus aliquis perfugii locus, in quo velut in aſylum ſe recipiat ſubitis adverſiſque rebus: Nullus autem tutior eſt ſinu, plagiſque ſanctiſſimis Chriſti, & pallio Reginæ cælorum, &c.*

Gen. 3. 24.

S. Bonavent. Tom. 5. Stim. amor cap. 1.

Joann. 19. 37.

In Specul. parvo.

Anton. Baling. in Callend. Mar. 26. Februar. Ex P. Georg. Rech. S. J. in Reg. Prud. Chriſt. p. 3. fol. 76.

Herm. Hugo in ejus vite part. 2.

# CONSIDERATIO XXXV.

## Mater Doloroſa inter Filium crucifixum & latronem, aliosque peccatores juxta crucem Mediatrix facta eſt.




**Deducit me in terram rectam.**
*Pſalm.* 142. 10.

1. THecuitis mulier illa prudens iratum quondam Davidem Iſraelitarum Regem cum Abſolone filio rebelle fratricida mirum in modum blandiloquentiâ ſuâ placavit: *Itaque cùm ingreſſa fuiſſet mulier Thecuitis ad Regem, cecidit coram eo ſuper terram, & adoravit, & dixit: Serva me Rex, &c.* Beatiſſima Virgo & Mater doloroſa, plùs quam illa Thecuitis, ſtans juxta crucem inter Filium crucifixum & Diſmam latronem media, inter utrumque quoque Mediatrix facta eſt, dum in extremâ vitæ periodo prædoni illi non duntaxat veniæ locum, ſed & paradiſum

2. Reg. 14. 4.

ſum per ſuam efficaciſſimam interceſſionem obtinuit. Ita Novarinus: *Sub MARIÆ umbra*, inquit, *ac tegmine fuit bonus ille latro, qui cum Chriſto pendebat in cruce, nam, ut multorum ſententia eſt: Virginis præcipuè precibus ad Chriſtum converſus eſt, &c.* Vide in hanc rem & Eminentiſſimum S.R.E. Cardinalem B. Petrum Damianum, qui in pluribus locis confirmat, latronem illum, qui Chriſto crucifixo à dextris erat, ope ac precibus doloroſæ Matris ad DEUM eſſe converſum: *Bonus latro*, ait, *reſipuit, quia Beatiſſima Virgo inter crucem Filii & crucem latronis poſita, Filium pro latrone deprecabatur.* Idem Paulò inferiùs, *Latro in cruce converſus: Sed cur non ante? Cur non reſipuit, cùm JESUM in via ſequeretur? cùm eum crucem ferentem vidit, & comitabatur? Tunc convertitur, cùm MARIA juxta crucem ſtabat: Tunc ex latrone factus eſt Martyr, cùm pro eo MARIA deprecabatur.* Novarin. lib. 4. excurſu 72. Num. 719. B. Petrus Damian. in ſerm. de hoc & paſſim. alii.

2. Videtur mihi hìc felix latro, ut Sciurus quidam, qui fluvium, aut ſtagnum trajecturus lignum arripit pro navicula, & bacillum pro remigio, quibus mediantibus, & aura proſpera aſpirante, feliciter ad alteram transvehitur ripam. Proinde haud incongruè huic naviganti Sicuro loco epigraphes illud ex Pſalmis Vatis Regii inſcribes: *Deducet me in terram rectam.* Ita, ſubintrat hìc D. Ambroſius: *Ubique latro diu oberrans, & naufragus, aliter ad patriam redire non poterat, niſi fuerit arbori alligatus.* Pſalm. 142. 10. S. Ambroſ. ſerm. 55.

Vel ſi magis arridet, pro Symbolo hujus veritatis adhuc magè dilucidandæ, hirundinem cantemplare, quæ ingruente dura hiemis ſtatione, in aliam ac remotiſſimam orbis regionem trans mare avolare aſſolet, & ne in emetiendo tantarum viarum ſpatio, labore ac volatu fatigata, in aquas decidat ſubmergenda, ſibi maturè de uno vel altero exiguo proſpicit bacillo, ſupra quo, volatu feſſa, tranquillo mari ſuſtentata, & velut in navicula remigans, aſpirante aura benigna, ſecura ad alterum immenſi æquoris portum appellit: hinc rectè ejusmodi hirundini pro Lemmate affiges:

## Ne mergar.

Ita bonus latro in cruce fecit, in qua, velut in cymba tutiſſima, ad optatum paradiſi & æternæ beatitudinis portum, aſpirante doloroſæ Matris gratioſa aura, transmeavit: *Inſtituit*, inquit S. Auguſtinus, *DEUS lignum, quo mare tranſeamus; nemo enim poteſt tranſire mare hujus ſæculi, niſi cruce Chriſti portatus.* S. Auguſtin. To. 9. tract. 2. In Joan.

3. Verumenimverò non ſolùm pro converſione Diſmæ latronis, ſed & pro omnium ſalute, adeoque etiam pro tua, ô mi Lector! dolentiſſima Virgo ſtans ad pedem crucis, imò etiam genibus flexis (prout obſervat S. Bonaventura cum aliis) DEUM Patrem impenſiſſimè orabat: *Pater dimitte illis.* Et licet im̃enſa tunc *repleta* eſſet *amaritudine, & inebriata abſynthio*: nobis tamen ſub cruce facta eſt quaſi favus diſtillans, & oleum effuſum, atque ve- S. Bonavent. In vita Chriſti P. Shall. S. J. con. 88. Thren. 3. 15. Apoc. 4. 3.

velut *iris in circuitu ſedis*; ſedes autem, ſeu thronus, à quo regnavit Dominus, non erat alius, quàm lignum crucis proprio Regis Sanguine purpuratum. O Domina! ubi ſtabas tunc? O quàm bene de te dixit & ſcripſit Orator ille Aureus, quòd calamitoſo illo temporum intervallo in rupe Calvaria facta ſis *Columba in medio accipitrum, ovis in medio luporum, lilium in medio ſpinarum, ſtella in medio nubium, germen juſtitiæ in medio iniquitatis*; nihiloſeciùs ſicut olim tempore Eliſæi præciſum lignum grave ex aquis ad ſe attraxit ferrum: *Præcidit ergo lignum, & miſit illuc, natavitque ferrum.* Sic tu, ô Pientiſſima! quæ à S. Damaſceno appellaris: *Lignum plantatum ſecùs decurſus aquarum*, ferreum latronem, aliosque innumeros peccatores per tuam interceſſionem de profundo lacu perditionis, velut graviſſimum ferrum ad te attraxiſti, qui latro exinde, atteſtante D. Hugone, in ſanguine & aqua, ex aperto crucifixi JEſu latere largiter profluente, baptizatus, & ab omni peccatorum ſorde mundatus eſt: *Sacratiſſimo Sanguine*, inquit, *latro ille aſperſus eſt, ideò in ictu oculi paradiſum intravit.*

S. J. Chryſ. hom. 2. de patientia. 4. Reg. 6. 6. S. Damaſc. de dormit. V. D. Hugo lib. de animar. regreſſ.

Zach. 13. 1. Hic adimpletum fuit illud Zachariæ: *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris.* Ubi obſerva, quòd Propheta hìc Chriſtum crucifixum ac plagatum non clauſum, ſed patentem fontem nominet, qui omnibus indifferenter proſtat, non latroni tantùm in cruce ad frugem redeunti, ſed & omnibus, ac quàm maximè peccatoribus, ut ex eo, ſi velint, aquam hauriant ſalutis.

Sed & doloroſa Mater fons eſt, patens omnibus Chriſticolis, non enim à Filii clementia, qui peccatores recipiebat, & manducabat cum illis, aliena eſſe debuit, vel potuit, utpote quæ gratiarum ac miſericordiarum fontem mundo peperit; proinde cum Diſma rectè ad eam currunt peccatores omnes, etiam deſperatiſſimi, qui, ſi verè pœniteant, per ejus interceſſionem veniæ locum gratiæ augmentum, & vitam conſequentur æternam; proinde rectè Melliſluus: *Tu*, inquit, *peccatorem à deſperationis barathro piâ manu retrahis, ſpei medicamen aſpiras, foves, nec deſeris; quouſque horrendo Judici miſerum reconciliès.* Diſce ergo, anime mi! ex omnibus votis, totisque cordis medullis venerari doloroſam Matrem tuam, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM.

S. Bernhard. ſerm 2. de Virg. Deip.

4. O Domina mea! verè Mater amoris & doloris, cui ulteriùs te aſſimilabo? *Lignum vitæ* es in medio paradiſi plantatum, qui ad te confugiunt, non lædentur à morte ſecunda. *Arca* Noë es, qui ad te recurrit, à diluvio peccatorum ſalvabitur indemnis. *Mons* ſalutis es, in quo tempore incendii & ſubverſionis Pentapoleos Loth ſervatus eſt incolumis. *Civitas refugii* es, ad quam confugiens peccator à Divinæ Juſtitiæ ira tutus latitat: *Peccator*, ait Richardus, *debet ad eam confugere, quia ipſa eſt civitas refugii. Murus & antemurale* es cunctis tuis clientibus, devotè te invocantibus, inter DEUM enim & nos Me-

Gen. 2. 9. Gen. 6. 14. Gen. 19. 17. Joſue. 21. 36. Rich. lib. 2. p. 3. Iſa. 26. 1.

Digitized by Google

Mediatrix es poſt Filium primaria, ne ob demerita noſtra æternùm nos puniat. *Luminare minus* es, quia Filius tuus luminare majus eſt, qui præeſt diei, Gen. 1.16.
id eſt, Juſtis; ſed tu, ô Beatiſſima! velut luminare minus præes nocti, Hugo Car-
*iſt eſt*, ait Hugo Cardinalis, *peccatoribus*. *Nubes* es fœcundiſſima, ardorem Solis dinal. hic.
Juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, tanquam ſupremi Judicis, mirè tem- 3.Reg.18.44. Eccleſ.24.19.
perans. *Oliva* es, non horti, ſed campi: *Quaſi oliva ſpecioſa in campis*, ad opi- Num. 20. 11
tulandum omni tempore, velut in patulo campo omnibus expoſita. *Virga* S. Fulgent.
*Moyſis* es, quæ ex petra, qui Chriſtus eſt, aquam produxiſti ſalutiferam, fon- lib. 4. My-
temque in vitam æternam ſalientem. *Atlas* denique es totius orbis: *Cælum* thcolog.
*& terra* ſubintrat hic S. Fulgentius, *jam dudum ruiſſent, ſi non MARIA precibus ſuſtentâſſet*. Periiſſet ſine dubio & Diſmas, latro ille famoſus & infamis, niſi per te apud dulciſſimum Filium gratiam inveniſſet. Periiſſem abſque dubio & ego peccatorum miſerrimus jam pridem, inter tot ac tanta conſtitutus pericula, niſi tu, Domina! me indigniſſimum ſervulum tuum tam benignè hactenus ſuſtentâſſes; quas ergo tibi, ô Virgo! poterò referre dignas gratiarũ actiones? O ſi tot vitas haberem, quot pro tua laude ſcribo caracteres, quàm lubenti animo eas pro tuo honore expenderẽ, & in ſanguine meo conſecrarem!

5. Sed nondum hìc benignitatis tuæ ac clementiæ finis eſt, ô pientiſſima Mater! Aſſuerus centum viginti ac ſeptem provinciarum Dominus, ut munificentiam ſuam in Eſtherem explicaret, ei dimidiam regni partem obtulit: *Quid petis*, inquit, *ut detur tibi? Et pro qua re poſtulas? Etiam ſi dimidiam partem regni* Eſther. 5.6.
*mei petieris, impetrabis.* Enimverò impetrabis? Qui tamen ex poſt facto nihil dedit. Ita & Herodes, qui Præcurſorem Domini decollari mandavit, in die natali ſuo Herodiadi Filiæ, impiæ ſaltatrici in præmium unius ſaltûs dimidium regni ſui pollicitus eſt: *Pete à me, quod vis, quia quidquid petieris, dabo ti-* Marc. 6.22.
*bi, licet dimidium regni mei.* Stat hìc attonitus Orator Aureus, quòd Rex ille pro S. Chryſoſt.
leviſſimo ſaltu dimidiam regni ſui partem laſcivæ filiæ præſentarit: *O infelix*, hom. 49. in Matth.
exclamat ille, *itane tibi mentis oculi cæcutiunt? Tanti regnum facis? Quid ſi ſecundò ſaltaverit? Poſtea tibi erit mendicandum.* Collige ex his, prudens Lector! modernum mundi ſtylum; adi àulas Magnorum & Illuſtrium, multa tibi promittent, & pauca ſervabunt: ita neuter Rex, licet poſterior promiſſum ſuum etiam juramento confirmarit, pactum ſuum ſervaſſe legitur. Sed longè fidelior eſt DEUS & Homo Chriſtus in promiſſis ſuis, dum ad inſtantiam & interceſſionem SS. Matris ſuæ latroni pœnitenti non dimidium ſed totum regnum ſuum promiſit, ac dedit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Luc. 23.43.
O cœli obſtupeſcite! latro ille pœnitens, immanium ſuorum non immemor ſcelerum, non auſus erat a Chriſto patiente petere: *Hodie*, ſed humiliter pro uno duntaxat *Memento* in hoc cruento Miſſæ Sacrificio, pro ſalute totius mundi oblato, ſummum Sacerdotem JESUM deprecatus eſt: *Domine, memento mei*; & ſine mora reſponſum ac promiſſum accepit: *Hodie*. O cœli obſtupeſcite,



Digitized by Google

dum per potentiſſimam Matris doloroſæ interceſſionem latro ille impius uno momento ex inferni titione paradiſi civis, ex inimico Dei amicus optimus & ex mancipio diaboli Angelorum ſocius cœlique hæres factus eſt. Sed dic, ô Domina! quid tunc ſtans juxta crucem animo volveris? Quid cogitaveris, dum hoc verbum omni ſolatio plenum à moriente Filio non fracta ſed ſonora voce prolatum percepiſti: *Hodie*? Credo, hanc Sacratiſſimam, juxta ac afflictiſſimam Chriſti Matrem tum temporis intervallo apud ſemetipſam ita in Corde ſuo altùm ſuſpiràſſe: *O mi JESU! ô amor crucifixe! ô omne bonum meum! ad parvulam petitionem meam huic prædonum ſceleratiſſimo non ſolùm omnia relaxàſti delicta, ſed & inſuper eum hæredem regni tui cœleſtis adſcripſiſti; ô quàm felix eſt iſte latro, quia tecum hodie in amœna paradiſi ſemper virentia intrabit: Et ego Mater tua manebo hic in doloribus? in ærumnis? in perſecutionibus? Ah quàm diu adhuc? O mi JESU! ô Fili mi! ah quàm diu? O quis mihi tribuat una tecum mori, ô vita mea? Veruntamen non mea, ſed tua fiat ſanctiſſima voluntas. Ita ô mi Domine! ita ô mi JESU! quia ſic placitum fuit ante te, placet & mihi afflictiſſimæ Matri tuæ; manebo ergo interim ſuperſtes Mater tua, ah non Mater ampliùs, ſed orphana, flentis ac deſerta infelix ſimulacrum.* O pie Lector! hæccine legis, & dolentiſſimè Matri non condoles? Quare non eam impenſiſſimè rogas? Ah Domina mea! ſancta MARIA! impetra, ah impetra & mihi clientum tuorum infimo ſimilem in agone gratiam, ut merear audire: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

5. Cæterùm inquirunt SS. Patres & SS. litterarum Interpretes, qualis huic bono latroni patria & religio fuerit? Aut Hebræus aut Gentilis extiterit? Altum hìc eſt Evangeliſtarum ſilentium, quibus ſufficiebat (ita Spiritu Sancto calamum gubernante) ejus ad Chriſtum tam mirabilem enarràſſe converſionem. Verùm S. Anſelmus exiſtimat, prædonem illum natione fuiſſe Ægyptium: & quia olim in illa fuga SS. Deiparæ, iram Herodis cum Filio declinanti, peculiare præſtitit beneficium, ideò aliquo modo meritum, ut pro ejus converſione tam impensè Filium ſit deprecata. Evergiſtus verò hujus opinionis eſt, latronem illum civem Nazaræum extitiſſe, atque Divæ Virginis patriotam, proinde SS. Deiparam ejus tam benignè eſſe miſertam, eique veniam & gratiam à DEO obtinuiſſe: *In domo*, ait, *habitabat latro, quæ domus B. Virginis vicina erat; & B. Virgo inter Chriſtum poſita inſtanter orabat pro latrone.*

S. Anſelm. ad ſororem. & Alphonſ. 1. de Vita Chriſt.

Evergiſt. Tub. S. Vincent. fol. 92

Quidquid ſit hac de re, aliis tamen longè probabiliùs videtur, ideo doloroſiſſimam Virginem huic bono latroni à Filio ſuo animum contritum, noxarum veniam ac paradiſum impetràſſe, quia ipſa præſens in Calvariæ monte imò juxta crucem audiebat latronem illum in conſpectu omnium publicè innocentiam Filii ſui in cruce defendere, ubi alii eum innumeris injuriis, blaſphemiis & opprobriis defatigabant: *Hic autem nihil mali geſſit.* Ideò ſubintrat hìc Joſephus Manſi, *quia ipſa eſt refugium peccatorum, ei à Filio ſuo petiit & impe-*

Manſ in Bibl. Tom. 3. fol. 1193.

*impetravit peccatorum remiſſionem, cunctaſque alias cœleſtes benedictiones.* Audiamus & Simonem Caſſianum: *Ipſe ſolus* ( loquitur de bono latrone ) *cum tacente Virgine confitetur, & in mæroribus tam horrendis ſocius fuit Virginis in fide, atque dolore, Chriſti confeſſor, atque ſuæ innocentiæ tutor.* Econtra ſubinfert S.Chryſoſtomus: *Petrus, qui claves regni acceperat, cùm gloria Regem in crucem actum videret, abjectis clavibus ſe conjecit in fugam: at latro cælorum reſerans januam, claves ipſe rapuit paradiſi.* Vide hic anime mi! ac conſidera, quomodo doloroſiſſima Mater vel minima quoque obſequia Filio crucifixo, aut ſibi præſtita, recompenſare ſoleat; proinde cole eam, ac venerare, quantùm potes, & ſenties in cunctis neceſſitatibus tuis opportunum ab ea auxilium. Audi pro tuo ſolatio auream Doctoris Seraphici ſententiam: *Domina noſtra*, inquit, *omnes diligit, omnibus ſuccurrit, pro omnibus intercedit, pro omnibus advocatam ſe fecit; nec ullum à charitate ſua ſecludit: propter hoc eſt luna aſſimilata, quia ſicut luna, quæ inter corpora cæleſtia & terrena eſt media, & quod ab illis accipit, ad inferiora refundit: Sic Virgo Regina inter nos & DEUM noſtrum eſt media, & gratiam ipſa nobis refundit.*

Sim. Caſſian. lib. 13.

S. Chryſoſt. orat. de infer. deſc. & latr.

S. Bonavent. Serm. 14. in Nat. Dom. Cant. 6. 9.

6. Hiſtoriam, ſi lubet, miram accipe. Virgo quædam dives ac nobilis (prout auctor eſt Michaël Sanchez de Ortega) hujus mundi vanitatibus pertæſa, ad Religionem S. Benedicti, tanquam ad ſecurum ſalutis portum, in Magna Britannia in Monaſterio nomine Fuercobain confugit, ubi per aliquot annos ob ſingulares virtutes ac merita omnibus conſororibus in amore & deliciis erat. Verùm antiquus ille ſerpens, qui olim Protoplaſtos fraudulenter circumvenit, hanc quoque Virginem variis dolis & modis, ac præſertim carnis tentationibus aggredi ſtatuit. In hunc finem juvenem quendam vultu ſpecioſum vafrum, & mundanis illecebris affabrè irretitum ſubmiſit, cujus cœco amore puella paulatim capta, & ineſcata, importuniſque ſuggeſtionibus carnalibus tandem victa ſtatuit adultâ nocte è clauſtris abitum parare, & poſtliminio ad ſæculum redire. Et ecce cùm jamjam conclavi ſuo egreſſa per templum ad amatorem ſuum properat, ac veterem quandam Crucifixi imaginem, cultu ac veneratione fidelium celebrem pertranſit, à doloroſa Matre in effigie ſub cruce ſtante hæc verba percipit: *Quò properas infelix? Cur pro dæmonio Filium meum abdicas?* Hæſit ad cœleſtem hanc vocem attonita miſera deſertrix, & cùm nihiloſeciùs tremebunda pararet effugium, audi rem miram. Illo temporis momento Chriſtus & hic Crucifixus in ſua effigie manum dextram à cruce ſibi revellit, qua clavum ferreum, quo affixa erat, fortiter apprehendit, & valido ictu in maxillam hujus deſertricis projicit, ac graviter ſauciat, quâ conſternata plagâ muliercula ſemianimis in terram collapſa, ad auroram uſque proprio natans in cruore jacuit. Hæc inter in Conventu ſigno ad preces matutinas dato, ſacræ Virgines ad templum deſcendunt, ubi has de cœlo voces audiunt: *Venite charæ ſorores, accipite veſtram Monialem, & de terra*

Mich. Sanchez Ortega de veſte nuptiali. Mancin. S. J. de Paſſ. fol. 715.

*leva-*

Digitized by Google

*levate, quam iſto vulnere ſauciavit Crucifixus ob peſſimam perfidiam ſuam, tam in ſe, quàm Matrem commiſſam.* Accurrunt omnes, & infelicem Sponſi cœleſtis deſertricem in ſanguine adhuc innatantem, ac cruciatibus penè confectam inveniunt, cui clavum ferreum de maxilla extrahentes, cruorem abluunt, plagam obligant, & ad cellam deportant, in qua non niſi poſt longas preces & amaram pœnitentiam gratiæ Divinæ & ſanitati priſtinæ reſtituta eſt. Cæterùm imago hujus miraculoſi Crucifixi brachium ac manum dexteram à cruce & clavo remotam in tanti prodigii memoriam adhuc in præſentem uſque diem ſic retinere dicitur.

Vide hîc, anime mi! ac perpende peculiarem, quàm doloroſa Mater ſtans ſub cruce huic deſertrici exhibuit, curam, dum eam, ne ad diabolum

1. Reg. 17. 34. tranſiret infelix, maternè ac ſeriò monuit. David quondam in aula Regis Saulis gloriabatur, quòd ex faucibus truculenti leonis & urſi raptas eruerit oviculas; ô quot doloroſa Mater peccatrices animas ex inferni & orci faucibus

Gen. 3. 8. hactenus eripuit? Teſtantur hoc quàm plurima diverſis in locis circa doloroſæ Matris ſtatuas ac imagines miſeris mortalibus exhibita beneficia. O Adam! prime generis humani parens, quàm rectè abſcondiſti te cum uxore tua à facie irati Numinis in medio ligni paradiſi; per illud enim lignum SS.

S. Ephrem. orat. de SS. Deip. Deipara adumbrata fuit, ita S. Ephrem, qui hanc Sacratiſſimam Virginem ſalutat: *Ave lignum vitæ, gaudium & voluptas.* O filii Adam! ſi ſecuti ſumus errantem, ſequamur & pœnitentem, & ad crucifixum JESUM ac doloroſam Matrem ejus, ne æternis deputemur ſuppliciis, magno animo curramus. Mater eſt: Et quid ultra requiris? à moriente JESU nobis per teſtamentum

Joan. 19. 27. legata eſt in Matrem: *Ecce Mater tua*; ad quid ergo ad illam accedere trepidas? Sed peccator ſum, dices? Et ego dico tibi, necdum deſpera, quia & ipſa

Luc. 15. 2. Iſa. 66. 13. *peccatores recipit.* Nunquid Mater Filiolum, ſi in terram ruit, benignè ſublevat ac conſolatur? Ita & Doloroſa Mater: *Quomodo ſi cui Mater blandiatur; Ita & ego conſolabor vos, &c.*

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO XXXVI.

## B. Virgo & Mater Doloroſa peccatorum & miſerorum ſingulare refugium ac ſolamen.




Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me. *Pſal.* 31.7.

1. RECtè Eccleſiaſticus: *Qui navigant mare, enarrant pericu-cula ejus, & audientes auribus noſtris admirabimur*, quæ, ac quanta ejusmodi navigantibus immineant rerum diſcrimina; proinde non aberravit ille à ſcopo, qui animam hominis Chriſtiani viatoris cuidam naviculæ, in mediis tempeſtatum fluctibus jactatæ, comparavit: *Per navim*, ait Hugo Cardinalis, *ſignificatur anima*, ſicut enim navis pluribus periculis in Oceano obnoxia & expoſita eſt, ne in rupes & ſcopulos, Charybdes aut Syrtes im-

Eccleſ. 43. 26.

Hugo Card. ex O. P. in Comment. in Script.

impingat, ne ventorum rabie, aut procellarum vi in certam perniciem devolvatur, ne in altitudine aut profundo maris funeſtum patiatur naufragium: Sic anima hominis Chriſtiani in hac vita mortali aſſiduis diſcriminibus, hoſtium inſultibus & tentationum fluctibus objecta eſt, donec tandem poſt longam & diurnam vexationem ad optatum ſalutis portum perveniat, ubi deinceps nullum ampliùs erit pertimeſcendum naufragium. Portus autem tutiſſimus, cunctisque patens mortalibus, poſt Chriſtum crucifixum B. Virgo & Mater doloroſa eſt, ad cujus miſericordiæ ſinum omnes in periculis & anguſtiis conſtituti, ne æternum animarum patiantur naufragium, securè confugiunt, quibus adinſtar Phari eſſe ſolet, in mari Ægyptiaco ad Nili oſtia nocturno tempore navigantibus, ne malus eos auferat error, per accenſam lucernam tutiſſimam ad portum viam commonſtrantis, cum inſcripto Lemmate; *Iter parat tutum*; vel potiùs;

## Errantibus una micat.

2. Diſmam latronem conſulamus, cum Chriſto orbis Redemptore ob
ſua graviſſima ſcelera in crucem ſuffixum, & tandem ultimâ vitæ horâ, poſt-
quam quadraginta annos juxta S. Leonem Papam in omni ſcelerum turpitu-
Luc. 23. 42. dine complevit, ad DEUM converſum: *Et dicebat ad JESUM: Domine
memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; unde, obſecro ſubintrat hic S. Au-
guſtinus, *hæc mutatio latronis dextera Excelſi eſt?* Mira fuit converſio Petri,
Luc. 22. 61. Chriſtum in atrio Caiphæ negantis: *Et converſus Dominus, reſpexit Petrum*,
Mira converſio Sauli in Paulum, ad quem Chriſtus de cœlo fulminavit:
Actor. 9. 4. *Saule Saule, quid me perſequeris?* Mira converſio Thomæ: *Noli eſſe incredulus,*
Joan 20. 27. *ſed fidelis.* Mira converſio Magdalenæ: *Et ecce mulier, quæ erat in civitate*
Luc. 7. 37. Matth. 27. 54. *peccatrix.* Mira converſio Centurionis: *Verè Filius DEI erat iſte.* Mira
Matth. 9. 9. converſio Matthæi: *Vidit hominem ſedentem in telonio, &c.* Mira converſio
Luc. 19. 5. Zachæi in Sycomoro: *Zachæe feſtinans deſcende, &c.* Sed longè mirabi-
lior converſio Diſmæ latronis extitit, cæteri enim vel Chriſtum audie-
bant prædicantem, vel videbant patrantem miracula; verùm hic latro nihil
ſimile audiebat, vel videbat, & tamen Chriſtum in ipſo infami patibulo
pendentem, atque atrociſſimum latronum ſupplicium ſuſtinentem, ut ve-
rum DEUM, ac ſupremum rerum omnium Dominum, in cujus poteſta-
te cunctorum mortalium ſalus pendet, non tam fide agnovit, quàm & il-
lum publicè ut Meſſiam, DEI filium, & Salvatorem mundi profeſſus eſt:
Luc. 23. 41. *Et nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: Hic verò nihil mali geſſit; & di-
cebat ad JEſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Quid ob-
ſecro, boni fecit hic latro, quòd momento uno in virum alterum, & ex ſce-
leſtiſſimo in optimum ac ſanctiſſimum fuerit commutatus?

Ad-

Digitized by Google

Advertit hìc beatus Petrus Damianus, Sylveira, Salmeron & plures alii, quòd B. Virgo ac doloroſiſſima Mater, utpote peccatorum omnium ſingulare refugium, ſtans juxta crucem, & cernens ac agnoſcens tunc latronem, utpote de Nazareth oriundum, ſeſe tanquam Mediatricem Filium inter & ipſum interpoſuerit; & quia quondam ſingulare SS. Deiparæ in Ægyptum ob Herodis rabiem fugienti beneficium præſtitit, eamque illæſam cum Puero in via dimiſit, ideò non immemor B. Virgo hujus obſequii pro ejus converſione & animæ ſalute efficaciter interceſſit, eique gratiam finalem à DEO impetravit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* O peccatores, quid agitis? Reſpirate & ad doloroſam Matrem veſtram ſub cruce ſtantem confugite, MARIA enim Mater veſtra eſt, etiamſi vos ſitis peccatores, ita ipſamet S. Birgittæ inſinuavit: *Mater ſum omnium peccantium, ſe emendare volentium.* Si igitur ab illa humiliter flagitaveris, ut pro tua ſalute DEUM oret, repulſam non patieris Filius à Matre: *Ecce Mater tua.*

(B. Petrus Dam. ſerm. de latr. Sylveira, Tom. 5. l. 8. cap. 16. §. 8.)

(Revel. S. Birg. lib. 4. cap. 138.)

3. Verùm ut hanc veritatem magis penetrare valeas; anime mi! ad id attende, quod enarrabo. Quærunt Sacri Doctores, quo in loco, & ex qua parte hæc compatientiſſima Mater ſteterit, dum amantiſſimus Filius plenus doloribus, plenus afflictionibus, plenus & ſaturatus opprobriis, inter latrones medius, tanquam ſceleratorum princeps & coriphæus, in patibulo crucis pendebat? Reſpondet Adrichomius in Deſcriptione Jeruſalem, in qua omnia paſſionis Chriſti loca graphicè depinxit, atque dimenſus eſt, B. Virginem cum S. Joanne, Magdalena & aliis piis mulieribus ſtetiſſe in loco, quindecim ulnis à cruce diſtante, tunc temporis, quando Chriſtus crucifixus eſt, ubi tota tremebunda, defixis in Crucifixum oculis, ejus cruentam paſſionem & agonem ſpectabat: Stetit autem, prout obſervat Mellifluus Bernhardus, hæc dolentiſſima Virgo ad partem ſiniſtram crucis: *Beata Virgo*, inquit, *pingi debet ad ſiniſtram crucis, id eſt, ad Aquilonem, &c.* Et quare hoc? Quia pars ſiniſtra, ſeu Aquilo, unde panditur omne malum, partem peccatorum deſignat, ad quam in ſupremo judicii die omnes reprobi ſtatuentur: *Et ſtatuet oves quidem à dexteris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Ut ergo hæc Sacratiſſima Deiparens demonſtraret, ſe eſſe peccatorum ad DEUM ſe convertere volentium fideliſſimam Matrem, omniumque afflictorum ſolamen tutiſſimum, idcirco in crucifixione JESU in Calvariæ jugo ſiniſtram peccatorum partem tenere voluit, pro quorum converſione & ſalute pretioſiſſimus Filius tanta ac tam indigna patiebatur; in quem finem illi in Sacro Cantico à Sanguinum Sponſo dictum eſt: *Paſce hædos tuos;* ſupra quod Guilielmus Pariſienſis: *Paſce*, inquit, *hædos tuos, quia eos, qui à ſiniſtris in judicio erant collocandi, tua interceſſione efficies, ut collocentur à dextris, &c.* O peccatores omnes, quid timidi eſtis? Quid dubitatis modicæ fidei? *Quare moriemini domus Iſraël? Revertimini & vivite*, adhuc gratiarum

(Adrichom. in deſcript. Jeruſ.)

(S. Bernhard. à Vanh. in Mar. f. 64.)

(Matth. 25. 33.)

(Cant. 1. 7.)

(Guiliel. Pariſ. hic.)

(Ezech. 18. 31.)

(Luc. 15. 2.)

Domina & Mater veſtra vivit, quæ & ipſa cum Filio crucifixo *peccatores recipit*; ite igitur ad hanc afflictiſſimam & doloroſiſſimam Parentem, eamque per Sacratiſſimum COR JESU dulciſſimi Filii orate, ut veſtris ſuccurrat miſerriis; non deſeret filios, licèt degeneres, hæc pientiſſima Mater, ſi in animo contrito & verè humiliato ad hunc gratiarum thronum acceſſerit: *Sileat*, ſunt verba Melliflui Doctoris, *miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.*

S. Bernhard. ſerm. 4. de Aſſumpt.

4. Jonatham & Achimam, cùm à facie Abſolonis, eos perſequentis, fugam arriperent, & nunc à puero proditi non haberent, quo ſe reciperent, Baguritha mulier defendit, quæ illorum calamitati condolens, eos prointerim in puteo ſollicitè abſcondit, & ne proderentur, aut videri poſſent, velum ſeu pallium ſuper os putei expandit, donec milites Abſolonis, eos fruſtra quærentes, per aliam viam ad caſtra ſua redire fuerint coacti: *Tulit autem mulier, & expandit velamen ſuper os putei, quaſi ſiccans ptiſanas, & ſic res latuit.*

2. Reg. 17. 19.

Gen. 27. 41.

Jacobum, cui frater Eſau poſt Patris obitum mortem intentavit: *Venient dies luctûs Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum;* Mater Rebecca incolumem ſervavit, dum eum in Meſopotamiam ad Labanum Fratrem ablegavit, quo in loco non tantùm furorem Eſau dexterrimè declinavit, ſed & ditior, variiſque locupletatus bonis temporalibus ſuo tempore in patriam rediit.

Mardochæum Hebræum & Judæos omnes in Suſan, jamjam per edictum publicum ad necem deſtinatos, Eſther Regina ſervavit immunes, dum pro ſalute eorum voluntariè ſeſe mortis periculo exponens, non vocata ad Regem intravit, & ab eo, quidquid voluit, impetravit: *Ingrediar ad Regem contra legem faciens vocata, tradenſque me morti & periculo, &c.*

Eſth. 4. 16.

Cant. 4. 6

Anima Chriſtiana! eamus *ad montem myrrhæ & ad collem thuris*, ubi ad ſiniſtram crucis longè benigniorem Matrem, ac protectricem inveniemus. Baguritha quidem Jonatham & Achimam velo ac pallio ſuo, ne in hoſtium manus devenirent, contexit; Rebecca Jacobum, filium ſuum, ab ira fratris Eſau mirè defendit; Ehſter addictum ſibi populum à morte vindicavit, & in libertatem tranſtulit, &c. Sed B. Virgo, ac Mater doloroſa clientes ſuos fideles non duntaxat ſub gratiarum pallio tegit, & miſericordiæ ſinu fovet, ſed & illos à facie irati Numinis per ſuam potentiſſimam interceſſionem mirè protegit, conſervat, atque ab inferni faucibus miſericorditer liberat: *Potentiorem*, ait S. Ildephonſus, *ad placandam iram Judicis invenire non poſſumus, quàm te, quæ meruiſti Mater exiſtere ejuſdem redemptoris & Judicis, &c.* Quam veritatem optimè agnovit Eminentiſſimus ille,

S. Ildephonſ. Serm. 9. de Aſſumpt.

Digitized by Google

ille, juxta ac Sanctiſſimus S.R. E.Cardinalis Carolus Borromæus, qui hanc Sacratiſſimam ac doloroſam Matrem ita quotidie exorare conſuevit: *Et tu, ô glorioſiſſima Mater DEI MARIA, dignare me vel unico aſpectu, ex iis, quos ipſa ſub cruce ſtans habuiſti, defigendo in unicum Filium tuum virgineos oculos tuos, ut ſuſcipias me in eorum numerum, qui tuis precibus & meritis in die judicii obtinebunt ſalutem & vitam ſempiternam.* Et tu, prudens Lector, quid ad hæc? Nunquid & tu hanc Sacratiſſimam & doloroſam Matrem variis obſequiis tibi reconciliabis, ut in mortis articulo eam reperias propitiam? Ex Orationibus S. Caroli Borom.

5. De Adonia referunt Sacræ Paginæ, quòd læſæ Majeſtatis reus ad altare templi, ejusque propitiatorium confugerit, cujus cornu cum fortiter manu teneret, nec ab eo vellet diſcedere, à ſapientiſſimo Salomone non tantùm commiſſi ſceleris veniam, ſed & vitam ac gratiam ob ſacri altaris reverentiam impetravit: *Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris; & nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce, Adonias timens Regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens; Jure mihi Rex Salomon hodie, quòd non interficiat ſervum ſuum gladio, &c.* 3. Reg. 1.50.

Obſerva, anima Chriſtiana, omnia hæc facta ſunt in figura, ſcripta ſunt autem ad correptionem & doctrinam noſtram, per quod altare ſanctus Methodius B. Virginem MARIAM intelligit, quam *Altare animatum* nominat, dum in Calvariæ monte in Altari Sacratiſſimi CORDIS ſui æterno Patri dilectum Filium ſuum, velut agnum immaculatum, in gratiſſimum holocauſtum pro peccatis totius mundi præſentavit, & obtulit. Ad hoc igitur Altare & Propitiatorium, ô peccator, qui pariter Divinæ Majeſtatis læſæ reus inveniris, cum Adonia accurre: hoc cornu ſalutis utraque manu fortiter tene, & inclama cum S. Bernhardo: *O piiſſima Domina, habe me tibi commendatum, ad te hodie, unica ſpes miſerorum, confugio plenus fiduciâ; noli ergo, ô piâ Mater! ſpernere me, propter eum, qui amore mei nudus & laceratus pependit coram te in cruce, &c.* S. Method. Orat. de Hypopante. S. Bernhard. ſerm. Sig. Magn.

6. Davidi quondam in diverſis conſtituto periculis, ac ſexcentis oppreſſo calamitatibus ſingulare ſolamen baculus & virga fuit: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Et quænam illa virga & baculus? Per baculum Hugo Cardinalis Crucem Dominicam ſubaudit, in cujus virtute Jacob Patriarcha quondam Jordanem (quod idem eſt, quàm flumen judicii) tranſivit: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum.* Per Virgam autem idem Cardinalis Beatiſſimam Virginem, Matrem amoris & doloris, intelligit, quæ Davidi jam tunc in umbra in calamitatibus exiſtenti peculiari ſolatio fuit. Pſal. 22. 4 Hugo Card. cit. à Blanc. in hunc loc. Gen. 32. 10.



Digitized by Google

S. Bernhard. ſup. Sig. Magn. Anime mi! ſi hoc olim in umbra, quid modò in veritate? *O felix MARIA*, inclamat S. Bernhardus, *tu Mater Regis, tu Mater exulis, tu Mater DEI, tu Mater Judicis, tu Mater DEI & hominis; cùm autem ſis Mater utriuſque, diſcordiam inter filios tuos ſuſtinere nequis*; neque permittes, ut Filius tuus, Dominus, DEUS, ac Judex noſter, filios tuos adoptivos, fratres ſuos ſecundùm carnem, in tenebras projiciat exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium: *Ideò*, ſubintrat hìc S. Joannes Chryſoſtomus, *tu Mater DEI prælecta es ab æterno, ut, quod DEUS ſalvare non poteſt per ſuam meritiſſimam juſtitiam, tu per tuam ſalvares pietatem & miſericordiam.* O pientiſſima, quis non amet te; Quod cor tam durum, quod non colat te? Non æſtimet te?

S. Chryſoſt. hom. in Hyp. Domini.

7. Cæterùm varii varias adſtruunt rationes, quare Chriſtus Dominus in cruce moriturus caput ſuum inclinaverit? *Et inclinato capite tradidit ſpiritum?* Alii morientes, prout quotidiana demonſtrat experientia, primò ſpiritum exhalant, & exinde caput versùs pectus inclinant, ſed moriens JESUS priùs caput ſuum inclinavit, & dein emiſit ſpiritum. Grande hìc latet myſterium, attentum te eſſe cupio.

Joann. 19. 30.

Caput inclinavit, ait S. Chryſoſtomus, *ut non neceſſitate, ſed voluntariè ſe mori oſtenderet.*

S. Chryſoſt. Hom. 48.

Caput inclinavit, inquit D. Athanaſius, *quia mors Chriſtum metuens, ad ipſum non audebat accedere, Chriſtus autem inclinato capite eam vocavit.*

S. Athanaſ. qu. 6. ad Antioch.

Caput inclinavit, ait Taulerus, *quo pacis nobis reconciliationiſque & amoris præberet oſculum.*

Tauler. cap. 96. de vita. & Paſſ.

Caput inclinavit, inquit Lanſpergius, *quia omnium peccata cùm portaret, eorum onere gravabatur.*

Lanſp. hom. 52. de paſſ.

Caput inclinavit, ait Gliſſandus, *ut oſtenderet, quòd moriebatur ex obedientia.*

Gliſſand. qu. 302.

Caput inclinavit, inquit Mallonius, & quidem ad occidentalem plagam, quaſi illam ſalutaturus, in qua Eccleſiam ſuam ſupra petram erat ædificaturus, econtra Judæis & Synagogæ dorſum oſtendit, quaſi diceret, ait idem Mallonius: *En popule meus, en pro te morior, ad quem caput inclino, &c.*

Mallon. de S. Sind. c. 20.

Caput inclinavit, ait Hugo Cardinalis, *quaſi ſupponens humerum ad portandum nos & onera noſtra*, erat enim fideliſſimus ille Paſtor, qui oviculam perditam ſollicitè quæſivit, & nunc in cruce inventam, humeriſque impoſitam ſalvam ad ovile ſuum reportavit, qui autem grave onus portat, caput inclinare ſolet; & quid graviùs peccato?

Hugo Card. in hunc loc.

Caput inclinavit, inquit S. Laurentius Juſtinianus, *ad miſericordiam, flexit ad gratiam, & inclinavit ad indulgentiam.*

S. Laur. Juſt. de Triumph. Agon. Chri. c. 20.

Ca-

Digitized by Google

Caput inclinavit, ait Salmeron, quaſi gratias egiſſe Patri videtur caput inclinando, pro venia peccatorum obtenta, pro victoria contra peccatum, diabolum, mortem, infernum ac mundum impetrata, & pro Patre placato, ac reconciliato mundo. Salmer. Tom. 19. tr. 46.

Mitto plures alias Patrum rationes, quare pientiſſimus orbis Salvator JESUS in luctuoſiſſima morte caput ſuum verſus terram inclinaverit, inter quas ad noſtrum propoſitum peraccommoda & optima illa eſt, quam aſſignat S. Vincentius Ferrerius: *Inclinato capite*, inquit, *quaſi vale diceret Matri, ſic emiſit Spiritum*; & Hugo Cardinalis: *Inclinato capite ex parte Matris ſuæ, quaſi diceret, per ipſam veniam petite; ipſa eſt oraculum miſericordiæ.* S. Vincent. in ſerm. de Paraſceve. Hugo Card. cit. à Finoti hic.

O peccatores omnes, reſpirate, Chriſtus moriens in cruce ſui loco MARIAM Sacratiſſimam Matrem ſuam vobis reliquit in peculiare refugium, ſolatium, & auxilium; ite ergo ad hanc doloroſam & compatientem Matrem veſtram. Si filius ille prodigus adhuc Matrem ſuam in vivis habuiſſet, nunquam ad talem calamitatem & miſeriam fuiſſet redactus; *& nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui?* Isa. 49. 15. Et ſi illa oblita fuerit? MARIA tamen, & Mater Doloroſa, verè Mater miſericordiæ, non obliviſcetur veſtri: *MARIÆ*, ita quondam DEUS Pater B. Virgini Catharinæ inſinuavit: *unigeniti Filii mei glorioſæ Genitrici à bonitate mea conceſſum eſt, propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicunque etiam peccator ad eam devota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmone infernali; hæc enim eſt à me electa, parata, poſita tanquam eſca dulciſſima ad capiendos homines & præcipuè animas peccatorum, &c.* Lud. Bloſius Conclavi animæ fidelis cap. 1.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO XXXVII.

## Cur B. Virgo & Mater Doloroſa à Chriſto in cruce non Mater, ſed Mulier appellata?




**Mulier ecce Filius tuus.**
*Joan. 19. 26.*

1. MAgnum illud humanæ ſapientiæ oraculum, prudentiſſimus Rex Salomon, multùm quondam allaboravit, ubi locorum, & in quibus terræ partibus mulierem fortem, virtuoſam ac ſtrenuam inveniret, cujus pretium ne quidem cum pretioſiſſimis gemmis ac margarithis, aut quidquid in orbe pretioſum eſſe poteſt, æquiparandum: *Mulierem fortem quis inveniet?* Et reſpondet ipſe ſibi Regum ſapientiſſimus: *Procul de ultimis finibus pretium ejus.*

Proverb. 31, 10.

Ve-

Verumenimverò quid agis, Rex inclyte? Quid quæris? *Mulierem fortem*, reponis? Non equidem opus eſt, ut ad ultimas Indorum oras, vel ad Heſperiam Thulem ultra Orcades ſitam te conferas, ad hanc fortem mulierem reperiundam; aperi pauliſper oculos, & propè urbem Solymam fortiſſimam hanc Mulierem in monte Calvario ſub cruce dilectiſſimi Filii ſui ſtantem invenies, *B. Virgo*, ait Cornelius à Lapide, *Mulier illa fortis eſt, imò heroina omnium fortiſſima, ac Martyrum Princeps & Regina*, quæ, dum orbis univerſus videbatur in antiquum abire chaos, & tota diſſolvi mundi machina, conſtantiſſimè tamen, & ad finem uſque fortiter ſub cruce ſtetit: *Amor*, inquit S. Mechtildis, *in paſſione Unigeniti ſui in ea tantùm prævaluit, ut omnem humanum affectum penitus devinceret, & extingueret, quia omni creaturâ in morte Filii dolente, ipſa ſola cum Divinitate immobilis, & gaudens Filium ſuum pro mundi ſalute voluit immolari.*

Cornel. à Lap. in hunc locum.

S. Mechtild. lib. 1. Revel. cap. 56.

Hanc ob cauſam à Chriſto JESU crucifixo non Mater, ſed Mulier appellata fuit: *Mulier ecce Filius tuus*, ut per hoc mitiſſimus Servator orbis omnibus creaturis, tum Angelis, tum hominibus innueret, hanc Sacratiſſimam Matrem ſuam illam eſſe fortiſſimam Mulierem, quam ſapiens in typo præſignavit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Audi rurſus Cornelium: *Dicit Chriſtus*, inquit, *Mulier, non Mater, ne nominando Matrem ipſius animam majori dolore afficiat. Secundo ne adſtantes Judæos & Scribas contra eam concitet, & ut Matrem ad fortitudinem & animum excelſum omnia hæc fortiter tolerandi excitet, memoremque faciat, ſe eſſe illam, de qua prædixerat Salomon: Mulierem fortem quis inveniet?* Proinde huic fortiſſimæ Mulieri non immeritò petram quandam pro Emblemate appingimus, quam feri maris fluctus ex omni parte cingunt, ac concutiunt, quæ tamen ſeipsâ fortior etiam inter medias ventorum fluctuúmque furias immota ſemper perſiſtit, cum epigraphe ex Pſalmis mutuata:

Joan. 19. 26.

Cornel. in Joan. 19. 26.

Non commovebitur.

Pſal. III. 6.

Ita eſt, non commota fuit hæc fortiſſima, juxta ac ſanctiſſima Mulier, licet in paſſione Filii morientis univerſus terrarum orbis fuerit concuſſus: *Perpende*, ait Toletus Cardinalis, *conſtantiſſimum B. Virginis erga Filium amorem, plenum fide & fortitudine, non enim timuit, nec erubuit inter tam feros & multos inimicos, quamvis Mater ejus, qui crucifigebatur, agnoſceretur, aſſiſtere, & publico in loco; omnibusque conſpicuo ſtare; &c.* O Mulier fortis! non forte vinum, non fortis Rex, non fortis Regina, ſed Mater Veritatis MARIA ſtans ſub cruce.

Card. Tolet. in Commentario ſuper Ioannem.

Eſdræ. 3. 10.

2. Per me licet: Extollat mundus fortitudinem Jahel, quæ Siſaram belli Ducem clavo ferreo per tempora ejus adacto, in tabernaculo ſuo dormientem occidit. *Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens*

Judic. 4. 21.

*pariter & malleum: Et ingreſſa abſcondite & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: Qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.*

Commendet orbis fortitudinem Judith, quæ impium Holofernis, Aſſyriorum Ducis caput in obſidione Bethuliæ ſecundo ictu ab humeris reſecuit, & ſic glorioſam ab hoſte victoriam & patriæ pacem impetravit: *Cumque evaginaſſet illum* (pugionem) *apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine DEUS in hac hora; & percuſſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus, & abſtulit conopeum ejus à columnis, & evolvit corpus ejus truncum, &c.*

Judith. 13. 10.

Laudent Thebani illius heroinæ ac civis ſuæ fortitudinem, quæ Abimelecho Regi & Sichimorum tyranno in obſidione Thebes fragmine molæ cerebrum comminuit: *Et ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.*

Judic. 9. 53.

Baptiſt. Fulgoſ. lib. 3. &c.

Celebrent Galli ſuam Joannam, Virginem Aurelianenſem, quæ non tantùm Aureliam civitatem ab arctiſſima obſidione liberavit, ſed & in multis certaminibus ac cruentis prælìis contra Anglos ſemper victrices lauros, & glorioſa trophæa reportovit, &c.

Elevent denique ſuper ſidera Judæi ſuam Eſther, Belgi ſuam Kennavam, Gentiles ſuas Amazones, Machabæi ſuam Salome, Romani ſuam Felicitatem, quæ verbo & exemplo ſeptem filios ſuos erudivêre ad crudeliſſimum Martyrium læto ac generoſo animo pro fide & Chriſto perferendum, &c. *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub unius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat, propter ſpem, quam in DEUM habebat.*

2. Mach. 7. 20.

Has & ſimiles heroïnas, per me, inquam, licet extollat, & admiretur mundus univerſus, earumque generoſa facinora ac inſolitas virtutes deprædicent nationes in generationes ſingulas; ſed cedant umbræ luci, cùm omnium heroinarum fortiſſima, & Martyrum Princeps ac Regina exiſtat B. Virgo & Mater doloroſa; ô verè Mater amoris & doloris, & agnitionis ac ſanctæ ſpei! audi Aloyſium Juglarem, qui in hæc verba Joannis: *Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus*, ita emphaticâ voce commentatur: *Deficiente DEO*, inquit, *cur mundus non omnino ruerit, cauſam attende: Stabat adhuc MARIA: Regendo mundo potuit iſta ſufficere.* O Mulier fortis, quæ ruente mundo unà cum Filio ſtabat juxta crucem immobilis, & quaſi, *columna in templo DEI.* Ideò meritò à Chriſto *Mulier* vocata eſt; ſupra quod iterum memoratus Aloyſius: *Deſcribere*, inquit, *Chriſtus miraculi magnitudinem voluit, cùm eam, quam debuiſſet Matrem, Mulierem dixit. Et titulo fragilitatis, amplificavit inſolentiam roboris, &c.* Audi & doctiſſimum

Aloyſ. Juglar. in Elog. Vit. Chriſti. Elog. 41.

Apoc. 3. 12. Juglar in Joan. 19.

mum Quareſmium: *MARIAM Virginem, ait, vocat Mulierem per excellentiam, ut oſtenderet eam eſſe Mulierem illam, de qua olim prædictum fuerat: Inimicitias ponam inter te, & Mulierem.* O Mulier fortis, quæ non duntaxat in ortu ſuo, ſed & tunc potiſſimum ſub cruce Acherontici ſerpentis contrivit caput. Quareſm. tom. 2 c. 5 ſect. 2. fol. 143. Gen. 3.15.

3. Cùm Moyſes Hebræorum Dux & Legifer virgam ſuam, ingentium prodigiorum operatricem, contra mare rubrum extendiſſet, mox aquæ in duo maris latera diviſæ ſunt, quæ quaſi duo muri ex utraque parte conſiſtebant, medium Hebræis tranſitum præbentes; & cùm præeunte Moyſe cæteræ adhuc trepidarent turmæ inſolito prodigio ſtupefactæ, primus omnium poſt Moyſen ingreſſus eſt Aminadab cum tribu ſua Juda, in qua principalior & Dux ipſe fuerat; hinc meritò tribus illa principatum meruit & regnum obtinere, ex qua tribu & ipſe Rex Regum Chriſtus ſecundùm carnem ſuam traxit originem. Exod 14. 22. Liran. hîc.

Non Moyſen Hebræorum Ducem, mare rubrum cum Virga ſua ingredientem, ſed qui per Moyſen præſignatus eſt, Chriſtum JESUM, virgam regni ſui, hoc eſt, crucem ſuper humeros bajulantem, & mare rubrum amariſſimæ paſſionis ſuæ intrantem hìc tibi exhibeo, anima Chriſtiana: *Paſſio Chriſti* inquit D. Auguſtinus, *eſt mare rubrum ſanguine Domini conſecratum*; venit, inquam, amantiſſimus JESUS uſque ad altitudinem hujus maris, & tempeſtas demerſit eum; prima, quæ eum ſecuta eſt, beatiſſima & dolentiſſima Virgo extitit, de qua meritò illud Regii Vatis dicere poſſumus: *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Moyſes facili conatu ſiccoque pede per illud mare rubrum viam in Palæſtinam reperit, quia ad inſtar montium & murorum ſtabant fluctus: Sed in hoc turbulento paſſionis mari omnes fluctus tribulationum irruerunt ſuper MARIAM, *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Et tamen ſtabat MARIA & juxta crucem dilectiſſimi Filii ſui; ô ſimilem Mulierem fortem quis inveniet? Hinc meritiſſimò omnium Martyrum Princeps & Regina facta eſt, cujus Martyrium omnium Martyrum tormentis ſuperius fuit: *Cùm alii Martyres*, ſunt verba Richardi à S. Laurentio, *paſſi ſint propter fidem, MARIA paſſa eſt propter charitatem, unde dicit in Canticis ſecundùm aliam litteram, quam ponit Gregorius: Vulnerata charitate ego ſum; & ſicut charitas major eſt, quàm fides; 1. Cor. 13. Major autem horum eſt charitas; ſic MARIÆ Martyrium quantalibet excellit Martyria Sanctorum.* Collige ex hoc, anime mi! immenſam quandam Cordis Mariani fortitudinem, & quam meritò à Chriſto moriente vocata ſit *Mulier*: O Mariophile! *Vides hanc Mulierem, quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem?* Sed audi. Sicuti in futuro ſæculo nihil beatius, quàm eſſe cum Chriſto & SS. Matre ejus in gloria; ita in præſenti vita nihil eſt utilius, quàm eſſe ſimilem in paſſione: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* S. Auguſt. in Pſalm. 80. Pſalm. 68. 2. Pſalm. 87. 8 Richard. à S. Laur. lib. 3. de Laud Virg. f. 196. Luc. 7. 44. Rom. 8. 17.

 4. Æter-

Digitized by Google

4. Æternâ memoriâ dignum eſt, quòd à probatis fideque dignis Authoribus de Alphonſo Hiſpaniarum Rege traditur. Hic à Maroccio Maurorum Rege in urbe Cartera, munimento fortiſſimo, longâ cingebatur obſidione, in qua & dilectus Alphonſi filius, unicum patris delicium, & poſteritatis ſolamen, neſcio, quo ſiniſtro fato, in aliqua excurſione in Maurorum poteſtatem devenit, quem Maroccius tyrannus ferreis oneratum catenis, funibusque ad palum alligatum ante obſeſſæ urbis portam exponi fecit, atque interim tubicinem ad Alphonſum Regem Carteram amandavit, ut aut civitatem traderet, aut filium intueretur barbarâ crudelitate trucidandum. Quid ad hæc Alphonſus Pater? Dum ex una parte dilectum filium, utpote regni paterni hæredem unicum, ſenectutis ſuæ baculum, & ſubditorum ſolamen maximum, ex altera verò communem civium ſalutem attentiore mentis oculo perpendit; mirum dictu! quantis tunc curarum fluctibus anxius Alphonſi animus agebatur! Reſolvit tamen citò ſe generoſa mens, & amorem paternum publicæ ſubditorum ſaluti poſtponens decernit, filium potiùs, quàm cives & ſubditos perdendos; in quem finem elevatâ voce ad hoſtes per mœnia clamavit: *Moriatur filius! cives vivant*; & unà ſimul gladium ſuum, quo erat præcinctus, è vagina extractum per muros in caſtra hoſtilia ad Maroccium projecit: Vociferans: *Meo gladio meum filium jugulate.*

Joan. Marianus lib. 5. de reb. Hiſp.

O factum cedro & perpetuâ hominum memoriâ digniſſimum! ſed altiùs nunc erigamus oculos, Chriſtiani. Per hunc Alphonſi filium, vinculis ferreis onuſtum, palo alligatum, & nunc pro ſalute civium cruenta Paganorum manu immolandum, quid aliud intelligere poſſumus, quàm JESUM Chriſtum, & hunc Crucifixum? Quid agit doloroſiſſima ejus Mater ipſa huic funeſtiſſimæ præſens lanienæ? ex una parte dulciſſimum & unigenitum Filium ſuum crucis palo alligatũ, ferreisque ſuffixum clavis conſiderat, & omnia in eâ materna commoventur viſcera; ex altera parte ſalutem humani generis intuetur, aut æternam illius ruinam, niſi Filii ſui morte ab infernalium Maurorum ſervitute redimatur. Quid ergo conſilii in re tanti momenti? O Mulierem fortem! gladium, qui ejus Sacratiſſimum COR jam priùs iteratis per vitam ictibus immenſo cum dolore transfixerat, generosè arripit, & ultrò, ut ita dicam, inimicis tradit: *Moriatur*, inquit, *Filius: Cives vivant: Meo gladio meum Filium jugulate.* O DEUM immortalem! quis unqum audivit tale, aut huic vidit ſimile? O amorem planè immenſum, quem hæc SS. Deipara erga genus humanum præ ſe tulit, dum Filium tradidit, ut peccatores viverent, & ſalvarentur. Audite S. Antoninum, ita hanc fortiſſimam Mulierem, juxta crucem Filii ſui ſtantem, alloquentem: *Ita* inquit, *Divinæ voluntati conformis fuiſti, ut ſalutis humani generis avidiſſima eſſes, ut dicere audeam, quòd ſi nullus fuiſſet repertus, qui illum crucifigeret, ad hoc ut ſequeretur ſalus hominum, & adimpleretur voluntas DEI ſecundùm rationem-*

S. Antonin. p. 4. tit. 15 c. 43. §. 1.

*nem, ſi oportuiſſet, ipſa poſuiſſet in crucem. Neque enim credendum eſt, minoris fuiſſe perfectionis & obedientiæ ad DEUM, quàm Abraham, qui proprium filium obtulit DEO in Sacrificium, propriis manibus occidendum, & comburendum.*

Verumenimverò non immeritò hìc quæres, prudens Lector, quare DEus & mitiſſimus orbis Redemptor Chriſtus hanc Sacratiſſimam Matrem ſuam in omni paſſione ſua, ac præſertim in ſuprema illa & funeſtiſſima mortis ſuæ tragœdia, quâ crudeliorem nunquam viderat mundus, præſentem habere voluerit, cùm aliàs in jure & Legibus cautum ſit, ne Matres ad ſimiles lanienas & publicas filiorum neces admittantur; quod & inſinuare videntur ipſæ Sacræ Litteræ, quæ mandant, ne ovis Mater ſimul cum agno ſuo immoletur: *Sive illa bos, ſive ovis, non immolabuntur una die cum fœtibus ſuis?* Lev. 22. 28.

Relictis aliorum opinionibus, pulcherrimam Tauleri rationem in medium adducamus. Eva, inquit, ad perditionem generis humani ut plurimùm cooperata eſt, dum vetitum ab arbore pomum decerpſit, & comedit, ſicque primum noſtræ ruinæ inſtrumentum & origo omnium humanarum miſeriarum extitit; Chriſtus ut damnum reſarciret, ad arborem crucis manus extendit, in qua per ſanguinem ſuum genus humanum reſtauravit: Verùm non ſolus in cruce pendere voluit, quin ſecum præſentem haberet & Matrem, ut illa per dolorum ſuorum amaritudinem id reſarciret, quod Eva priùs per inobedientiam deſtruxiſſet; unde canit Eccleſia: *Quod Eva triſtis abſtulit, tu reddis almo germine.* Audite & citatum Taulerum, ita doloroſiſſimam Virginem juxta crucem alloquentem: *Sicut Eva*, ait, *uſurpans temerè de arbore ſcientiæ boni & mali, homines in Adam perdidit, ita tu de arbore crucis dolorem in te ſuſcepiſti, ſatiatáque amaritudine unà cum Filio tuo hominem redemiſti.* Ad quod pariter alludit Mellifluus Bernhardus: *Vehementer*, inquit *nobis vir unus & Mulier una nocuêre, ſed gratias DEO, per unum nihilominus virum & Mulierem unam omnia reſtaurantur, &c.* O Mulier fortis! ô MARIA! quantùm tibi obligatus eſt mundus univerſus?

Taul. c. 18

S. Bernhar. in illud. Sig. apparuit.

6. De Iudith fortiſſima Muliere commemorant Sacræ Paginæ, quòd pro ſalute gentis ſuæ, ut patriam & cives ſuos ab arctiſſimo obſidio & excidio liberaret, animam ſuam evidentis mortis periculo expoſuerit; unde, cùm trucidato inimico, & partâ victoriâ in urbem rediiſſet, Ozias populi Princeps ei acclamavit: *Benedicta es tu, filia, à Domino DEO excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Dominus, qui creavit cœlum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum; quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini, in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubveniſti ruinæ ante conſpectum Dei noſtri.* Judith. 13. 23.

En perelegantem typum, in Sacratiſſima & doloroſiſſima Deipara, ſtante in monte Calvario, ne periret orbis, expletum! & certè nullibi B. Vir-



Digitized by Google

ginis MARIÆ invictum robur & ſpecimen fortitudinis magis apparuit, quàm ubi juxta crucem pendentis Filii ſtetit: *Stetit*, inquam *non cecidit* cùm univerſa mundi machina videretur diſſolvi; *Stetit*, ait S. Ambroſius, *juxta crucem, non ut Filii paſſionem videret, ſed ut mundi redemptionem exſpectaret*; & licet ærumnoſiſſima Mater illa cogitatione, & maternæ commiſerationis affectu planè tota in dolorum crucifixi JESU acerbitatem & vehementiam fuerit immerſa, ad paſſionis tamen fructus, & animarum ſalutem, per ſanguinem Filii reſtauratam, quàm maximè attendit, unde etiam pro peccatoribus (prout obſervat Doctor Seraphicus) ſub cruce poplite flexo ad Patrem cœleſtem oravit. Proinde meritò Eccleſia illi in Miſſa de ſeptem doloribus, ut quondam Bethulienſes Judithæ liberatrici ſuæ, accinere aſſolet: *Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini, in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubvenisti ruinæ ante conſpectum DEI noſtri.*

S. Ambroſ. cit. à Sandæo in Stauroph. lib. 2. Tit. 13.

S. Bonav in vita Chriſt.

S. Auguſt. ſerm. 18. de Sanct.

O pientiſſima Domina! liceat mihi indigniſſimo ſervulo tuo, ut cum S. Auguſtino, ſummo Eccleſiæ Doctore, te pro coronide hujus Conſiderationis humilimo cordis affectu alloquar: O beata MARIA, quis tibi dignè valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu jam tunc in incarnatione, ac tunc demum ſtans ſub cruce Filii mundo ſuccurriſti perdito? Quas tibi, obſecro, laudes fragilitas humani generis perſolvat, quæ ſolo tuo commerico recuperandi cœli aditum inveniſti? Recordare, ô Domina, quomodo ſteteris in monte viſionis ante conſpectum DEI, & totius populi, ut averteres indignationem DEI à nobis. O Virgo! ô Mater amoris & doloris! licet ob peccata mea meritus ſim, ut de libro viventium deletus æternis addicar ſuppliciis, tu tamen à DEO conſtituta es Mater miſericordiæ; monſtra ergo te eſſe Matrem meam, præſertim in ſupremo mortis articulo: Ah Domina! rogo te per Sacratiſſimum COR JESU Crucifixi Filii tui: Monſtra te Matrem. & tua deprecatione juſtum Judicem muta in Patrem, &c.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO XXXVIII.

## Virgo Doloroſa S. Joanni à Chriſto in cruce morien-te ſpeciali modo commendatur.




**Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.**

*Joann.* 19.27.

1. DAvid Iſraëlitarum Rex morti nunc proximus diverſa filio ſua Salomoni dedit monita, ubi inter alia & fidelitatem Berzellai, quòd in omni adverſitate ſibi conſtans ac fidelis permanſerit, emphaticè illi commendavit; & quia tum temporis intervallo Berzellai jam profectæ erat ætatis, voluit moriturus Rex, ut & poſteris ejus ac filiis idem honor haberetur: *Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua; Occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſolon fratris tui.* 3. Reg. 2. 7.

Non

Non Davidem in molli lectulo morientem hodie ad conſiderandum tibi propono, anima Chriſtiana! ſed Filium Davidis in duriſſimo crucis trunco expirantem, heu quàm diſſimilis utriusque lectus, vita & mors! ille moriens Berzellai fidem ſummis extulit laudibus; hic dilecti ſui Diſcipuli fidelitatem, amorem & conſtantiam: *Tu es, qui permanſiſti mecum in tentationibus*; proinde jure merito præ aliis Apoſtolis hoc pecculiari titulo honoratus eſt: *Diſcipulus, quem diligebat JESUS.* Et ut amorem ſuum pientiſſimus JESUS nunc in cruce moriens adhuc majori cum energia in eum demonſtraret, doloroſiſſimam Matrem ſuam, quâ nihil habebat pretioſius, illi tanquam fratri ſuo in Matrem, ſolatium ac præſidium deſignavit: *Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* O dilecte Chriſti Diſcipule! quomodo facta eſt tibi hæreditas tua præclara! Verè magnam in conſpectu crucifixi Magiſtri tui inveniſti gratiam, dum factus es hæres, ac filius talis ac tantæ Matris, imò & frater Filii DEI, gloria hæc ſola tua eſt, & illarum piarum mentium Chriſto crucifixo & doloroſæ Matri ejus fideliter inſervientium, ac cruci adſtantium.

Luc. 22. 28. Joan. 21. 7. Joan. 19. 27.

2. Sed dic, ô Domine! quare hanc Sacratiſſimam Matrem tuam non Petro, aut Andreæ, aut Jacobo, aut alii Dicipulorum tuorum commendâſti? Subintrat hìc B. Petrus Damianus: ***Committit*, inquit, *Dominus Petro claves Eccleſiæ, voluit & B. Joanni cuſtodiam MARIÆ delegare, utraque nimirum Mater, Mater MARIA, Mater Eccleſia, ſed MARIA Mater Chriſti, Eccleſia Mater populi Chriſtiani; de MARIA Chriſtus carnem ſuſcepit, Eccleſiam verò de lateris ſui carne produxit.*** Verumenimverò hìc advertas, rogo, prudens Lector! magnam inter utramque Matrem diſparitatem, ſicut enim Sacratiſſima Deipara longè dignior eſt Eccleſiâ, quia Mater DEI eſt, quæ dignitas juxta Angelicum aliquam habet infinitatem, ita & dilectus ille Chriſti Diſcipulus longè eminentiori gradu in hoc S. Petrum antecedit. Quare ergo non Principi Apoſtolorum aut alii Diſcipulorum hæc pientiſſima Mater commendata eſt? Rationem aſſignat S. Epiphanius: *Manifeſtum eſt*, inquit, ***quòd propter virginitatem Joanni Matrem commendavit Dominus.*** Et S. Ambroſius: ***Tradita eſt Virgo Joanni conjugium neſcienti.*** Hinc & Eccleſia: *Cui Chriſtus in cruce Matrem Virginem, Virgini commendavit.* O beata Virginitas! ô ſalutaris continentia! quanto in pretio apud DEUM & Hominem Chriſtum es, qui etiam in cruce moriens inter lilia paſci voluit. O anime mi! ſi vis B. Virginem habere in Matrem, imitare pro viribus S. Joannis puritatem: ***Et obviabit tibi quaſi Mater honorificata***; & ſicut in gemmarum republica princeps eſt adamas, eò pretioſior, quò purior, unde Lemma:

B. Damian. Serm. 1. de S. Joan. S. Epihan. hæreſi. 78. S. Ambroſ. de inſtitut. Virg. cap. 7. Eccl. 15. 2.

In puritate pretium,

Ita

Ita *continentis animæ non eſt digna ponderatio:* Gemma pretioſior omni eſt; impuros odit, & arcet hæc puriſſima Virgo: Caſta placent ſuperis; foris canes & impudici. Audite Mellifluum: *Virgo*, inquit, *diligit diligentes ſe, & prope eſt in veritate invocantibus ſe, præſertim his, quos videt conformes ſibi factos in caſtitate & humilitate, &c.*

Eccl. 6. 15
S. Bernhard. in ſerm. ſup. Salve.

3. Recordor hìc illius Ethani Gethæi, qui quondam Davidi Regià facie impii Abſolonis profugo, dum nunc clivum olivarum nudis pedibus & operto capite flens aſcenderet, ex induſtria occurrit, ei ſe ad eoſdem caſus & ærumnas, ipſamque mortem perferendam offerens: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus.* Plùs in S. Joanne, quàm in Ethai ſuſpice, qui non tantùm Dominum ac Regem ſuum ad clivum olivarum, ſed ad clivum Golgothæum, ubi erat cruci ſuffigendus, contempto omni mortis periculo & Judæorum odio ac opprobrio, cum affliĉtiſſima Matre fideliſſimus comes ſecutus eſt, quem ubi patiens JESUS ſanguineis oculis juxta crucem ſtantem vidit, priusquam Spiritum ſuum in manus Patris commendaret, hunc ſuum Dileĉtum in manus Matris ſuæ commendare voluit: *Mulier ecce Filius tuus.* Mulier dixit: *Ne materna pium laceraret pectora nomen*, ait Baptiſta Mantuanus. Tum ad Diſcipulum converſus ait: *Ecce Mater tua:* hanc proinde filiali amore obſerva, cole, ſolare, ama & cura, & ſiquid mihi debes, illi impende, quemadmodum à me vidiſti eam coli, amari & curari. Juvat hìc audire S. Auguſtinum: *Ecce Mater tua; curam*, inquit, *illius habe, eam tibi commendo, ſuſcipe Matrem tuam. Dum hæc pauca diceret: Illi duo dilecti lacrymas fundere non ceſſabant; tacebant ambo illi Martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant; iſti duo Virgines Chriſtum audiebant & voce loquentem, & ipſum videbant paulatim morientem, amarè flebant, qui amare dolebant: Nam gladius doloris Chriſti animas utrorumque tranſibat.* O ſi ſtylo ferreo hoc tertium Chriſti morientis Verbum intimis cordis noſtri medullis inſculperemus! ſecundùm exemplar illius Religioſiſſimi Viri, de quo recenſet Landulphus, qui, quotiescunque hæc verba: *Ecce Mater tua;* vel audiebat, vel meditabatur, totus ibat in lacrymas, quibus cibum & potum ſæpiſſimè miſcebat. Heu ubi noſtra compaſſio? Ubi noſtræ lacrymæ & animi contritio? Ubi verus & ſincerus amor erga talem Filium ac Matrem? O pientiſſima Domina! transfige cor noſtrum eodem & amoris & doloris gladio, ut affliĉtiſſimi cordis tui ſemper memores intimè tibi compatiamur, atque pro viribus in ſuſtinendis adverſis te imitemur. Ita fiat, ò Domina! ſed pergamus ulteriùs.

2. Reg. 15. 21.
S. Auguſtin ſerm. de paſſ.
Landulph. in vita Chr. hic.

4. Magnam ſibi laudem quondam promeruit adoleſcens ille generoſus, & armiger Jonathæ, qui Domino ſuo ultro ſeſe obtulit, ad quæcunque cum ipſo ſuſtinenda pericula: *Dixitque ei armiger ſuus: Fac omnia, quæ pla-*

1. Reg. 14. 7.

*cent animo tuo : Perge, quò cupis, & ero tecum ubique volueris.* Accidit, ut Jonathas peculiari inſtinctu DEI difficillimam contra Philiſtæos pararet expeditionem, ubi neceſſe erat per altas & præruptas petras manibus ac pedibus reptare. Et quid hìc adoleſcens? *Aſcendit autem Jonathas & manibus & pedibus reptans, & armiger ejus poſt eum;* qui exinde unà cum hero ſuo maximam Philiſtinorum ſtragem edidit, dum ipſi hoſtes mutuâ ſe cæde trucidârunt.

Per Jonatham Chriſtum ſubaudi cruce oneratum, & manibus ac pedibus per aſperrimam Calvariæ rupem reptantem, ut prælium cum hoſtibus ſuis, vah quàm cruentum conſummaret. Per armigerum rectè S. Joannem intelliges cum doloroſiſſima Matre Dominum ſuum in aſcenſu tam difficili conſtantiſſimè ſequentem, & inter medios & acerrimos hoſtes prorumpentem, nec eorum opprobria, tela, enſes & haſtas formidantem. Tanta vis amoris ſinceri eſt. O fideliſſimum amicum, de quo rectè illud ſapientis: *Omni tempore diligit, qui amicus eſt: Et frater in anguſtiis comprobatur.* In convivio Simonis & in cœna ultima nullus Diſcipulorum defuit; ſic nimirum ubi de patinis agitur, multos numerabis amicos, jam cùm pendet in patibulo mitiſſimus Magiſter, vix unus cohæret Diſcipulus & cum eo dolentiſſima Mater; dignus proinde, quia ſocius paſſionis, ut & Chriſti Frater fieret & Filius tantæ Matris. O verus *Benjamin*, id eſt, Filius doloris, quia ſub cruce tempore paſſionis & ſummi doloris genitus eſt: *Ecce Filius tuus.* Supra quod Guarricus Abbas: *Decebat* inquit, *ut Matri Domini non alius obſequeretur, quàm Dilectus Filii; quatenus & Mater ſemper ſuſpirans Filium, in Dilectum Filii ſuaviùs reſpiraret.*

Proverb. 17. 17.

Gen. 44. 20.

Guarric. Abb. ſerm. 4. de Aſſumpt.

Mirabitur nonnemo, quare Joſeph Ægyptiorum Pro-Rex, vir aliàs mitiſſimus, in fratres tamen ſuos adeò auſterus fuerit, & tanquam ad alienos duriſſimis verbis ſit illis locutus? aut forte non amabat illos? & quidem ſincero ac fraterno amore? cur ergo illos tam durè tractavit, ac præſertim uterinum fratrem ſuum Benjaminum, in cujus ſacco occultè calicem ſuum imponi, & velut furem ingratiſſimum eum comprehendi juſſit: *Scyphum autem meum argenteum & pretium quod dedit tritici, pone in ore ſacci junioris. Factúmque eſt ita.*

Gen. 44. 2.

Verumenimverò alia ſunt DEI, alia hominum judicia, ad hoc enim faciendum eum ſummus compulit amor, amabat quippe fratres ſuos, & ideò quia amabat, eos cruciabat, non ignorans, quòd in amore non vivatur ſine dolore; hinc & dilectiſſimo & innocentiſſimo fratri ſuo Benjamino omnium minimo calicem in ſaccum occultè mitti juſſit, quia eum ferventiùs quàm cæteros omnes diligebat: *Scyphum miſit*, ait S. Ambroſius, *ut fratrem, quem diligebat, piâ fraude revocaret: reum ſtatuit rapinæ, ut obſidem teneret gratiæ.*

S. Ambr. in hunc.

Di-

Dixi: Inter cæteros Apoſtolos S. Joannes Chriſto verus Benjamin extitit, & inter dilectos omnes dilectiſſimus, unde & in ſuprema illa cœna ob eminentem caſtimoniæ decorem eum in Diviniſſimo pectore ſuo recumbere fecit, ut ex hoc gratiarum fonte fluenta hauriret ſacri Evangelii & ſecreta Divinitatis. Sed & amariſſimum paſſionis ſuæ calicem ipſi præ cæteris omnibus propinavit, atque inter Apoſtolos primum Martyrem effecit, non tunc, quando calicem veneno myſtum ſine damno ebibit, aut in ferventis olei dolium miſſus eſt, aut ob invictam evangelizandi conſtantiam in Pathmos inſulam relegatus, ſed tunc potiſſimum paſſionis & martyrii calicem bibit, quando patienti JESU in cruce & afflictiſſimæ Matri ejus concrucifixæ adſtitit. Audiamus doctiſſimum Oſorium: *Crucifixus, inquit, fuit ejus gladius, hic eum Martyrem fecit, & idem doloris gladius, qui Cor MARIÆ transverberavit, ſcilicet Chriſtus in carne, hic idem Joannem Martyrem fecit; ô illuſtre martyrium! quem Chriſti dolores Martyrem effecerunt, verè calicem Chriſti bibit Joannes, dum Chriſti paſſione ipſe torquetur.* Valde igitur honorandus eſt beatus Joannes, quia Filio DEI dilectiſſimus, quia ei ſimillimus, quia Virgo in ævum permanſit; quia Chriſto patienti & doloroſæ Matri individuus comes; quia à moriente JESU in donum SS. Matrem ſuam accepit, quod ſummoperè ejus celſitudinem commendat; quia cum Matre doloroſa viginti duos circiter annos ſanctiſſimè converſatus, &c. Quas ergo referemus tanto viro gratias? Quid pro tot fideliſſimis SS. Deiparæ ac Dominæ noſtræ obſequiis impenſis? Et quid eſt, quod apud talem ac tantam Matrem nobis non valeat impetrare? Hinc rectè Arnoldus Carnotenſis: *Intueor ergo quadrigam, quà currendum eſt ad Patrem, ſic debere diſtingui, ut per te, ô Joannes! ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filium verò pertingere poſſit pœnitentis affectus ad Patrem.* Fac hoc, mi Lector! & vives.

> Oſorius; quem citat Vanh. in Panegyr. de hoc S.
>
> Arnold. Carnot. de V. D.

6. Revertor ad afflictiſſimam Matrem, jam non Matrem DEI, ſed Filii Zebedæi: *Mulier*, ait moriens JESUS, *ecce Filius tuus.* O duram ab exspirante tali ac tanto Filio conſolationem, omnium piarum mentium commiſeratione digniſſimam: *O ſermo*, ſubintrat hic Mellifluus, qui & ipſe hic deſinit eſſe melleus: *O ſermo penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad diviſionem animæ & ſpiritûs; quomodo ſanctiſſimam animam tuam non pertranſiret hæc auditio, quando hæc noſtra, licet ſaxea, licet ferrea pectora ſolâ recordatione franguntur: Mulier ecce Filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro JESU traditur, ſervus pro Domino, Diſcipulus pro Magiſtro, Filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero.* Et quid ad hoc mœſtiſſima Virgo? Audi ipſam ad S. Birgittam loquentem: *Tunc rupta ſunt omnia viſcera mea præ compaſſione Filii mei, &c.* Audiebat quidem vocem dulciſſimi ſui Jacob, vocem amabilem, vocem ſibi notiſſimam atque dilectiſſimam, & quidem nunc ſupremam: *Anima mea liquefacta eſt, ut Dilectus meus* locu-

> Joann. 19. 26.
>
> S. Bernhard. ſerm. ſuper Sig. Magn.
>
> Cant. 5. 6.

Zach. 3. 3. *locutus eſt.* Sed non aliud videbat niſi manus Eſau: *Et JESUS erat indutus veſtibus ſordidis*, tormenta enim, quæ patiebatur, illum mortis reum, ac peccatorum infamem indigitabant, vox autem inſontem declarabat Jacobum, Iſa. 53. 12 quia *ipſe peccata multorum tulit.* O luctus! ô mœror! ô dolor! magnus quidem erat S. Joannes, ſed tamen Filius DEI non erat, ſed Zebedæi piſcatoris. Verùm quia placuit Diviniſſimo Filio, placuit & doloroſiſſimæ Matri, quorum cor unum & anima una erat, hinc eum in Filium adoptivum lubenti animo acceptavit, & loco amantiſſimi Filii, quoad vixit, & in cœlum migravit, conſtanter habuit, cum quo ſæpius de Chriſti patientis & crucifixi doloribus, aliisque arcaniſſimis myſteriis peramanter conferebat: Et quis dicet, quantùm dilectus ille MARIÆ Filius ex quotidiana hac converſatione in virtutum ac ſcientiarum ſublimiſſimarum genere profecerit? B. Damian. in hunc loc. Juvat hìc pro reflexione morali audire B. Petrum Damianum: *Sicut*, inquit, *S. Joannes ſtans reipſa cum Virgine juxta crucem, eam à Chriſto in Matrem accepit; ita ſi meditatione frequenti illi ad crucem aſtiteris, idem te impetraturum eſſe confide.* Ex Vita S. Elzearii. S. Elzearium conſulamus, quem adhuc infantulum ad preces Garzendæ piiſſimæ Matronæ Chriſtus Dominus SS. Matri ſuæ, velut alterum Joannem commendavit: *Ne ſis ſollicita*, inquiebat Chriſtus ad Garzendam, *ego enim illum jam commiſi meæ Matri, eamque dedi illi in Magiſtram.* O quantus Diſcipulus ſub tali ac tanta Magiſtra! virginitatem in honorem hujus doloroſæ Virginis etiam in conjugio ſervavit illibatam, ferè aſſiduò per meditationem habitans in Vulneribus & CORDE JESU! ô utinam omnes, qui Chriſtiano gloriantur nomine, hanc doloroſam Virginem in Matrem eligerent, ſimul & Magiſtram, ejuſque ſalutaria monita ac doctrinam audirent: Prov. 8. 34. *Beatus*, inquit ipſa, *qui audit me; qui me invenerit, invenerit vitam.*

7. Mirabilis fuit illa viſio, quam quondam Jacob de via feſſus, capite ſuper lapide inclinato, placidam captans quietem habuit, ubi prodigioſam illam ſcalam ſuper terram ſtantem, atque cacumen ejus cœlos tangens, Angelos quoque per eam aſcendentes & deſcendentes, ac denique ipſum cœli terræquæ Dominum huic ſcalæ innixum conſpicatus eſt, ex qua viſione mirum in modum confortatus, & inſolitâ lætitiâ perfuſus, de ſomno evigilans Gen. 28. 16 exclamavit: *Vere Dominus eſt in loco iſto, &c.*

Plura in hac pereleganti figura abſcondita ſunt myſteria, quæ à diverſis diverſimodè dilucidantur; ſed ad noſtrum propoſitum peroptimè à La- Cornel. hic. pide: *Dominus*, inquit, *ſcalæ incumbens eſt Chriſtus in cruce pendens; crux enim eſt ſcala & via, per quam Chriſtus, omnesque Chriſtiani in cœlum conſcenderunt, & in dies conſcendunt;* neque aliam tibi viam finge, aut pinge, prudens Lector!

S. Bernh. de B. V. p. 394. Per eandem mirabilem ſcalam S. Bernhardus SS. Deiparam ac Matrem doloroſam ſubaudit; *Hæc*, inquit, *eſt ſcala Jacob*, &c. per quam, & qua median-

mediante Electi, imò & peccatores verè contriti ac pœnitentes ad cæleſtem patriam poſſunt aſcendere. Ita quondam vidit V. P. Leo intimus Franciſci Seraphici Socius, cui in viſione duæ objectæ ſunt ſcalæ, rubei coloris una, altera candidi, quarum ſummitas apicis ad cœlum uſque pertingebat; rubræ innixus erat Chriſtus non amœno, ſed ſubirato vultu ad ſeverum animas evocans tribunal; & dum plures per ſcalam illam ad cœlum contendebant evadere, caſſo labore ac ſuperiore vi repulſæ à ſummo deorſum corruebant, dum interim aliæ animæ per ſcalam niveam, quam SS. Virgo & Mater Chriſti tenebat, facili conatu ad cœlum conſcenderunt. O quàm diſpar hic erat eventus! Myſterium accipe. Ex Chronico Minorum latino. lib. 6. cap. 17.

Licet pientiſſimus orbis Reparator Chriſtus per paſſionem ac mortem ſuam condignè & abundanter pro nobis apud Patrem ſatisfecerit: *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*: Et hinc meritò omnis ſpes noſtra & tota prædeſtinationis ſeries in meritis & paſſione Chriſti debeat eſſe fundata; ſed quia ſimul & diſtrictiſſimi Judicis officium ſuſtinet, qui ſecundùm juſtitiam & noſtra judicabit merita ac demerita; ideò neceſſaria valde nobis eſt doloroſæ & pientiſſimæ Matris miſericordia, qua erigamur, & fulciamur, potens enim eſt, quia Mater Judicis. Proinde rectè ad illius clementiæ thronum omnes appellant miſeri, ut per merita crucifixi JESU & potentiſſimam hujus afflictiſſimæ Matris interceſſionem vita gratiæ & gloriæ æternùm vivant: *Potens eſt*, ſubintrat hic Richardus à S. Laurentio, *MARIA ad protegendum: Unde ipſi poteſt ſecurè dicere ſervus ejus illud Job: Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me.* Et nunquid olim in Ægypto à Pharaone dictum fuit: *Ite ad Joſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite.* Erat ſine dubio ſolus ille Pharao Ægyptiorum Rex, & terræ illius, atque ſubditorum Dominus, voluit tamen realiter honorari Joſephum, dum ei plenariam conferebat authoritatem pro libitu de alimentis & ſubditorum ſalute diſponendi. Ita benigniſſimus DEUS & Homo Chriſtus Rex ſæculorum, ut SS. Matrem ſuam honoraret, voluit, ut per eam tum dona gratiæ & gloriæ, aliaque corporis & animæ bona obtineamus. *Ite* prionde, ô Clientes Mariani! ad hanc SS. Matrem veſtram, & hanc doloroſam, *& quidquid ipſa vobis dixerit, facite.* Coloſſ. 2. 14. Richard. à S. Laurent. lib. de laud. Virg. part. 2. Job. 18. 3. Gen. 41. 56.

# CONSIDERATIO XXXIX.

## B. Virgo & Mater Doloroſa non tantùm S. Joanni, ſed & nobis à Chriſto in Matrem legata fuit.




**Ecce Mater tua.**

*Joan. 19. 27.*

1. CUm Chriſtus Dominus, tanquam Summus Sacerdos, in ara crucis ſeipſum æterno Patri in Sacrificium *cum lacrymis & clamore valido* (Hebr. 5.7.) nunc pro ſalute univerſorum offerret, neque inter ſummos conſtitutus cruciatus pientiſſimæ Matris ſuæ obliviſci voluit, ſed eam affectu planè filiali dilecto ſuo Diſcipulo commendavit, ut impoſterum fidelem illius curam gereret, atque ut Matrem filiali obſequio impenſiùs honoraret: *Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Supra quod pereleganter Ludolphus Carthuſia-

thuſia-

Digitized by Google

thuſianus: *Hoc tertium Verbum Chriſti*, inquit, *fuit maximæ ſollicitudinis & pietatis, eò quòd in tantis doloribus conſtitutus, Matris mæſtiſſimæ curam geſſit & ei pro Miniſtro providit*; cujus curam S. Joannes fideliter, prout juſſus fuerat, in ſeſuſcepit, eique ſemper pro viribus & indefeſſis obſequiis inſerviit, nec ante obitum hujus Almæ Virginis in provinciam ſibi delegatam abiit: *Et ex illa hora accepit eam Diſcipulus in ſua.* Ludolph. Card. p. 2. c. 63. f. 361.

Hunc filialem affectum & amorem hujus dilecti Diſcipuli in SS. Deiparentem pulcherrimo Symbolo adumbravit Reverendiſſimus Areſius, qui S. Joanni Evangeliſtæ truncum quendam tenerum, cui ſurculus inoculatus & tenellus à Genio implantabatur, appingi curavit, cum hac epigraphe ex prædictis Evangeliſtæ verbis mutuata:

## Accipit in ſua.

O felicem Diſcipulum: *O felix*, ait S. Bernhardus, *B. Joannes, cui talem theſaurum Dominus dignatus eſt commendare! ô Chriſti dilecte præ omnibus, & prudens, quem conſtituit Dominus privatum Camerarium aulæ ſuæ ſpecioſiſſimæ.* Vide hic, anima Chriſtiana, pauperrimi JESU in cruce morientis ditiſſimum teſtamentum: *Teſtabatur enim de cruce*, inquit S. Ambroſius, *& teſtamentum ejus ſignabat Joannes, dignus tanto teſtatore teſtis.* S. Bernhard. de Lament. Virg. S. Ambr. in c. 13 Luc.

2. De Elia Thesbite commemorant Sacræ Litteræ, quòd pro ultima ſua voluntate, cùm in igneo curru in paradiſum transveheretur, Eliſæo dilecto ſuo Diſcipulo in ſignum ſingularis amoris pallium ſuum legaverit: *Et levavit pallium, quod ceciderat ei.* 4. Reg. 2. 13.

Jacob Patriarcha, cùm morti proximus eſſet, Joſepho filio ſuo unam partem extra fratres ſuos, hoc eſt, agrum Sichar in ſignum peculiaris affectûs paterni legavit: *Et* ait ad Joſeph filium ſuum: *En ego morior, do tibi partem unam extra fratres tuos, &c.* Gen. 48 21.

David in mortis lectulo locatus Salomoni filio ſuo ingentem auri argentique vim pro teſtamento reliquit: *Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, &c.* 1. Par. 22. 14.

Jonathas Davidi, quem ùt animam ſuam diligebat, proprias veſtes conſignavit: *Expoliavit ſe Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua uſque ad gladium.* 1. Reg. 18. 3.

Mathathias Sacerdos, qui ſolus inter Judæos Antiochi furori ſeſe conſtantiſſimè oppoſuit, cùm ultima vitæ hora appropinquaret, quinque filios ad ſe vocari voluit, quibus præter alia ſalutaria monita pro teſtamento Simonem in patrem legavit: *Ipſum audite ſemper, & ipſe erit vobis pater.* 1. Mach. 2. 65.

Ani-

Anima Chriſtiana! leva nunc oculos tuos ad Chriſtum in cruce ſuffixum, qui S. Joanni dilecto ſuo Diſcipulo non pallium ſuum, ut Elias, nec ut Jacob Joſepho agrum, nec ut David Salomoni divitias, nec ut Jonathas Davidi ſua veſtimenta, nec denique ut Mathathias filiis ſuis Simonem in patrem, ſed ipſam ſuam dulciſſimam ac pretioſiſſimam parentem, quâ nihil charius, nihil unquam pretioſius habebat in orbe, pro ultima ſua voluntate

Joann. 19. 27.
in Matrem legavit; *Ecce Mater tua.* Peccatoribus reliquit veniam: *Pater

Luc. 23. 34.
dimitte illis*. latroni Paradiſum: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; militibus ve-

Luc. 23. 43.
ſtes & pallium: *Partiti ſunt veſtimenta mea*; Veronicæ ſudarium, in quo la-

Joann. 19. 24.
mentabilem ſacroſancti vultûs ſui effigiem impreſſit; Nicodemo ampullam

Adrichomius & Mallon. de S. Sindon.
ſanguinis, clavos, lanceam, coronam; Joſepho ab Arimathea linteamina & ſacram ſindonem, quibus erat in ſepulchro involutus; Eccleſiæ ſuæ Sponſæ lectulum ſuum floridum, hoc eſt, SS crucem; ſed S. Joanni amantiſſi-

Dionyſius Carthuſ. cit. à Manſ. in prompt. ſacro Diſc. 5. de S. Joan.
mam ſuam Matrem: *Ecce Mater tua.* O pretioſum teſtamentum JESU *in cruce morientis*; *Quantus tibi*, ſubintrat hic devotiſſimus Dionyſius Carthuſianus, *eſt honor & gloria, quàm incomparabilis iſte theſaurus, vas omnis ſanctitatis, Domina mundi, Regina cœli, quæ cum Patre æterno habet, ac genuit unum, eundemque Filium, à quo Spiritus Sanctus verè procedit, datur, & mittitur, tibi committitur, Mater tua efficitur, & tu Filius ejus appellaris: Verè diligebat te JESUS, quem ad tantam gratiam prælegit.*

3. Verùm quid dico? Ergo in hoc teſtamento ſolus Joannes ſibi optimam partem eligat? Audite S. Thomam Villanovanum: *Pendebat*, inquit,

S. Thom. Vill. conc. de S. Joan.
*Chriſtus in cruce moriturus; aderat ibi Dilectus, quid ſibi legaretur exſpectans. Quid tibi Dilecte legabo? Ecce Mater tua; hæc omnium, quæ poſſideo, chariſſima gemma eſt, hanc tibi trado, hanc tibi dono.* O magnam veræ dilectionis theſſeram! ô prodigium amoris! ex quo facilè rerum conſideranti patet, quàm intenſo amoris affectu Chriſtus Dominus S. Joannem fuerit proſecutus; & quemadmodum Pater Cœleſtis nullum excellentius donum mundo præ-

Joan. 3. 16.
ſtare potuit, quàm cùm ei Filium ſuum unigenitum donavit: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*; Ita pariter Chriſtus nunc ex hac mortali vita diſceſſurus nullum majus amoris ſignum Joanni exhibere valuit, quàm ut ipſi SS. Matrem ſuam pro ultima ſua voluntate legaret: *Ecce Mater tua.*

Verùm nullum teſtamentum ſine exceptione, ſine Gloſſa & interpretatione eſſe ſolet; loquatur ſervulus tuus, terra, pulvis & cinis, imò nihilum, unicum ad te verbum, ô mi pientiſſime JESU! ô Amor crucifixe ô omne bonum! loquatur, inquam, unicum verbum; & quid loquor? Ah ignoſce Domine! *Verus amor nullum novit habere modum.* Contra hoc teſtamentum tuum ego indigniſſima creatura tua, & unà mecùm fideles omnes ſolenniſſimè proteſtamur, & excipimus. Quid Ergone,

Do-

Domine, D. Joanni dilecto tuo Diſcipulo, ſoli & unico hanc Sacratiſſimam Matrem tuam legabis? *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei:* Ego proteſtor, proteſtor contra hoc teſtamentum; quia SS. Mater tua & noſtra Mater eſt, ad quam fideles omnes in omni neceſſitate, in vita & in morte confugere oportet; ergo non ſoli S. Joanni eam concedimus, quia & noſtra Mater eſt; ita devotiſſimus Dionyſius Carthuſianus. *Diſcipulus ille electus*, inquit, *deſignat unumquemque fidelem, quemadmodum ergo Chriſtus dixit Joanni; Ecce Mater tua! ſic unicuique Chriſtiano dedit Matrem ſuam in Matrem*, ſub cujus almo præſidio & gratioſa umbra contra omnes animæ noſtræ hoſtes meritò omnem tutelam ac protectionem ſperare poſſumus; unde S. Thomas de Villanova: *Sicut pulli, ait, volitantibus deſuper milvis ad gallinæ alas accurrunt, ita & nos ſub velamento alarum tuarum abſcondimur. Neſcimus aliud refugium, niſi te. Tu ſola et unica ſpes noſtra, in qua confidimus, &c.* Dionyſ. Carthuſ. in Joan. ſuper hæc verba: Ecce Mater tua. S. Thom. de Villanov. conc. 3. in Nat. Virg.

4. Verùm non immeritò hìc quæres, prudens Lector, cur Sacratiſſima Virgo à Chriſto Domino tunc demum in cruce & non in ſtabulo Bethlehemico in Matrem nobis deſignata ſit? Nunquid Rebecca uno partu duplex Mater effecta eſt? *Perrexit, ut conſuleret Dominum, qui reſpondens ait: Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur*; paulò pòſt, cùm tempus partus adventâſſet, inventi ſunt duo gemelli, videlicet Jacob & Eſau? Gen. 25. 22.

Priusquam ad hanc quæſtionem reſpondeamus, oportet nos Rahelem conſulere, quæ, cùm in periculoſo partu prævidiſſet, præ vehementia dolorum brevi ſe morituram, filium ſuum in ipſa effuſione partûs Benoni vocavit: *Egrediente autem animâ præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii ſui Benoni, id eſt, filius doloris mei*; Jacob verò Pater, ut leniret dolorem ejus, hunc filium ſuum non Benoni, ſed Benjamin, id eſt, filium dextræ nominavit. Myſterium hìc ingens percipe. Per Rahelem parturientem rectè doloroſiſſimam Matrem ſub cruce ſtantem intelliges, ubi hominem peccatorem in ſumo & acerbiſſimo animi dolore ad vitam gratiæ parturivit, quem meritò ob exantlatos tam decumanos dolorum fluctus appellare poterat *Benoni, id eſt, Filium doloris mei.* Verùm Pater æternus ob amorem erga hanc doloroſiſſimam Matrem omnes illos fideles, quos erga illam devotos fore prævidit, non Benoni, ſed *Benjamin, id eſt, filios dextræ* vocari voluit, quia olim in judicio ad dextram Chriſti ſtabunt, hanc conſolatione plenam ſententiam audituri: *Venite Benedicti.* Gen. 35. 18.

Ex quibus facilè rationem colliges, quare DEUS & Homo Chriſtus tunc primùm in cruce moriens hanc dilectiſſimam Genitricem ſuam ut noſtram quoque Matrem declaraverit: *Ecce Mater tua*; ratio eſt, quia, dum Chriſtum in antro Bethlehemico peperit, nullos ibidem partûs dolores ſen-

ſit, ſed ubi hunc Filium ſuum in ligno pendentem, & pro omnium ſalute
morientem conſpicata eſt, ah quis dicet, quibus tunc cruciatibus pia tor-
quebantur MARIÆ viſcera? Ibi paſſa eſt *dolores, ut dolores parturientis*,
millieſque cum Rachel mortua fuiſſet; niſi Spiritus Sanctus eam ſolidâſſet:
Pſal. 47. 7. *Mulier*, inquit Rupertus Abbas, *cùm parit, triſtitiam habet, quia verè ibi*
Rup. Abb. lib. 14. in *dolores, ut parturientis, ſuſtinuit in paſſione Unigeniti ſui omnium noſtrûm ſalutem*
Joan. c. 19. *B. Virgo peperit, & facta planè eſt omnium noſtrûm Mater.* O nos felices,
qui ſub tutela tantæ Matris vivimus: *Si, ô peccator, MARIA eſt Mater*
*tua*, ſubintrat hîc devotiſſimus Ludolphus Carthuſianus, *ergo & JESUS*
Ludolph. *eſt Frater tuus, & Pater ejus Pater tuus; ergo & regnum ejus & hæreditas tua*
Carthuſ. c. 63 *eſt, ergo gratia MARIÆ, quam invenit, eſt theſaurus tuus, &c.*

5. Cæterùm ſæpiùs hactenus miratus fui, quare in Natali Chriſti in
Luc. 2. 6. Sacro Evangelio de hac Alma Virgine & DEI Genitrice dicatur: *Et pepe-*
*rit Filium ſuum primogenitum.* Quid dicis, Evangeliſta? Primogenitum?
Cur non Unigenitum? An fortaſſe hæc Sacratiſſima Mater plures filios
habuit, qui in ſacro Codice *Fratres Domini* appellantur? Minimè, hæc
enim illa Porta Orientalis fuit ſemper clauſa, & nulli unquam aperta, per
quam ſolus ſummus Pontifex noſter, Chriſtus Dominus, ingreſſus, &
egreſſus eſt. Quare ergo dicit Scriptura: *Et peperit Filium ſuum primoge-*
*nitum?*

Adverte: Primogenitus etiam ille eſt, qui primò gignitur, etiamſi nul-
lus alius poſt eum progeneretur: Primogenitus ergo Virgineæ Matris JE-
SUS extitit, nos verò ſub cruce ab eadem Sacratiſſima Deipara in ſumis
CORDIS ejus doloribus in vitam meliorem prognati, meritò ſecundoge-
niti appellari poſſumus, proinde hæc doloroſiſſima Mater longè meliori
Gen. 3. 20. jure, quàm quondam Eva, *cunctorum viventium Mater* appellanda erit: *De-*
Lanſperg. in hom. de *bebat*, ait Lanſpergius, *piiſſima Chriſti Mater ſub cruce nos parere filios adop-*
B. V. *tionis, ut quæ naturalis (hoc eſt corporalis) eſſet Mater Chriſti, eſſet adoptione*
*atque ſpiritualiter omnium quoque noſtrûm Mater.*

O Sacratiſſima Virgo! ô Mater doloris & amoris! deprehenſa nunc
es; jam non poteris te negare eſſe Matrem noſtram; indue ergo affectum
Matris etiam erga nos miſeros; ſicut enim infans à facie irati parentis ſui
ad ſinum Matris ſuæ recurrere ſolet, ut ibidem tutelam ac protectionem in-
veniat; en ſic nos pari ratione in cunctis anguſtiis ac miſeriis noſtris ad tu-
um præſidium & dulciſſimum miſericordiæ ſinum confugimus, ut ob amo-
rem tui nobis parcat DEI Filius, quem toties hactenus peccatis noſtris, ah
Iſa. 49. 15. tam protervè offendimus: Et *nunquid*, ô pientiſſima Domina! *oblivisci*
*poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui?* Quomodo er-
go tu, ô afflictiſſima Mater! oblivisci illorum poteris, quos ſub cruce
tanto cum dolore ac gemitu peperiſti? Ubi clientes ac fideles nos non
dun-

Digitized by Google

duntaxat in manibus, ſed & in CORDE tuo, doloris & amoris gladio transfixo, deſcripſiſti.

6. Recordor hîc illius Matris Chananææ, cujus quondam filia malè à dæmonio vexabatur; unde de finibus Tyri & Sidonis egreſſa, Chriſtumque in itinere ſecuta, ubi ad illius conſpectum pervenit, eum humiliter adorans, magnâ voce & affectu clamavit: *Miſerere mei Domine, Fili David: Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Richardus à S. Laurentio per hanc Matrem Chananæam Sacratiſſimam Deiparam ſubaudit, Matrem DEI & Matrem Hominis, Matrem Regis & Matrem exulis; per filiam verò à dæmone malè agitatam, animam peccatricem: *MARIA*, inquit, *clamat ad DEUM pro filia, id eſt, peccatrice animâ, cujus etiam perſonam transformat in ſe, dicens: Miſerere mei Fili David, cui miſericorditer reſpondet Filius: O Mulier! magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis.* O charæ animæ! ſi mulier iſta Chananæa Sacratiſſimum COR JESU ad miſericordiam flexit, ut, quidquid flagitabat, ei benigniſſimè largiretur; quid non poterit doloroſiſſima Mater, *quæ ſicut Materfamilias*, prout ait Nierenbergius, *in domo DEI miſericordiæ claves habet?* Audite in ſolamen veſtrum & S. Anſelmum: *Si ipſa*, inquit, *propter peccatores, ſcilicet propter me, meique ſimiles, facta eſt DEI Mater; quomodo immanitas peccatorum meorum cogere poterit deſperare veniam eorum.*

Matth. 15. 22.

Richard. à S. Laur. l. 6.

Nierenberg. lib. 2. de Ador. c. 1.

S. Anſelm. de Excell. Virg. cap. 1.

7. Conſidera ex hoc, anima Chriſtiana! quàm ſollicitæ Matres eſſe ſoleant in procuranda, aut promovenda filiorum ſalute; Rebecca in ſe ſuſcepit maledictionem ob amorem Jacob filii, quem ob morum formæque elegantiam tenerrimo proſequebatur amore: *Ad quem Mater: in me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, &c.* Gen. 27. 13

Jochabed Mater Moyſis, cùm aliter non poſſet ſervare filium, quantâ, obſecro, ſollicitudine eum abſcondit, ac demum in ſcirpea fiſcella, ad aquas arcendas pice & bitumine oblitâ, in Nilo expoſuit? Et ne periret miſellus infans, ei Mariam puellam in ſubſidium amandavit. Exod 2. 5.

Bethſabee, Adoniâ regnum occupante, non acquievit, donec filio ſuo Salomoni à Davide Patre, ſenio jam confecto, regnum & ſceptrum impetraret: *Ingreſſa eſt itaque Bethſabee ad Regem in cubiculum, &c.* 3. Reg. 1. 15.

Sunamitis illa, ad quam pater filium, ob torrentem ſolis æſtum ægrotantem, de campo ſubmiſit: *Tolle, & duc eum ad Matrem ſuam*; nulli labori ac curæ parcebat, ut eum ſanitati reſtitueret, unde *poſuit illum ſuper genua ſua, &c.* Cujus tamen charitas efficere non potuit, quin in ſinu Matris moreretur filius tam dilectus. 4. Reg. 4. 19.

 O quan-

O quantò beatior eſt illa anima, quæ in hoc mundo immundo ad Matris doloroſæ ſinum properat; non invideo Lazaro ſinum Abrahæ, ſed melior eſt ſinus MARIÆ. Si prodigus ille adhuc Matrem ſuam habuiſſet in vita ſuperſtitem, non in tantam calamitatum abyſſum perveniſſet; ſolent enim Matres majorem plerumque curam ſuarum habere prolium, quàm patres; & quando tandem reſipuit miſer iſte, priùs ſine dubio ad Matrem ſuam accurriſſet, ut offenſum patrem ſibi placaret; ſic pavo Mater pullos ſuos abſcondere aſſolet, ne à patre irâ ſuccenſo pedibus proterantur. O quoties Divina Nemeſis te, ô peccator inveterate! ob innumera demerita tua ad inferni barathrum præcipitaſſet, niſi hæc pientiſſima Mater tua & Virgo doloroſiſſima ſua deprecatione te ab hoc æterno præſervaſſet interitu: *O ſummè miſericors Domina!* exclamat S. Germanus Patriarcha, *ſi tu nos deſerueris, quonam confugiemus? Quid de nobis fiet, ô Sacratiſſima Deipara?* Memento, obſecro, quòd ad pedem crucis acceperis nos in filios: *Ibi* peperiſti nos, non ex utero, ſed ex corde. Finio cum Seraphico Doctore: *Abyſſus* inquit, *eſt MARIA in bonitate & in miſericordia; certe, Domina, cùm te aſpicio, nihil, niſi miſericordiam cerno, pro miſeris enim facta es Mater DEI.* Quis ergo non amet te, ô Pientiſſima?

S. German. Patr. Conſtantinop. in adoratione zonæ Deip. S. Bonav. in Spec. B. V.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO XL.

## Doloroſa Virgo ſtans ſub umbra crucis Mater omnium efficitur, ad quam umbram omnes invitat Chriſtianos.




### Sub umbra tua vivemus.

*Thren.* 4. 20.

1. MAgnum ſanè beneficium contra ſolis ardentis æſtum homini peregrino ac viatori optata arboris umbra eſſe ſolet, ſub qua non duntaxat anhelus ſarcinam ſuam deponit, ſed & placidè ſub illius tegmine quieſcens, reſtauratis viribus, cœptum lætus & alacer peragit iter.

Anima Chriſtiana, omnes nos in hac terra viatores ſumus, atque peregrini: *Quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*; & in alio lo- 2. Cor. 5. 6.

Hebr. 13.14 co idem Apoſtolus ac Doctor gentium: *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.* Oportet ergo, ut inter tot æſtus, pericula, rerumque varietates nobis de ſalubri & vivifica provideamus umbra, ſub qua tutò reſpirare, latere, ac languentes animæ vires poſſumus refocillare; umbra autem hæc non alia eſt, quàm umbra crucifixi JESU. Ita Julius II. Pontifex Maximus, qui ſibi Chriſtum, orbis Redemptorem in arbore opaca pendulum, duriſque clavis in ea fixum politiori penicillo pingi voluit, cum hoc Lemmate inſcripto.

## Non eſt hâc tutior umbra.

Et ad hanc umbram omnes ſuaviter invitat Chriſtianos doloroſiſſima Virgo MARIA; de qua recenſent Sacræ Paginæ: *Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus.* Obſerva anime mi! non ſcribit ſacer Hiſtoricus, quòd ſederit ſub umbra crucis, ſed quòd ſteterit: *Stabat*: De Sponſa autem dilecta dicitur: *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Verſabatur nimirum tunc Sponſa in tranquilla contemplatione crucifixi Amoris ſui, de cujus paſſionis fructibus mirum in modum conſolabatur; ſed Regina Sponſarum ac Domina mundi *ſtabat* ſub umbra crucis, non tam ut invictam animi ſui fortitudinem deſignaret, quàm ut nos miſellos clientes ſuos, in portanda cruce valde debiles, ac inconſtantes adjuvaret; *ſtare enim adjuvantis eſt, ſedere autem judicantis*; ſic de Chriſto perhibetur, quòd ad dexteram DEI ſedere ſoleat, quem tamen S. Stephanus Proto-Martyr in cruento ſuo certamine ſtantem vidit, ut generoſum hunc athletam magis animaret, juvaret, ac confortaret. O pientiſſima Domina ſtans ſub umbra crucis, adjuva & nos indignos filios tuos, quomodo pariter in omnibus difficultatibus ac tentationibus noſtris ad ſalutiferam crucis umbram debeamus confugere, &c.

(Joann. 19. 25. Cant. 2. 3. Marc. 16. 19. Actor. 7. 55.)

2. Benignus DEUS, qui omnia prudentiſſimè ordinat in finem ſuum, voluit, ut dilectus Filius, in quo ſibi ſemper benè complacuit, non ferro, ſed ligno domaret, ac redimeret orbem, ut perpetratum in ligno ab Adamo & Eva peccatum crucis ligno expiaretur, & ſic pœna correſponderet delicto, ſatisfactio crimini, & pharmacum morbo; proinde dicit Sponſus ad Dilectam: *Sub arbore malo ſuſcitavi te: Ibi corrupta eſt mater tua; ibi violata eſt genitrix tua*; per quam Matrem & genitricem Eva cunctorum viventium Mater, à ſerpente ſub arbore malo corrupta ac decepta, deſignata eſt, quam Chriſtus unà cùm Adamo patiens in arbore crucis ad meliorem vitam reſuſcitavit, & velut verus pelicanus amoris exanimes & veneno aſpidis enectas proles per ſanguinem ſuum è pectore, ſacriſque vulneribus elicitum vivificavit. Voluit autem mitiſſimus DEus, ut ſub umbra crucifixi JEſu & mœſtiſſima Mater adſtaret, ut per præſentiam ſuam, animique dolores id repararet,

(Cant. 8. 5.)

quod

Digitized by Google

quod Eva ſtans ſub arbore ſcientiæ boni & mali conſentiendo diabolo deſtruxit; proinde meritò loco Eva ſub eadem crucis umbra nobis in Matrem deſignata fuit Maria; & quemadmodum olim in Nazarethano conclavi ſub umbra Spiritûs Sancti Mater Dei effecta eſt: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te,* Luc. 1. 35. *& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*; ita nunc ſub umbra crucifixi Filii non unius tantùm Joannis, ſed omnium Chriſtianorum Mater declarata, & effecta fuit: *Deinde dicit Diſcipulo: Ecce Mater tua.* Supra quod rectè Sylveira: *Non* Joann. 19. *ait, dicit Joanni; ſed Diſcipulo; Joannes eſt nomen particulare; Diſcipulus com-* 27. *mune, ut denotetur, quòd MARIA omnibus detur in Matrem.* O felicem; ô Sylveira hic fœcundam Sanctiſſimæ Crucis umbram, quæ nobis talem, ac tantam Ma- cap. 17. trem reliquit, noſque filios MARIÆ effecit; nunquid meritò cùm Jeremia dicere poſſumus: *Sub umbra tua vivemus in gentibus?* Et cum Propheta Regio: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt?* Pſal. 35. 8.

3. De Agar refert Scriptura, quòd Filium ſuum Iſmaelem non potuerit videre morientem, ſed longè ab eo diſceſſerit: *Seditque à regione procul, quan-* Gen. 21. 14. *tum poteſt arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum.*

Jochabed filia Levi, & Mater Moyſis, filium ſuum in ſcirpea fiſcella in Nilo expoſitum alterius cuſtodiæ commiſit, ipſa autem in littore de longè ſtetit, rerum & fortunæ eventum conſiderans, & miſeriis filii ſui condolens: *Expoſuit eum in carecto ripa fluminis; ſtante procul ſorore ejus & conſide-* Exod. 2. 3. *rante eventum rei.*

Mulieres illæ, quæ Chriſtum, pientiſſimum Redemptorem noſtrum, uſque ad crucem & mortem ſecutæ ſunt, inter quas erant Maria Magdalena, Maria Jacobi, Joſeph Mater, & Salome, Mater filiorum Zebedæi, Veronica, Joanna, &c. Non cominus ſed eminus ſtabant, ſpectantes hoc cruentum, & eheu niminis luctuoſum crucifixionis ſpectaculum, in monte Calvario orbi monſtratum: *Erant autem & mulieres de longè aſpicientes, &c.* Marc. 15. 40.

Non ſic dolentiſſima Virgo, & omnium Matrum afflictiſſima Mater MARIA; non ſic, ſed appropinquabat per cuneos militum penetrans uſque Joann. 19. ad ipſam crucem Filii: *Stabat autem juxta crucem*; ſupra quod Div. Ambro- 25. ſius: *Stabat ante crucem; piis oculis ſpectabat vulnera Filii*; & Mellifluus Bern- S. Ambroſ. hardus: *Summitatibus*, inquit, *pedum innitens, manus levabat in altum, am-* de inſtit. *plectens rubricatam crucem, atque in oſcula ejus ruens ea parte, quâ unda pretioſiſſimi* Virg. cap. 7 *Sanguinis defluebat; ô grande martyrium! ô frequens ſuſpirium! ô languens pectus vir-* S. Bernhard. *gineum!* ah pientiſſima Mater, verè Mater amoris & doloris! quis tuos explicet de Lament. animi mœrores, ac CORDIS dolores, quos ſtans ſub umbra crucis perpeſſa B. Virg. es? Verè Altiſſimus obumbravit tibi. O triſtis umbra! ô umbra fatalis! ſed & ſalubris SS. Crucis, cui rectè pro Lemmate inſcribes: *Optatam fert umbra me-* Gen. 1. 26. *delam.* Olim DEUS dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem* Oleaſter hic *noſtram*, ubi ex Hebræo legit Oleaſter, & alii: *Faciamus hominem in umbra*

*noſtra*

*noſtra ſecundùm ſimilitudinem noſtram*; & quomodo in umbra noſtra? Audi S. Athanaſium: *Homo*, inquit, *ad formam crucis figuratam habet imaginem, ut qui ſit ad imaginem Crucifixi*; & quomodo hoc? Extende parum brachia tua, & crucifixum Redemptorem tuum in umbra repræſentabis; audi & S. Bernhardum: *Crux*, ait, *nos ſumus, cui Chriſtus memoratur infixus, homo enim formam crucis habet, quam, ſi manus extenderit, exprimet manifeſtiùs, &c.* Vide ex his, anime mi, quomodo & natura & figura, Chriſtus crucifixus & Mater doloroſa cum ipſo crucifixa (ita Seraphicus Bonaventura: *Cum Filio ibi crucifixa erat, ſed hoc diſtat, quod ipſe in corpore, illa autem in mente*) ad umbram ſalutiferæ crucis te invitent, de qua Iſaias: *Erit in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluvia, &c.* O Chriſtiani, quid agitis? *Omnibus hic requies: alias cur quæritis umbras?* Nullus unquam peccatorum ad hanc umbram contritus & humiliatus venit, qui non optatam abinde medelam tulit: *Per crucem ad lucem.*

P. Athanaſ. Sina. lib. 1. orat. Contempl. in Gen. S. Bernhard. ſerm 4. in Virg. Nat. S. Bonavent. in Stim. Div. amor. Iſa. 4. 6.

4. Elias Prophetarum zeloſiſſimus in ſummis vitæ anguſtiis ac periculis conſtitutus, cùm ab impia Jezebele per emiſſarios milites ad necem inquireretur, unicum ſuum perfugium ſub Juniperi umbra quæſivit, & invenit: *Cumque veniſſet, & ſederet ſubter unam Juniperum, petivit animæ ſuæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quàm Patres mei, projecitque ſe, & obdormivit in umbra, &c.* Per quam Juniperum Rupertus Abbas peraccommodè ſanctiſſimam Crucem intelligit: *Elias*, inquit, *confugit ad vivificum crucis lignum, illic ambit mortem, illic feſtinat commori Chriſto. &c.*

3. Reg 19. 4. Rup. Abb. l. 5. in Reg. cap. 10.

Jacob in perſecutione invidi fratris ſui Eſau ad amœnam Terebinthi umbram ſe contulit, ſub qua aurea & argentea domeſticorum idola in pulverem comminuta, infodit: *At ille infodit ea ſubter Therebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem.* Per quam Therebinthum Typotius appoſitè SS. Crucem ſubaudit: *Therebinthus*, inquit, *ea arbor eſt, ſub qua infodit Patriarcha Jacobus ſigna: crux, inquam, quæ unius DEI cultu idolomaniam obruit ſalo & ſolo, reſinam fundit ita ſalubrem, animæ hac, ut illa corpori, &c.*

Gen 35. 4. Typot. in Iſagog.

Moyſes cùm adhuc opilionem ageret, in ſolis meridiani æſtu lanigerum gregem ſuum ſub opacam arborũ umbram in interiori deſerto minare conſuevit, in quo loco à DEO, in rubo ardente & non combuſto ipſi apparente, in paſtorem animarum, ducemque Iſraelitici populi electus eſt: *Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Horeb: Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi; & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Supra quod Cornelius à Lapide: *Verbum DEI in rubo*, inquit, *eſt Verbum DEI in cruce, quia utrobique inter ſpinas*, ad cujus umbram jam tunc Moyſes ſuas minabat oviculas, nullibi meliùs quàm ſub umbra crucis paſcendas.

Exod. 3. 1. Cornel. hîc.

Imò

Imò ipſa animalia ac bruta irrationabilia natura duce turmatim ad proceram illam, ac longè fertiliſſimam Danielis arborem, in medio terræ conſiſtentem properabant, ut ſub illius deſiderata umbra non tam vitæ neceſſaria invenirent, quàm etiam ab æſtu, aliiſque incommodis ac periculis protegerentur: *Ecce arbor in medio terra; & altitudo ejus nimia; magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: Aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſa terra, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & eſca univerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis ejus converſabantur volucres cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Per hanc arborem rectè Antonius de Rampelogis SS. Crucem præſignatam eſſe aſſerit: *Crux Chriſti*, ait, *arbor magna, lata & frondoſa, & fructus ſatietatis & ſuavitatis tribuens, & fideles omnes protegit à dæmonibus, & ab omnibus peccatorum & vitiorum incurſibus.* Fuit autem crux poſita in medio terræ juxta illud Davidici: *DEUS autem Rex noſter ante ſæcula: Operatus eſt ſalutem in medio terra;* cujus proceritas uſque ad cœlum attingebat, quia non eſt alia ad cœlum via, quàm Crux: O felix illa anima, quæ habitat ſub hac ſalutifera crucis umbra!

Dan. 4. 7.
Anton. de Rampel. in fig. Bibl. fol. 564.
Pſalm. 73. 12.

5. Sponſam cogitate, Sponſam conſiderate, amantiſſimum Sponſum ſuum, candidum, & rubicundum, inquirentem: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* Erat tunc Sponſa, ſi litteram inſpicimus, cuſtodiendo vineas ſuas oberrans, & vehementer ardentibus ſolis radiis uſta, proinde in tali ardore meridiano à Sponſo paſtore umbraculum expetiit, ubi non tam ſolis æſtum declinaret, quàm & optatam inveniret quietem, & juxta votum invenit; audi in hanc rem S. Dragonem Epiſcopum Oſtienſem. *Nunquam*, ait, *te inveniam, niſi tantùm in cruce; ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie.* Subintrat hîc Cornelius: *Accipias*, inquit, *per meridiem Chriſti crucifixionem, in meridie enim crucifixus eſt, atque crux Chriſti Eccleſiæ & fidelibus contra omnes perſecutionum, & tribulationum æſtus certum, fidumque præſtat umbraculum & ſolatium.*

Cant. 1. 6.
S. Drogo Ep. de Sacram. Dom. Paſſ. Cornel. hic.

O Domina totius univerſi! ô Mater doloris & amoris! dic nobis, indigniſſimis tuis clientibus, ubi tuam inveniſti requiem? hanc inſinuat Evangeliſta paucis, ſed verbis emphaticis: *Juxta crucem JESU*; ergone hæc requies tua, ô Domina? Juxta crucem Filii pendentis? imò, ſubintrat hîc S. Bernhardinus Senenſis, non juxta crucem, ſed in cruce Filii morientis? proinde ſic Evangeliſtam alloquitur: *Parum dixiſti, ô Evangeliſta! ſtabat*, inquis, *juxta crucem JESU Mater ejus, cùm in ipſa cruce penderet; vel ei plùs utique debes, quàm reliquis? Omnino illa plùs ad crucem appropinquabat, quàm quicunque alii, quia non ſolùm juxta crucem ſtabat, verùm etiam in cruce pendebat* in anima crucifixa; ô triſte ſpectaculum! ô ſtatio luctuoſa! ô umbra fatalis! & quomodo *ſtabat?* dic nobis, ſancte Joannes, qui non procul ab hac SS. Matre tua pariter ſub umbra crucis ſteteras; & quomodo *ſtabat?* Plùs non

Joan. 19. 25.
S. Bernhard. Senenſ. de B. V.



Digitized by Google

poſſum dicere, reponit ille dilectus Chriſti Diſcipulus: *Stabat*, cùm mundi machina, pendente in patibulo Creatore, videretur diſſolvi; ubi omnis creatura ingemuit, terra mota eſt, velum templi diſruptum, ſol obſcuratus & petræ ſciſſæ ſunt; *ſtabat* tamen ſub umbra crucis ærumnoſiſſima Mater petris firmior; heu in quo mari dolorum? *Cogitare non licet*, ait Mellifluus, *quantus fuerit dolor Matris, cùm ſic dolebant, quæ inſenſibilia erant*, & quantò magis doluit cor tantæ Matris? O felix anima! ſi illi ex animo compateris, ut & cum illa aliquando poſſis conglorificari; felix, inquā, ſi pariter cum ea ad umbram crucifixi JESU te recipis, ubi enim tutior requies, quàm ſub brachiis Salvatoris tui & ſub pallio doloroſæ Matris? *Sub brachiis Salvatoris mei*, dicebat quondam magnus ille Antiſtes Hipponenſis, *& vivere volo, & mori cupio*; & Vates Regius: *Scapulis ſuis obumbravit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis*; Per quos ſcapulos & pennas rectè SS. Patres extenta Chriſti JESU in cruce brachia intelligunt: *Chriſtus*, ait le Blanc in hunc locum, *in cruce nos obumbrabat ſcapulis ſuis, brachiis & manibus*, ſub quibus nos ſub nube ab æſtu furoris DEI protegit, abſcondit, refrigerat, alit & fovet; ſicut gallina ſub umbra alarum ſuarum à rapacibus milvis tuetur, ac fovet pullos ſuos; aut quemadmodum aquila ad volandum provocans pullos, & ſuper eos volitans expandit alas: *Nobis quoque*, inquit S. Ambroſius, *manus ſuas expandit JEſus, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non ſumus in umbra, quos crucifixus a malignitate ſæculi & corporis ardore defendit.* Addo ego: quomodo non ſumus in umbra, pro quibus doloroſiſſima & afflictiſſima Mater JEſu ad Patrem intercedit, offerens ei in hoſtiam placationis Sacratiſſimum ac diviniſſimum Cor JEſu, unigeniti Filii ſui, pro ſalute univerſorum in ara crucis immolati? O quàm bene agunt Sacerdotes illi, qui, cùm quotidie DEO T.O.M. imprimis pro ſuis delictis, ac dein pro peccatis totius populi hoſtiam immaculatam (Carnem & Sanguinem unigeniti Filii Dei) offerunt, ſi hoc immaculatum Sacrificium per puriſſimas manus B. Virginis ac Matris doloroſæ DEO Patri repræſentant! & quidem eâdem intentione, quemadmodum illa Mater amoris & doloris ſtans ſub umbra crucis pro peccatis totius mundi hunc dilectiſſimum Filium ſuum Patri æterno in victimam placationis obtulit; an poterit eſſe repulſa, ubi tot ſunt amoris inſignia?

S. Bernhard. de Lament. B. V.

Pſal. 90. 4.

Le Blanc hic.

Matth. 23. 37.

Deuter. 32. 11.

S. Ambroſ. in Pſal. 90.

Hebr. 7. 27.

6. Recordor hic illius prodigioſæ columnæ nubis & ignis, quæ Hebræis quondam in exitu Iſrael Dux & Comes in Palæſtinam extitit: *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.* O pientiſſima Domina! dulciſſimus Filius tuus in cruce pendens, & amoris igne toſtus, columna illa ignis fuit, illuminans omnem hominem, quia ipſe erat lux mundi, etiam in mediis tenebris in candelabro crucis magis illuceſcens; tu vero, ô Virgo doloroſa, per columnam nubis adumbrata es, quia nos, ut nubes, ab æſtu iræ Divinæ protegis, ſub umbra gratiarum foves, lacrymis tuis rigas,

Exod. 13. 22.

Digitized by Google

rigas, atque fœcundas; & hæc eſt cauſa, quòd S. Andreas Cretenſis tè, ô Domina, appellaverit *Columnam nubis ſpiritualis Iſraël*; & S. Epiphanius: *nubem, cœleſtem imbrem demittentem, quo terra irrigatur.* S. Andr. Cretenſ. in Exod. 17. S. Epiphan. orat. de laud. V.

De Jona refert Scriptura, quòd fecerit ſibi umbraculum, & ſederit ſubter illud in umbra, donec videret, quid accideret civitati; verùm brevì hæc Jonæ umbra duravit, nam paulò poſt *præparavit DEUS vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hæderam, & exaruit.* Jona. 4. 5. Sic nimirum ſunt omnes hujus ſæculi umbræ, ſub quibus nulla ſalus, aut infirmum eſt ſperandum refugium, omnes enim hujus mundi gratiæ & favores quid aliud ſunt, quàm leviſſima tela, arundo fragilis, umbra labilis, & fumus inanis? Ite nunc, miſeri mortales, & in umbra principum ac filiorum hominum, in quibus non eſt ſalus, ſperate; ſolus ille beatus eſt, qui ſperat in Domino JEſu crucifixo, ac in Sacratiſſima Matre ejus doloroſa, qui, cùm omnes in agone tuo te deſerent, hi ſoli, ſi nunc eos tibi facies amicos, te non derelinquent: *Reſpicite filii, nationes hominum, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Pſ. 145. 2. Eccleſ. 2. 11.

Idcirco ad te, mitiſſime JESU, in arbore crucis durîſſimis ſuffixe clavis, & ad te, ô Mater doloris & amoris! me totum converto; ad vos tanquam ad Patrem & Matrem redeo filius prodigus, ac peccatorum miſerrimus, cum Pſalte humiliter ſupplicans: *Sub umbra alarum veſtrarum protegite me.* Pſal. 16. 8. Et ſi quondam umbra S. Petri Apoſtolorum Principis varios ægros à ſuis infirmitatibus ſanàvit, *ita ut in plateas ejicerent infirmos, &c.* Actor. 19. 12. Quid non facere poterit umbra crucifixi Redemptoris mei, & cum eo crucifixæ Matris?

Diſmam latronem illum ad dexteram Chriſti crucifixum, juxta S. Vincentium Ferrerium umbra dextri brachii Chriſti JEſu in cruce pendentis, antequam factæ ſint tenebræ ſupra univerſam terram, nonnihil adumbravit, ex cujus virtute mox mirabiliter converſus, ad conſortium crucis Chriſti, ejuſque gloriam aſſumptus eſt, quod prævidens Oſeas Propheta: *Convertentur*, inquit, *ſedentes in umbra ejus.* O JESU! ô MARIA! convertar & ego aliquando ex toto corde ad vós; ſedeo & ego in umbra veſtra ſervus indigniſſimus, ah liceat mihi dicere cum Pſalte Regio: *In hac umbra ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* S. Vincent. Ferrer in Paraſcev. ſer. 4. hebd. maj. Oſeas. 14. 8. Pſal. 56. 2.

# CONSIDERATIO XLI.

## Maria Mater Doloroſa ſtans ſub cruce Filii omnibus Chriſtianis admirandum patientiæ ſpeculum.




### Stabat juxta crucem JESU Mater ejus.

*Joan.* 19. 25.

1. DIverſa ſunt Chriſtianæ patientiæ, & infractæ tolerantiæ Symbola. Hanc repræſentant roſæ, inter pungentes ſpinas magis florentes, odoremque ſuum latiùs ſpirantes, cum Lemate: *Olent ſuaviùs.* Rupes inter alliſos irati maris fluctus inconcuſſa, cum Lemate: *Eadem ſum ſemper.* Incus nullis malleorum ictibus cedens, cum epigraphe Italorum: *Ogni durezza vinco*; vel: *Dura omnia vinco*; ſeu breviùs: *Durabo.* Item palma adversùs pondera ſurgens, cum inſcripto: *Quò preſſior, altior*; & arundo inter

omnes

omnes ventorum furias infracta,addito Lemate: ***Firma, licet infirma.*** Vel amaranthus flos: ***Nec gelu, nec æſtu.*** Aut adamas: ***Nec ferro, nec igne.*** Vel denique Salamandra inter flamas conſiſtens: ***Nec lædor, nec terreor, &c.***

Verùm inter ejuſmodi Symbola, quæ de doloroſæ & afflictiſſimæ Matris patientia formari poſſunt, nullum magis mihi arridet,quàm mitis quædam ovicula, quæ,licet ad lanienam & macellum trahatur, nunc jugulanda, & excorianda. nullum tamen impatientiæ ſignum edere,vel querelas ſpargere, aut inimicis ferocitatem exprobrare aſſolet,ſed toleranti animo cuncta adverſa, ipſamque cruentam necem ſuſtinet; proinde ejuſmodi oviculæ, ſigno T. ſeu crucis notatæ, illud Regii Vatis rectè pro Lemmate inſcribes:

## Non habet redargutionem. Pſalm. 37.15.

En perelegantem typum in doloroſa & afflictiſſima Matre JEſu expreſſum; quæ,dum Filius innocentiſſimus,quaſi *agnus manſuetus,ad victimam* raptatus eſt,velut *ovis inter omnes mitis* non aperuit os ſuum, nec in ore aut corde ſuo redargutionem habuit contra infandos & ſceleſtiſſimos deicidas, ſed ſuma cum patientia ſanguinolenta patientis Filii veſtigia ſecuta eſt, omneſque injurias,opprobria,ac cruciatus dulciſſimo Nato & ſibi illatos invictâ planè & admirandâ tolerantiâ ſuſtinuit: *Quoniam tu,* dicebat in corde ſuo,*es patientia mea, Domine*; hoc eſt unica cauſa,quòd libenter tecum hæc omnia perferam adverſa,cùm non ignorem, omnem hanc afflictionem à te eſſe profectam,cujus ſanctiſſimæ voluntati me in omnibus humiliter ſubjicio; *ita Pater,quoniam ſic placitum fuit ante te*,placet & mihi cum Filio pati,crucifigi, mori. Audi devotiſſimum Bloſium: *Attendens,* inquit, *beata Virgo,ut ille Filius ſuus acerbiſſimam paſſionem pleniſſima cum patientia abſque ullo murmure,ex ingenti atque ardentiſſimo erga nos amore cum gaudio ſpiritûs pertuliſſet; ipſa quidquid patiendum occurrebat, flagranti deſiderio & æſtuanti cum lætitia tolerabat.* O quàm diſſimiles ſumus (ſi quid ad tolerandum occurrit) patienti JESU & SS.Matri ejus compatienti!

Jerem. 11.19. Pſal. 70. 5. Matth. 11 26. Bloſ. Spirit. Inſt. appen. I. c. 2. n. 5.

2. De Jacob Patriarcha comemorant Sacræ Paginæ,quòd,cùm tunicam filii ſui Joſephi, ſuper omnes natos dilecti,nunc in ſanguine hædi intinctam & dilaceratam, per ſubmiſſum nuntium recepiſſet: *Hanc invenimus: Vide utrùm tunica filii tui ſit, an non?* Præ nimio animi dolore non ſine impatientia veſtimenta ſua diſciderit: *Sciſſiſque veſtibus, indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.* Geneſ. 37.32.

Ita Job, Huſſæus ille Princeps, aliàs patientiſſimus, & nullis hactenus fortunæ adverſæ caſibus fractus, cùm nuntium de inopinata filiorum ſuorũ morte recepit,immemor priſtinæ tolerantiæ veſtes ſuas non ſine aliqua indigna-

 digna-

Digitized by Google

Job. 1. 20. dignatione in partes diſrupit: *Tunc ſurrexit Job, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adoravit.*

Ita & deſolata illa Mater infelicis belli Ducis Siſaræ, cùm ei, domi moranti, ob moram, quâ aberat filius, mens pavida cædem ejuſdem ſui nati præſagiret, & paulò poſt per feneſtras proſpiciens, illius interitum inaudiiſſet, quòd nimirum ferreo clavo per tempora ejus à Jahele adacto in terra affixus, miſerrimâ morte animam expiraſſet, dolori impar in lamenta & ululatus inconditos erupit, univerſamque domum mœrore inſolito complevit:

Jud. 5. 28. *Per feneſtram proſpiciens, ululabat Mater ejus, & de cœnaculo loquebatur, cur moratur regredi currus ejus?*

Non ſic beatiſſima Virgo & Mater crucifixi JESU, non ſic, cùm Filium ſuum, unicum COR ſuum, captum, accuſatum, flagellatum, ſpinis cruentatum, crucis ligno onuſtum ac denique in infami patibulo luctuoſiſſimâ morte expirantem conſpicata eſt; non ideo murmuravit, non vociferata eſt, non veſtes ob aliquem impatientiæ motum diſrupit, non ejulavit, non rugiit dolore; non capillos è capite revulſit; ut in gravi luctu aliæ ſolent Matres agere, ſed omnes hos efferatos maris fluctus, licet ſtans in medio luporum adinſtar patientiſſimæ oviculæ, invictiſſimâ tolerantiâ ſuperavit:

Petr. Caniſ. P. 2. lib. 4. cap. 28. *Stabat*, ait Petrus Caniſius, *B. Virgo, ſuæ virtutis atque conſtantiæ, quæ rebus adverſis probanda erat, memorandum exemplum poſteris præbitura; quandoquidem nec tribulatio, nec anguſtia, nec periculum, nec perſecutio, nec gladius, nec mors nec vita, neque alia creatura illam ſeparare poſſet à charitate Chriſti, cui mente cohærebat.*

3. Incidit hîc mihi in mentem zeloſiſſimus Propheta Elias Theſbites, ad quem in vertice montis Carmeli commorantem Rex Ochozias ægrotans duos quinquagenarios amandavit, ut eum aut vi, aut dolo caperent, atque ad

4. Reg. 1. 9. ſe etiam invitum perducerent: *Homo DEI, Rex præcepit, ut deſcendas*; ad quod Elias ſpiritu vehementiori ſuccenſus ignem de cœlo, qui illos devoraret milites, non ſine prodigio devocavit: *Si homo DEI ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos, &c.*

Pari zelo Eliſæus, Eliæ diſcipulus in petulantes illos pueros, qui in Be-

4. Reg. 2. 23. thel ſibi protervè inſultabant, animadvertit, dum non duntaxat eis in nomine Domini maledixit, ſed & duos urſos de ſaltu evocavit, qui in condignam ſceleris punitionem quadraginta ex dictis pueris in fruſta dilacerârunt: *Egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, &c.*

Ita duo filii Zebedæi cùm inurbanitatem & ingratitudinem Samaritanorum obſervâſſent, quòd pientiſſimo orbis Redemptori Chriſto in civitate ſua ne quidem nocte imminente hoſpitium ad pernoctandum concede-

Luc. 9. 53. re vellent: *Et non receperunt eum*; ex nimio zelo commoti ſine mora vindictam eis de cœlo intentarunt: *Domine, vis, dicimus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?*

Ita

Ita & Paulus in concilio cauſam ſuam agens, & innocentiam ſuam publicè defendens, cùm à Pontifice Anania juberetur, ut à circumſtantibus os Pauli pugnis obturaretur: *Præcepit adſtantibus ſibi percutere os ejus*; ſine mora auctoritate Apoſtolica ex juſtitiæ zelo illi Pontifici ultionem à DEO juſtiſſimo ſcelerum Vindice intentavit: *Percutiet te DEUS, paries dealbate.* Actor. 23. 3.

De Epiroina muliere forti & gentili recenſet Plutarchus, quòd, cùm filium ſuum Argicum cum Rege Pyrrho in pugna digladiatoria congredientem per feneſtrā tecti vidiſſet, filiumque à Rege in primo aſſaltu certò confodiendum obſervaſſet, abſque ulla mora tegulam de tecto arripuerit, quam virili impetu in caput Regis dejecit, eumque in arena occidit. Plutarch. in vita Pyrrhi.

O quàm aliter doloroſa Virgo & Mater crucifixi JESU ſtans in Calvariæ rupe & ſpectans Filii ſui cruentum agonem, contra inimicos ſeſe exhibuit! de qua pariter illud Regii Vatis verificatum fuit: *Circumdederunt me vituli multi, & tauri pingues obſederunt me.* Pſalm. 21. 12. Illudebat ei plebs furioſa, & militū ac ſervorum caterva petulantiſſima adinſtar laſcivientium vitulorum ac pinguium taurorum ei inſultabat; Scribæ & Phariſæi etiam digito extento illam juxta crucem dilectiſſimi Filii ſui ſtantem cæteris circumſtantibus monſtrabant: *Hæc eſt Mater Seductoris, &c.* Interim jamjam ſe parabant omnia elementa ad condignam ultionem de impiis his deicidis ſumendam; ſol obſcuratus eſt, terra contremuit, petræ ſciſſæ, & monumenta aperta ſunt, & ipſe infernus dilatavit os ſuum, ut execrandos illos peccatores vivos deglutiret; ſed quid ad hæc omnia afflictiſſima, juxta ac mitiſſima Virgo? Num fortaſſe ignem de cœlo devocavit, ut Elias? Sciebat enim JESUM Filium ſuum Eliâ longè eſſe majorem, ac proinde injuriam ipſi illatam infinities graviorem? Num alicui maledixit, ut Eliſæus? *Maledixit eis in nomine Domini?* 4. Reg. 2. 23. Num vindictam petiit ut filii Zebedæi, & ideo rectè *Boanerges* vocati; hoc eſt, filii tonitrui? Marc. 3. 17. Num indignata fuit injuſtis Pontificibus & iniquiſſimo Judici Pilato, ut quondam Paulus Ananiæ: *Percutiet vos DEUS?* Num denique lapides præ indignatione è terra eruit, & in maledicta carnificum capita miſit ut Epiroina? Nihil ſimile reperies in hac dolentiſſima Matre, ſed potiùs quòd omnes ejuſmodi injurias ac contemptus, Filio & ſibi illatos, humili ac patientiſſimo animo ſuſtinuerit, imò & pro transgreſſoribus oravit, *quaſi non habens in ore ſuo redargutionem*; Pſalm. 37. 11. ita obſervat Doctor Seraphicus: Cùm crucifixus JESUS ad Patrem clamaſſet: *Pater dimitte illis*; Luc. 23. 34. interim MARIA, ah verè Mater amoris & doloris! in genua juxta crucem ſeſe demiſit, & flens, ac lacrymans, unà cum patiente Filio eandem orationem ad Cœleſtem Patrem ingeminavit: *Pater dimitte illis.* S. Bonavent. in vita Chr. O patientiam admirandam! O tolerantiam nullis unquam ſæculis auditam! *Magna erat velut mare contritio tua*, ait S. Bernhardinus, *& hoc mare per impatientiam non redundabat. Omnia flumina intrant in mare; id eſt, in* S. Bernhardi 1. tom. 3. f. 2. a. 3. c. 4.

MA-

*MARIAM*, *& mare non redundat*, *ſcilicet per impatientiam.* O bone DEUS ubi noſtra patientia eſt, qui vix unum verbulum durius (non dico verbera) & nec leviſſimam injuriolam æquo poſſumus ſufferre & perpeti animo. O Chriſtiani, diſcite ab hac ſanctiſſima & afflictiſſima Matre veſtra: Hebr.10.36. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem DEI facientes, reportetis promiſſionem.*

4. Cæterùm mirantur, cauſamque inquirunt SS. Patres, ac Sacrarum litterarum gnari, quare Chriſtus Dominus non de cruce deſcenderit, cùm Judæi in Calvariæ jugo cruentum hunc pientiſſimi Redemptoris noſtri agonem ſpectantes inſtantiſſimè petierint, ut de cruce deſcenderet: Matth.27.42. *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei?* O bone JESU! en optatiſſima hic ſeſe offert occaſio, tandem obſtinata hæc Judæorum pectora, pro quorum ſalute hactenus tantùm & uſque ad ſanguinis profuſionem laboraſti, ad frugem convertendi; deſcende igitur de crucis ligno, ſolve manus ac pedes trabalibus ſuffixos clavis, & ecce ſalva ſunt omnia; omnes in te credent, atque te ut Meſſiam ſuum ac Regem cœleſtem venerabundi agnoſcent ac ſuſcipient. Verùm nihiloſeciùs in cruce conſtans, perſeverat mitiſſimus JESUS, atque in ea vivere & mori diſcupit. Cauſam ſubjungit D. Auguſtinus: S. Auguſtin. in Tr. 37. in Joan. *Quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat: Si enim commotus ad eorum verba deſcenderet, victus conviciorum dolore putaretur.* Cui ſubjungo S. Bernhardum: S. Bernhard. de ſerm. 1. de Reſur. Dom. *Deſcendat, inquiunt, de cruce, ſi Rex Iſraël eſt, titulum Regni non deſerat, virgam Imperii non deponat, cujus nimirum Imperium ſuper humerum ejus, ſicut præcinit Iſaias. Noli, inquiunt Judæi ad Pilatum, noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Judæorum; & Pilatus. Quod ſcripſi, ſcripſi. Si Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit, Chriſtus non perficiet, quod incepit? Ipſe enim cœpit, & ſalvabit nos. Sed dicunt, alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere; imò verò ſi deſcenderit, neminem ſalvum faciet, cùm enim ſalvus eſſe non poſſit, niſi qui perſeveraverit uſque in finem, quanto minùs poterit eſſe Salvator? Alios ergo ſalvos fecit, nam ſalvatione, cùm ſit ſalus, ipſe non indiget, &c.* S. Bernhard. loc. cit. Aliam cauſam, cur Chriſtus licet à Judæis ſolicitatus non deſcenderit de cruce, ſubjungit idem Mellifluus: *Ne daret,* inquit, *occaſionem ſurripiendæ nobis perſeverantiæ, quæ ſola coronatur, &c.*

Revertor ad te, ô Mater doloroſiſſima, quæ non procul ſed juxta crucem Filii tui ſtare conſueveras, ita quidem, ut etiam ſanguine illius de Sacris Vulneribus copioſè ſcaturiente, prolueréris, & maderes, prout etiamnum velum capitis tui, Sacroſancto Chriſti cruore rubens, in regno Bohemiæ inter alia pretioſa lipſana religioſè aſſervatum, ſatis luculenter hanc veritatem demonſtrat. Mancin. de paſſ. Dom. lib. 5. diſſ. 1 punct. 1. Dic, obſecro, ô Domina, quare proximè adſtare cruci voluiſti? Agar quondam non poterat videre filium ſuum morientem, unde abjecto ſubter unam arborum puero, abit, ſeditque à regione procul, quantum

poteſt

poteſt arcus jacere, dixit enim: *Non videbo morientem puerum*; & tu, ô Domina! nec latum quidem unguem à cruce diſcedis? Obſerva, anima Chriſtiana, quemadmodum ille, cui cor dolet, condolens illi manum apponit: ſi caput, capiti; ſi dens, denti; ſi venter, ventri, &c. Sic afflictiſſima Mater, cujus Cor unum cum Corde JESU fuerat, in omni paſſione, ac tunc præſertim in cruce morienti Filio adhærere voluit, quia in ea totus illius dolor erat, proin cum patiente Filio & dolores & injurias illatas patientiſſimè ſuſtinuit; unde in Epithalamio in typo illius dilectæ Sulamitidis ad Sionidas dixiſſe fertur: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.* O pientiſſima Domina! quomodo & qualis ſol pulchritudinem tuam potuit decolorare? Genes. 21. 16. Cant. 1. 6.

Adverte. Quòd B. Virgo quoad naturalem colorem aliquatenus ſubnigra & fuſca fuerit, refert S. Epiphanius, qui hujus Sacratiſſimæ Deiparæ formam patheticè deſcripſit, unde eam tanquam Palæſtinam colore triticeo, & decenter nigram fuiſſe aſſerit: *Colore*, inquit, *fuit triticeo, capillo flavo, oculis acribus, ſubflavas & tanquam olea colore pupillas in eis habens: Supercilia ei erant inflexa & decenter nigra, naſus longior, labia florida, & verborum ſuavitate plena, facies non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior, manus ſimul & digiti longiores, &c.* Verumenimverò non hîc litteram, ſed ſenſum ac myſterium inquiro. S. Epiphan. & Niceph. lib. 2. Hiſt. cap. 23.

Per ſolem rectè Chriſtum JEſum in cruce exaltatum ſubaudies, ſub quo myſtico Sole à meridie uſque ad ejus occaſum B. Virgo & Mater afflictiſſima in veſte pulla (prout aliqui obſervant) conſtantiſſimè ſtetit, acerbiſſimos dulciſſimi Nati ſui ſpectans, ac conſiderans cruciatus; *idcirco non tam ſolis* (prout loquitur Cornelius) *quàm doloris ardoribus fuit fuſcata*, dum hæc Sacratiſſima Deipara, licet ab omni peccati labe alieniſſima, paſſim tamen peccatrix, Mater ſumi malefactoris, & coriphæi latronum, ac peſſimi homuncionis nutrix dicebatur, quas contumelias dolentiſſima Virgo ſumma cum patientia toleravit, atque cum Filio deſpecto deſpecta nec ſibi maledicentibus maledixit, *quaſi non habens in ore ſuo redargutionem.* Cornel. in hunc loc. Pſalm. 37. 15.


5. Viden' anima Chriſtiana, quomodo hæc Sacratiſſima Deipara in ore quidem hominum nigra, ſed in conſpectu DEI & Angelorum tota pulchra & formoſa fuerit: *Nigra ſum ſed formoſa.* O quàm longè adhuc à ſanctitate hujus Sacratiſſimæ Virginis abſumus, qui in peccatis nati, & educati ſumus? ah ubi patientia noſtra in adverſis? ubi tolerantia in perſecutionibus? ubi fortitudo in tentationibus? Ubi æquus animus in ſuſtinendis injuriis? Ubi perſeverantia uſque in finem? *quia acceptus eras DEO*, dicebat quondam Archangelus ad ſeniorem Tobiam! *neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Per patientiam Job probatus, & juſtus inventus eſt. Joſeph, quia patienter tulit injuriam à fratribus & uxore Putipharis ſibi illatam, in Pro-Re- Cant. 1. 4. Tob. 12. 13. Job. 1. & ſeq. Geneſ. 40. 40. 2. Reg. 16. 7.

gem Ægyptiorum electus fuit. David, quia contumelias & perſecutiones
à Semei & aliis perduellibus, imò & à proprio filio ſuo ſibi illatas, patienti
animo pertulit, non tantùm in regio ſolio confirmatus, ſed & vir ſecundùm
Actor. 13. 22. Cor DEI appellatus eſt: *Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundùm Cor meum, qui*
*faciet omnes voluntates meas.* Eleazarus pro Lege DEI duriſſimos cruciatus
2. Mach. 6. 24. patienti & generoſo animo perpeſſus eſt, &c. Cui annecto fortiſſimos Ma-
2. Mach. 7. 1. chabæos & univerſum SS. Martyrum candidatum exercitum nonniſi per
patientiam ſalvatum. *O nos felices!* ſubintrat hîc S. Gregorius Magnus, *qui*
*ſine flamma & ferro Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam veraciter in animo cuſtodiamus.*
Et nunquid ignis omnia devorat, atque conſumit? Sed aurum & argen-
tum probat, ac purgat: Sic homo juſtus in adverſis per patientiam à DEO
probari ſolet, ſine adverſario enim marcet virtus. Si aqua non movetur, ne-
ceſſe eſt, ut computreſcat, vermes ac bufones progignat. Aër ſi non ventis
agitatur, contagiones cauſabit ac peſtes. Aromata non niſi in piſtillo *con-*
Actor. 14. 10. tuſa fragrantiam ſuam ſpargunt. O chara patientia! tu es optimum om-
nium malorum remedium; tu es porta illa ferrea, quæ ducit ad civitatem
cœleſtem Jeruſalem. Centurio, quia Chriſti in cruce pendentis immenſam
patientiam vidit, ſine mora ad DEUM & veræ fidei lumen converſus eſt.
Marc. 15. 39. *Verè hic homo Filius DEI erat.* O Chriſtiani! levate & Vos capita veſtra, &
1. Petr. 2. 21. intuemini crucifixum Amorem veſtrum, ac Sacratiſſimam Matrem ejus
doloroſam ſub cruce ſtantem, *qui facti ſunt pro nobis exemplum, ut ſequa-*
Luc. 21. 19. *mur veſtigia eorum.* Agite: *In patientia veſtra poſſidebitis*
*animas veſtras,* &c.

CON-

# CONSIDERATIO XLII.

## Doloroſa Virgo Filio in cruce agonizanti aſſiſtens omnium fidelium agonizantium fideliſſima Patrona.




Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. *Luc.* 1.79.

1. PErmagni quondam ab Iſraëlitico populo æſtimatum fuit candelabrum illud aureum, ſeptifidum, ſeptemque ardentibus lucernis inſtructum, quod in tabernaculo teſtimonii collocatum Sanctum Sanctorum de nocte illuminabat; & ut perpetuò in Domo DEI arderet, neque de nocte extingueretur, à DEO conſtituti ſunt Aaron & filii ejus, qui hujus ſanctæ lucernæ ſedulam gererent curam, eamque ſtatutis temporibus oleo nutrirent puriſſimo: *Ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii, &c.* Exod. 27. 20. Per hoc aureum candelabrum, ſeu lucernam ſeptem lychnis (prout in noſtro Emblemate videre eſt) adornatam, ſemperque de die ac nocte arden-

S.Epiphan. or. de laud. Deip. dentem, S.Epiphanius, SS. Deiparam intelligit: *MARIA Virgo,* inquit, *eſt candelabrum, quod ab altiſſimo throno accepit ter lucidum ignem,* & S.Cyrillus eandem
S. Cyrill. ſerm. contra Neſtorium. SS. DEI Genitricem *lampadem inextinguibilem* appellat, quæ non de die duntaxat, ſed etiam de nocte & in tenebris, hoc eſt, in paſſione & morte unigeniti Filii ſui in cruce pendentis, miſeris mortalibus, in umbra mortis ambulantibus, mirè illuxit; in cujus rei finem in hebdomade ſacra, dum myſterium paſſionis Dominicæ in Eccleſia lugubri cantu & ornatu recolitur, omnes lampades, una ſola excepta, & in candelabro trigono cunctæ reliquæ candelæ extingui ſolent (una iterum ſola remanente, & juxta aram maximâ in tenebris repoſita) quæ lucerna afflictiſſimam Deiparentem deſignat, quæ, recedentibus à patiente Filio omnibus notis & amicis, ſola tanquã fidei, & charitatis lucerna ſemper ardens, etiam in mediis perſecutionum tenebris conſtantiſſimè perſeveravit, atque Filio morienti fideliter uſque ad finem adſtitit; imò nec per mortem ab illo ſeparari potuit; proinde meruit, ut omnium fidelium in Chriſto morientium fideliſſima Patrona & Advocata deſignare-
S.Ildephonſ. lib. de Excell. V. ſerm. de Aſſumpt. tur: *Potentiorem,* inquit S. Ildephonſus, *ad placandam iram Judicis invenire non poſſumus, quam te, quæ meruiſti Mater exiſtere ejuſdem Redemptoris & Judicis.* Cui myſticæ lucernæ ob ſeptem doloris gladios exantlatos ſeptifidæ, & oleo charitatis in nos ſemper redundanti rectè pro Lemate inſcribes: *His, qui in tenebris;* vel ſi magis arridet, illud proverbiorum:

## Non extinguetur.

Proverb. 31. 18. 2. Ita eſt: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus;* per quam noctem mors deſignatur! unde Veritas Chriſtus: *Venit nox, in qua nemo poteſt ope-*
Joan. 9. 4. *rari.* O periculoſa, ô caliginoſa, ô formidanda nox, dum nobis taliter, qualiter diſpoſitis ex hac vita mortali ad longam, longiſſimam æternitatem mi-
Pſal. 10. 9. grandum erit, heu qualem? Ah quid erit, quando hoſtis ille capitalis & Tar-
Geneſ. 3. 15. tareus *inſidiabitur in abſcondito: quaſi leo in ſpelunca ſua, ut rapiat pauperem?*
Apocal. 12. 12. Quid erit, quando draco ille magnus *inſidiabitur calcaneo* (hoc eſt, ultimo
Epheſ. 6. 12. vitæ tuæ termino) *habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet?* Quid erit, quando tibi, *colluctatio erit non adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus poteſtates tenebrarum!* Quid dico de doloribus, quibus tunc corpus & ani-
Jerem. 2. 19. ma obruentur? Tunc enimverò videbis, *quàm amarum ſit, reliquiſſe te Dominum DEUM tuum,* qui nunc ut juſtus ac diſtrictiſſimus Judex, ſtans ad januam æternitatis, de cogitatis, dictis & factis tuis omnibus ac ſingulis rationem à te requiret exactiſſimam. O bone JESU! ô Amor crucifixe! quid
Pſal. 74. 3. mecum fiet, ſi etiam juſtitias judicaveris: *Cùm accepero tempus, ego juſtitias*
1. Petr. 4. 18. Eccleſ. 9. 1. *judicabo? Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Heu anima mea miſera & afflicta, quia ignara, *an odio vel amore digna ſis,* quid tunc in mor-

morte de te fiet, cùm ab omnibus notis & amicis derelicta, quaſi tremula ovicula inter rabidos lupos, & quaſi columba ſeducta inter rapaces milvos, aut tanquam lepuſculus invalidus inter feros moloſſos conſtituêris?

Ad S. Anſelmum Epiſcopum quondam lepus, ne venatoribus & canibus in prædam cederet, anhelans & pavidus confugit, ſub cujus protectionis pallio & vitam & libertatem conſervavit. Verùm quò ego fugiam miſer tunc agonizans, & cum paulatim actum fuerit de vita mea? O anime mi, & cliens Mariane! licèt ſis Benoni, & Filius doloris doloroſæ Matris MARIÆ, macte virtute eſto: Reſume animum, mœſtumque timorem mitte: *Nullus, qui ſperavit in Domino, confuſus eſt*; Addo ego: Nullus, qui interceſſionem doloroſæ Matris JESU humiliter imploravit, derelictus eſt, & quomodo hæc Domina noſtra poterit ſententiæ ſubſcribere æternæ damnationis noſtræ, quos tanto cum dolore & gemitu peperit ſub cruce? *Sileat*, ſubintrat hîc Mellifluus, *miſericordiam tuam Virgo beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in ſuis neceſſitatibus meminerit defuiſſe*; & quid, obſecro, mali timeamus, ſi ipſa Mater Judicis nobiſcum erit? Proinde meritò cum Pſalte Regio exclamare poſſumus: *Si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*, ô Virgo doloroſiſſima! Patrona mea; & Advocata mea! imò & Mater mea.

S. Fran. de Sales in Philothea.
Eccl. 2. 11.
S. Bernhard. ſerm. 4. de Aſſumpt.
Pſal. 22. 4.

3. Miram quondam fiduciam Jacob laudatiſſimus ille Patriarcha in ſuo baculo collocavit, ubi enim ab Angelo, per totam noctem ſecum colluctante, nervum ſui femoris per vehementem percuſſionem & colliſionem nunc luxatum & claudum advertit: *Tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit*; claudicans pede baculum adhibere coactus eſt, cujus ope Jordanem fluvium feliciter ſe ſuperâſſe profitetur: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum; Et nunc cum duabus turmis regredior.*

Geneſ. 32. 25.

David Iſraëlitarum Rex de ſe ipſo fert teſtimonium, quòd, cùm adhuc opilionem ageret, virgæ & baculi ſui opem ſæpe numero expertus ſit; nemo enim ignorat, paſtores virgâ oves ſuas regere, & baculo ferro præfixo contra lupos pugnare, unde ad hoc paſtorale pedum ſuum alludens dixit: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.*

Pſal. 22. 4.

Verùm altiùs erigamus mentis noſtræ oculos. Per utrumque hunc baculum & Jacobi & Davidis juxta mentem S. Auguſtini & aliorum Dominica crux deſignata fuit, in qua Chriſtus ſumus animarum noſtrarum Paſtor Jordanem Paſſionis tranſivit, & cum duabus turmis, velut alter Jacob, una Angelorum, altera hominum, in cœleſtem Patriam, à qua exierat, regreſſus eſt; per virgam autem conſolatricem Davidis, ſubintrat hîc Hadrianus Lyræus, rectè doloroſa Virgo & Mater JESU crucifixi juxta crucem Filii ſtans præſignata eſt, ipſa enim eſt *virga conſurgens de Iſraël, qua percutiet duces Moab*, hoc eſt, dæmones impiorum duces, qui quidem velut canes ca-

S. Auguſtin. ſerm. 79. de temp.
Hadr. Lyr. S.J. de Chr. Pat. f. 522.
Num. 24. 17.

tenis alligati, in vita & in morte allatrare nos poterunt, nocere autem & mordere non valebunt niſi volentes; & quemadmodum canis baculum & virgam, qua percuſſus eſt, timet, & perhorreſcit, ita diabolus crucifixum JESUM, per quem in cruce devictus eſt, & SS. Matrem ejus doloroſam, à qua in capite contritus fuit, formidat, atque ad eorum SS. Nominum invocationem protinus in fugam agitur. Et hoc eſt, anima Chriſtiana, quod nobis peculiari ſolamini eſſe debeat, quia in agone noſtro, ſi utriuſque opem nunc in vita ſedulò imploraverimus, ſine dubio & illorum auxilium ſentiemus, atque Jordanem (quod idem eſt ac *fluvius judicii*) feliciter ſuperabimus: *Habet tunc homo*, ait Mellifluus, *Mediatorem cauſæ ſuæ ante Patrem ipſum Filium, & ante Filium Matrem: Chriſtus Patri oſtendit latus & vulnera, MARIA Chriſto pectus & ubera; nec omnino poteſt eſſe repulſa, ubi concurrunt, & orant omni linguâ diſertiùs hæc clementiæ monumenta.*

S. Bernhard. in ſerm. ſup. Salve.

4. Mira quondam DEUS per arcam prodigia facere conſueverat. Si cruentum imminebat bellum, arca ante omnes præcedebat: *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum.*

1. Reg. 4. 3.

Si civitas erat expugnanda (uti patet in everſione Jericho) Arcam Domini applicabant, qua circumeunte, & omni populo vociferante, muri illicò collapſi ſunt: *Cumque Joſue verba finiſſet, & ſeptem Sacerdotes ſeptem buccinis clangerent ante Arcam fœderis Domini, &c.*

Joſue. 6. 8.

Si flumen ingens ac periculoſum cum exercitu erat trajiciendum, rurſus ad Arcam confugiebant, qua duce & comite ſecuri ad alteram fluminis ripam transmeabant; conſule librum Joſue, in quo reperies, quàm ingenti prodigio Arca Domini, humeris Sacerdotum delata, univerſum populum ſicco pede per Jordanem in Palæſtinam, terram illam deſiderabilem, melle & lacte manantem, traduxerit: *Ecce Arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem, &c.*

Joſue 3. 11.

2. Reg. 14. 14.

Anima Chriſtiana, neceſſariò nobis hoc flumen Jordanis, mortis & judicii erit tranſeundum; non datur hîc effugii locus: *Omnes enim morimur, & ſicut aqua dilabimur*; Jordanis flumen olim ex una parte àdinſtar montis ſtabat, populo liberum permittens ad terram promiſſionis tranſitum, ex altera verò parte decurrebat in mare mortuum; ita eſt, ad hoc mare mortuum omnes quotidie magnis paſſibus decurrimus. Provideamus ergo nobis de vera ſalutis Arca, ut itineris noſtri tantis obnoxii periculis duxque comesque fiat, quia hoſtis noſter diabolus tunc in mortis lucta cunctas ſuas exercet vires, quibus nos perdat, & inferni barathro æternùm demergat; eſt autem hæc ſalutis & vitæ Arca non alia, quàm pretioſiſſima Virgo & Mater doloroſa. *Hæc Arca eſt*, inquit Mellifluus, *in qua naufragium evadimus.* O quàm multi mortalium cum indurato Pharaone periculoſum hoc vadum non tranſierunt,

S. Bernhard. de Verb. Apoc.

Digitized by Google

runt,ſed in peccatis ſuis immerſi infeliciter in ejus quoque fluctibus imerſi ſunt: *Ferebanturque in profundum.* Nos verò Clientes Mariani! *afferamus ad nos Arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, ut ſalvet nos de manu inimicorum noſtrorum*; perire enim non poterit,qui devotus ac fidelis MARIÆ,Virginis ac Matris doloroſæ ſervus ac filius extiterit: *Impoſſibile eſt*, ait S. Anſelmus, *quòd illi,à quibus Virgo MARIA oculos miſericordiæ ſuæ avertit,ſalventur,ita neceſſarium,quòd hi,ad quos convertit oculos ſuos pro eis advocans, juſtificentur & glorificentur.* Exod. 14.25. 1. Reg. 4. 3. S. Anſelm. cit. à S. Antonin. 4. p. tit. 25. cap. 14. §. 7.

5. Miror,quoties conſidero promptitudinem & alacritatem magni illius Patriarchæ Abrahami,dum ſine mora ad crudele illud, ipſiſque naturæ legibus repugnans mandatum ſeſe paratum exhibuit,ad Filium ſuum unigenitum,quem diligebat,ſuper unum montium DEO in holocauſtum immolandum: *De nocte conſurgens ... abiit ad locum,quem præceperat ei DEUS.* Et ecce cùm nunc manus in puerum extendiſſet ſuper ſtruem lignorum, adeſt in tempore de cœlo nuntius: *Non extendas manum tuam ſuper puerum, &c.* Mitto cætera,& pergo ad illam benedictionem ac mercedem, quam heroico illo actu promeruit,dum Filium ſuum unigenitum ac unicè dilectum DEO T. O. M. in victimam deſtinavit: *Quia feciſti hanc rem,& non peperciſti filio tuo unigenito propter me,benedicam tibi,& multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam,quæ eſt in littore maris: Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ*, &c. Larga ſine dubio,& grandis erat illa benedictio, in qua advertunt Patres, quòd Abraham per hanc ſuam obedientiam & filii victimam ſaltem de congruo meritus ſit,ut ex ſua progenie & ex eodem Iſaac Chriſtus orbis Redemptor naſceretur,qui loco Iſaaci in eodem monte pro peccatis totius mundi eluendis ſuo tempore foret imolandus. Geneſ. 22.

Revertor ad doloroſam Matrem noſtram,quæ in obedientia & promptitudine animi Abrahamo non cedit, quia non duntaxat voluntate,aut in typo,ſed reapſe & in veritate, unicum ſuum ac ſummè dilectum Filium JESUM pro ſalute non unius familiæ,aut gentis,ſed pro ſalute totius orbis in gratiſſimum holocauſtum in eodem monte Moria,ſeu Calvario DEO Patri in ara crucis obtulit; proinde longè meliori jure meruit, ut in ipſa & per ipſam & per ſemen ejus,hoc eſt,JESUM, benedictum ventris Virginei fructum,omnes gentes ac nationes terræ benedicerentur, omniumque Mater ac Domina efficeretur: *Beata DEI Genitrix MARIA ſuis meritis cuncta reparando Mater eſt, & Domina rerum: DEUS enim eſt Dominus omnium, ſingula in ſua natura propriâ juſſione conſtituendo; & MARIA eſt Domina rerum, ſingula congenitæ dignitati per illam, quam meruit, gratiam reſtituendo.* Ita argumentatur Divus Anſelmus de Excellentia Virginis, & rectè. O Mater amoris & doloris: *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti Filio tuo unigenito* S. Anſelm. de Excell. Virg. c. 11.

pro-

*propter me, benedicam tibi, &c.* Hinc meritò illam ut Matrem cunctorum fidelium, ac præſertim in Chriſto morientium potentiſſimam Patronam omnes orthodoxi venerantur. Audi Seraphicum Doctorem ita SS. Virginem ac Matrem doloroſam alloquentem: *In die mortis meæ, ô Domina, conforta animam meam, deduc me ad portum ſalutis, & ſpiritum meum redde factori ſuo: Gratioſus vultus tuus mihi appareat in extremis, formoſitas faciei tuæ lætificet ſpiritum meum egredientem: In exitu animæ meæ de hoc mundo occurre illi, Domina, & ſuſcipe eam: Conſolare eam vultu ſancto tuo, aſpectus dæmonis non conturbet; eſto illi ſcala ad regnum cælorum, & iter rectum ad paradiſum DEI; ſuſtine devotos ante tribunal Chriſti, ſuſcipe cauſam eorum in manibus tuis, &c.* Addo ego: O pretioſiſſima Domina, lumen oculorum meorum, & poſt DEum unica ſpes ſalutis meæ, ſuſcipe & cauſam meam in manibus tuis: quid enim proderit Sanguis crucifixi Filii tui pro me tam copioſè profuſus, ſi deſcendero in æternam corruptionem? Ah Domina! pergant cōmoveri pia tua ac materna viſcera erga me, *licet* indigniſſimum ſervulum tuum, & quæ agonizanti in cruce Filio fideliter adſtitiſti, etiam me non deſeras in hora mortis meæ, &c.

S. Bonavent. in Pſalt. Virg.

6. De Juniore Metello nobili Romano recenſet Plutarchus, quòd potentiſſimo Imperatori Octaviano in cruento bello contra Marcum Antonium fideliter adſtiterit, vitamque pro tuenda Cæſaris parte conſtanter expoſuerit. Accidit, ut Imperator, devicto Marco Antonio, & ſedatâ rebellium turmâ, pro veteri Romanorū more ùt glorioſus Triumphator almā urbem in curru aureo ſublimis ingrederetur, in quo glorioſiſſimo triumpho plures inſigniores rebelles ferreis onuſti vinculis ante rhedam Cæſaris trahebantur, inter quos Metellus Junior & proprium parentem manibus à tergo ligatis conſpicatus eſt, eodem adhuc die ob ſubornatam rebellionem in Capitolio morte plectendum. Quid agit generoſus Metellus? Sine mora ac imperterrito vultu ad Cæſarem triumphantem per militum cuneos, civiumq; aggratulantiū turmas penetrat, rogans, quatenus ob amorem & gratiam ſui hunc captivum parentem, Metellum Seniorem ſibi donaret incolumem ac ſalvum: *Hic quidem*, dicebat Metellus Junior, *ô Imperator! tuus hoſtis, quia in te Dominum ſuum enſem ſtrinxit, mortem promeritus eſt; aſt ego ſum præmio dignus, qui tibi inſerviri, pro ſalute tui contra Marcum Antonium & proprium patrem impavidè dimicans.* Ad quas Metelli preces Auguſtus ad miſericordiam commotus, patrem abſque mora libertate donavit, & Metello incolumem reſtituit.

Plutarch. de Quinto Metello Juniore.

O pientiſſima Domina, & Mater omnis gratiæ ac miſericordiæ! quid habeo ego ſervulus tuus hodie coram te, niſi ut me valde, valde humiliem coram te? Ego enim ſum ille vir mortis, ego, ego peccavi, & rebellis fui ſummo Imperatori, Chriſto JEſu Filio tuo, ego, ego mortem & infernum promeritus ſum, ſed tu, ô Domina mundi, præmio digniſſima es, quia Filio tuo in omni paſſione & cruentiſſimo crucis prælio ad finem usq; fortiter adſtitiſti:

*Non*

*Non pepercisti animæ tuæ propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubveniſti ruinæ ante conſpectum DEI noſtri.* Ah benigniſſima Domina, dic; obſecro, quòd Mater mea ſis; etſi merita invocantis non merentur, ut exaudiar, merita tamen Matris intercedunt: *Quam gratum eſt*, inquit S. Ambroſius, *nautis, qui multa tempeſtate jactati, incerto curſu navigantes, ubinam oberrarent, vel quo tenderent, diu ignorârunt, ſi cœlo ſerenato ſtella maris, ſtella polaris appareat juxta Antarcticum polum? Tam gratum erit nobis in ultimi agonis lucta multis dæmonum tentationibus, & vehementiſſimis doloribus exagitatis, ubi viderimus præclaram hanc Matris ſtellam, quam Eccleſia ſalutat: Ave Maris Stella, DEI Mater alma, &c.*

Judith. 13. 25.

S. Ambroſ. de Nativis. Virg. Deip.

O beatiſſima! non eſt auditum à ſæculò, quemquam tibi devotum à te derelictum; hinc eſt quòd meritò nobis gratulemur de tanta ac tali Matre, quæ non tam benigna in nos miſellos, quàm & potens ac terribilis contra dæmonum inſultus eſſe ſolet; hanc igitur doloroſam & amantiſſimam Matrem noſtram cum S. Bonaventura devotiſſimè oremus, ut nobis in ſupremo illo certamine, ex quo æterna ſalus noſtra pendet, benignè dignetur aſſiſtere: *Propter anguſtias & cruciatus, quos Cor tuum ſuſtinuit, Virgo beatiſſima, quando audiſti Filium tuum dilectiſſimum adjudicatum morti & crucis ſupplicio, accurre nobis tempore infirmitatis noſtræ, quando corpus noſtrum dolore infirmitatis cruciabitur, & ſpiritus noſter hinc propter inſidias dæmonum, illinc propter terrorem diſtricti Judicis anguſtiabitur: Subveni nobis Domina tunc ne damnationis æternæ contra nos proferatur ſententia, &c.*


S. Bonavent. tom. 6. in Offic. ad Dolor. Virg.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO XLIII.

## Quanto cum mœrore Doloroſa Mater Filium ſuum in cruce pendentem viderit expirare.




Vidit ſuum dulcem Natum morientem, deſolatum dum emiſit ſpiritum. *Eccleſia in hym. de 7. Dol.*

1. ANno Chriſtiano 1706. die 12. Maij circa tempus meridianum horrendam eclipſin in noſtra Europa ſpectavimus, ubi ſol, mundi oculus, ſereno cælo ſubitò quaſi nigerrimo ſcuto à luna contectus, & offuſus eſt, ad quam inſperatam ſolis defectionem, dieque in noctem verſo, homines & brutæ animantes hærebant attoniti. Sed nihil ad Eclipſin illam prdigioſam, quæ ſui Creatoris in cruce morientis indignam necem luxit, quam ubi S. Dionyſius Heliopoli in Ægypto obſervavit, exclamâſſe dicitur: *Aut DEus*

*natu-*

*natura, mundi Auctor patitur, aut mundi machina diſſolvitur*: Michaël Syngelus apud Cornelium aſſerit; S. Dionyſium dixiſſe: *DEUS ignotus in carne patitur, ideoque univerſum hiſce tenebris obſcuratur*; de qua formidabili eclypſi Amos quoque Propheta vaticinatus eſt; *Et erit in die illa, dicit Dominus DEUS: Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.*

Cornel. in Matth 27. 45.
Amos. 8. 9.

Solet autem eclypſis ſolis tunc accidere, quando luna nova ſolem inter & nos per diametrum intercurrit, noſtrumque hemiſpherium obumbrat; eclypſis autem lunæ provenit ex interpoſitione terræ inter ſe & ſolem, quæ interjectio per umbram terræ impedit illuminationem ſolis, & lunam obſcurat, unde Lemma lunæ, deliquium, ſeu eclypſin patienti, nonnemo Academicorum inſcripſit: *Alterius umbra.*

Anima Chriſtiana, à figurante ad figuratum tranſeamus: Sol in meridie occidens eſt Chriſtus, horâ diei ſextâ in cruce patiens, & circa horam nonam moriens; luna verò interpoſita doloroſam Matrem juxta crucem non ad latus (ut pingi ſolet) ſed ante & in conſpectu Filii occumbentis ſtantem deſignat; ah qualis Mater! heu quis aſſequi poterit cogitando, aut quis æſtimando capere, quæ ac quanta tormenta in morte unigeniti ſui afflictiſſima illa Mater ſit perpeſſa? *O veneranda*, exclamat B. Amadeus, *& plena doloris ac lacrymarum memoria! recordari, qualiter ſancta illa anima glorioſè paſſa ſit, quasve pertulerit de Chriſti morte anguſtias? pallidus vultus JESU exanguem reddebat vultum Matris. Ille carne, illa corde paſſa eſt. Denique contumeliæ & opprobria impiorum in capite materno redundabant. Mors Domini illi morte amarior fuit*; verè prout Lemma fert:

B. Amadeus Lauſanenſis hom. 5. de Virg. Deip.

## Morientis ſideris umbra.

*Aſpiciebam ego infelix*, dicebat ipſa ad S. Bernhardum, *& miſera DEum meum & Filium meum in cruce pendentem, & morte turpiſſimâ morientem, tantoque dolore, & triſtitiâ vexabar in mente, quòd non poſſit explicari ſermone, &c.* Etenim *Vulnera Chriſti morientis erant Vulnera Matris dolentis, dolores ſævi fuerunt torrentes in animam Matris, &c.* Hìc verificatum fuit illud Joëlis Prophetæ; *Sol vertetur in tenebras, & luna in ſanguinem*: In tenebras, inquam Sol juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, converſus eſt, dum in cruce animam expiravit, & luna, id eſt, B. V. MARIA in ſanguinem per compaſſionem; & ſanguineas, quas teſte S. Germano (prout alibi explicavimus) præ dolore nimio ac intenſiſſimo profudit lacymas. O quàm pauci nunc ſunt Chriſtiani, qui cum SS. Matre doloroſa ſeriò crucifixi JESU doloribus indolent: *Quare magis*, ſubintrat hìc D. Bonaventura, *compateris puncturæ pedis tui, quàm morti Domini tui*? An majori proſequeris amore pedem tuum, quàm Dominum ac DEum tuum amore tui in cruce mortuum? David Saulem juratum hoſtem, ubi ab Amelecita ejus necem intellexit, amaris deflevit la-

S. Bernhard. in Lament. Virg.
Joel. 2. 31.
S. Bonvent. Stim. Div. Amor. p. 1. cap. 2.



Digitized by Google

2. Reg. 1. 12. lacrymis: *Tunc apprehendens David veſtimenta ſua ſcidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & jejunârunt uſque ad veſperam ſuper Saul & ſuper Jonatham filium ejus.* Et tu, ô anime mi! quot lacrymas ob tam indignam crucifixi Domini tui necem profudiſti? Si ipſum quidem (ô cautes, ô ſaxum, imò ipſis ſaxis ac petris durior) unâ contriti cordis lacrymulâ dignum non æſtimas, quare ſaltem ob innumera peccata tua, quibus DEUM toties offendiſti, & infernum meritus es, non ploras? Non ingemiſcis? Non doles? O monſtrum naturæ!

2. De Gedeone referunt Divinæ litteræ, quòd cum trecentis ſuis ſelectiſſimis militibus in innumeros Madianitas de nocte intempeſtâ irruerit, ac clangens tubis, lagenarum comploſione & effulgurantibus lampadibus adeò hoſtes perculerit, ut ipſi mutuâ ſeſe cæde trucidarint, ex quibus centum viginti millia fuêre cæſa; Jud. 7. 19. *Cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas, &c.*

S. Auguſt. ſerm. 108. de temp. Gedeon juxta S. Auguſtinum & alios Chriſti Redemptoris noſtri inſignis typus extitit, qui per crucem ſuam diabolum vicit, mortem debellavit, Synagogam ſubvertit, idola deſtruxit, Eccleſiam ædificavit. Per tubam Verbum Matth. 27. 50. ejus Divinum ſubaudi, ideò enim *clamans vóce magnâ emiſit ſpiritum,* quia VERBUM erat, ut ultimo ſuo & valido clamore omnium mortalium excitaret attentionem. Per lagenam autem fictilem ejus humanitatem, ſeu carnem humanam à Virgine quondam ſuſceptam rectè intelliges, nunc in Calvariæ jugo per mortem confractam, atque colliſam. Per lucernam denique intus ardentem, & comploſa lagena mirè emicantem, immenſam SS. Cordis Epheſ. 5. 2. JESU charitatem attende: *Chriſtus,* inquit Gentium Doctor, *dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam DEO in odorem ſuavitatis.* Juvat hìc quoque audire Cornelium à Lapide: Cornel. in Iſa. cap. 9. v. 4. *Lagena fictilis,* ait, *quæ intus continet ſplendorem ardentis lucernæ, optimum eſt Symbolum Emmanuelis, qui cùm tectam Divinitatem abſconderet in carne mortali, ubi ea per paſſionem colliſa, atque confracta eſt, Divinitas emicuit in reſurrectione: Atque etiam ipſa ejus morte obſcurato ſole, concuſſu terræ, & petrarum crepitu fracta ſunt vires Madian, id eſt, diaboli & tartari.*

O luctuoſum, & plenum horrore ſpectaculum, videre DEum ac Salvatorem ſuum in ſum̃a infamia, in ſum̃is doloribus, & in ſum̃a rerum omnium indigentia tres jam horas in ligno maledicto in latrones ſuffixum, cruentatum, vulneratum, & uſque ad mortem contabeſcentem! ah in quantam miſeriarum & cruciatuum abyſſum devenit amore mei ipſe Altiſſimi Filius, dum humanitas ejus per paſſionem, velut lagena & teſta arida, in morte confracta eſt? Et hæc omnia piis ſpectas oculis, ô Virgo dolentiſſima? Si ipſa terræ viſcera contremuêre, & petræ ſciſſæ ſunt, quo igitur mœrore & luctu conturbata ſunt animæ tuæ viſcera? Ah quomodo poſſibile fuit videre

im-

Digitized by Google

immortalem DEI Patris ac tuum Filium JESUM in cruce cum morte tam miſerabiliter colluctantem? Et circa horam nonam exclamavit JEſus: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* ô vox penetrabilior omni gladio ancipiti in CORDE doloroſiſſimæ Matris, pertingens uſque ad diviſionem animæ illius; audi ipſam hanc mœſtiſſimam Deiparam ad B. Birgittam loquentem: *Cùm Filius meus dixit: DEus, DEus meus, ut quid dereliquiſti me? Quam vocem ego, donec ad cœlum veni, nunquam oblivisci potui, quam plùs ex compaſſione mea, quàm ſua permotus protulit.*

Matth. 27. 46.

B. Birgitt. lib. 4. c. 70.

3. Erant tunc oculi agonizantis JESU obſcurati, ſemimortui & ſanguine repleti, quos tamen ſubinde conabatur adaperire, ut adſtantem Matrem tam dilectam poſſet reſpicere, heu quo interno utriuſque cum luctu? os ejus erat apertum, & ſanguinolentum; vultus lividus & cruore conſperſus; crines evulſi; dentes luxati; genæ pallidæ; lingua cruore rubens, & felle amaricata; manus & pedes clavis duriſſimis perforati, ac rigidiſſimè in cruce extenti; latera & dorſum flagelis diſcerpta; humeri incurvati, & ob crucis bajulationem horrendâ plagâ ſaucii; venter profundâ voragine introrſum retractus, ac ſi nulla prorſus haberet viſcera. Verbo: In toto corpore non erat in eo ſanitas, unum vulnus & plaga tumens, &c. Proinde mortem adeſſe cernens, ut dilectiſſimam Matrem in irato cruciatuum pelago natantem adhuc conſolaretur, dixit: *Conſummatum eſt*; ſupra quod doctiſſimus Mallonius: *JEſus ergo, ut Matrem conſolaretur, adeſſe tormentorum & ſuppliciorum finem indicans, ait: Conſummatum eſt.*

Joan. 19. 30. Mallon. in Expl. S. Sind. apud me fol. 277.

O luctuoſa conſolatio! ſi tamen Mater illa amoris & doloris in morte Unigeniti ſui, tam dirè, tam iṁaniter tractati, aliquam conſolationem (niſi ob ſpem redemptionis noſtræ) habere potuit. David quondam in morte Abner belli ducis, cui lacrymis ſuis ipſe parentare dignatus eſt, ſaltem aliquid ſolaminis accepit: *Plangensque Rex, & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori ſolent ignavi, mortuus eſt Abner, manus tuæ ligatæ ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggravati, ſed ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti; congeminansque omnis populus flevit ſuper eum.* O anima Chriſtiana! quis eſt homo, qui non fleret, Chriſti Matrem ſi videret in tanto ſupplicio? Hoc, inquam, ſolatium in morte dulciſſimi ſui Nati (ut quondam in morte Abner) Mater illa inter omnes afflictiſſima habere non potuit, quia non ſolùm Filii manus ac pedes ferreis clavis, & in cruce ligatos vidit, ſed & SS. Cor ejus fulgurante lanceâ diſruptum. O Chriſtiane! ſi adhuc aliqua tibi inſint pietatis viſcera, quomodo ex animo, & omnium viſcerum latitudine non compateris huic SS. Matri tuæ? Si Apoſtolus quondam dixit: *Flete cum flentibus*, ubi tuæ, ô anima peccatrix! ſunt lacrymæ, compaſſionis & commiſerationis affectus? Et quare non dicis cum propheta illo Threnologo: *Deduc, quaſi torrentem lacrymas per diem & noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui?*

2. Reg. 3. 33.

Rom. 12. 15. Threnor. 2. 18.

4. Cùm Abias filius primogenitus Regis Jeroboam lethali infirmitatè decumberet, Ano Regina & Mater ejus in Silo ad domum Ahiæ Prophetæ ſimulato habitu & perſonâ, profecta eſt, de morbi eventu Vatem illum interrogatura, qui huic Reginæ duriùs, quàm optaverat, reſpondit: *Ego autem miſſus ſum ad te durus nuntius ... Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam, & in ipſo introitu pedum tuorum in urbem morietur puer, & planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet, &c.* Magnus hic ſine dubio Reginæ dolor fuit, ubi audivit, unigenitum filium ſuum, regni hæredem unicum, immaturâ morte è vita tollendum, quæ tamen in hoc mœrore id ſolaminis habere poterat, quod Propheta mox ſubjunxit: *Et planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet;* Sed nihil ejuſmodi ſolatii ſperare poterat dolentiſſima Mater noſtra de ſuo ægrotante Filio unigenito & unicè dilecto: *Et planget eum omnis Iſrael, & ſepeliet;* quinimo impii Judæi, in Golgothæa rupe circumſtantes, magis morienti Filio & Matri innocentiſſimæ inſultabant: *Scurriliter,* inquit doctiſſimus Nebridius, *ſe converterunt ad Matrem non paucis ei exprobrantes contumeliis atque irriſionibus Filii contemptibilem mortem, quibus cùm ipſa non niſi lugubri patientia & ſilentio reſponderet, furentes in eam, niſi pudor obſtitiſſet, aut voluntas DEI potiùs impediens, calcibus eam ſuis protriviſſent, aut ad pedem crucis vix jam aliàs ſpirantem trucidâſſent, &c.*

3. Reg. 14. 6.

Nebrid. in Faſc. Myrr. cap. 20.

O anime mi! conſidera hìc, obſecro, imenſam Virgineæ Matris afflictionem, in cujus oculis moritur Filius tam dilectus; ac talis Filius? O Domina mundi! quomodo tam miſerâ morte contabeſcenti potuiſti viva adſtare ſpectatrix? Si Mater S. Calliopii Juvenis ac Martyris ſanctiſſimi, inverſo quondam capite ob fidei orthodoxæ defenſionem pridie Paraſceves cruci affixi, in amplexu hujus dilecti Filii ſui ſubitaneâ morte præ dolorum magnitudine expiravit; & quomodo tu potuiſti ſtare viva, & juxta crucem Filii? O quantò conſtantior Joabo ſupremo quondam apud Davidem belli Duce, de quo in Regum faſtis habetur, quod inſtante perſecutione ac morte ad tabernaculum Domini confugerit, ubi apprehendens cornu altaris mortem ſubire ſtatuit; & cùm juſſus fuiſſet, ut abinde egrederetur, generoſo animo reſpondit: *Non egrediar, ſed hìc moriar.* O pientiſſima! hæc & mens tua erat, non recedere à cruce Filii, etiamſi mille te ferirent ruinæ: *Non egrediar, ſed hìc moriar;* quòd autem in vivis fuerit conſervata, reſpondit Angelus B. Birgittæ: *Non parvum miraculum à Deo factum eſſe, quod B. Virgo tot doloribus intrinſecus ſauciata ſpiritum non exhalârit, ſed ex ſpeciali omnipotentis Dei dono vitam retinuerit.* Quantùm igitur tibi debemus, ô Mater doloroſiſſima, pro illo affectu & amore, quo ſtans juxta crucem vitam Filii tui pro noſtra ſalute obtuliſti? *Subveniſti ruinæ ante conſpectum DEI noſtri,* nunc genibus nixa, nunc ſtans erecta, nunc oculis ad cœlum elevatis amantiſſimum Filium DEO Patri in acceptiſſimum præſentans holocauſtum. O Domina, quis eſt, qui te non amet? Et ſi quidem talis eſt, *anathema ſit.*

Drexel. de Chriſt. Mor. apud me fol. 533.

3 Reg. 2. 30.

Mallon. fol. 17. Revel. S. Birgitt. cap. 18.

Judith. 12. 25.

5. Sam-

5. Samſon inter mortales fortiſſimus & pluribus prodigiis inclytus, ſed nunc captus & excœcatus, ut morte ſua vitam & libertatem populo ſuo pareret, DEum in medio inimicorum impensè rogavit, quatenus fortitudinem priſtinam ſibi reddere dignaretur; quâ ſubitò per miraculum receptâ, concuſſis fortiter ambabus templi columnis, & clamans: *Moriatur anima mea cum Philiſthiim*, ſuis moriens oppreſſus eſt trophæis: *Multoque plures interfecit moriens, quam antè vivus occiderat.* Samſon typus Chriſti JEſu fuit, qui manus ad duo crucis extrema extendens, & voce magnâ clamans; *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*, totum ædificium infernalis Dagonis cum peccato & gehenna colliſit & oppreſſit, noſque ab illorum jugo miſericorditer liberavit. Audi rurſus doloroſam Matrem ad B. Birgittam loquentem; *Filius clamavit ad Patrem: O Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Hanc vocem cùm audiſſem ego mœſtiſſima ejus Mater, contremuerunt omnia membra mea cum amaro Cordis mei dolore. Et quoties poſtea hanc vocem cogitabam, quaſi in aure mea præſens & recens erat.* Jud. 16. 30. Luc. 23. 46. S. Birg lib. 1. Revel. cap. 10.

O peccatores omnes, arrigite aures, vobis quoq; clamavit moriens JEſus: *JEſus autem iterum clamans voce magnâ emiſit Spiritum.* Tibi clamavit, ô ſuperbe & arrogans pecus: *Ut quid ſuperbis terra & cinis?* En humiliavit ſe uſque ad mortem JEſus, *mortem autem crucis*, ipſis latronibus & iniquiſſimis terræ homuncionibus ſe poſtponens; ad quid ergo tu inflaris, & intumeſcis viliſſime vermis? Tibi clamavit, ô avare & ſordide, apertas & perfortas oſtendens tibi manus, ut tuas in pauperes aperires: *Quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet dives, ut illius inopiâ divites eſſetis.* Tibi clamavit, ô impure & laſcive! attende & vide, ſi eſt dolor ſicut dolor crucifixi JEſu & SS. Matris ejus: *Agnoſce, ô homo! quàm gravia ſint animæ tuæ vulnera, pro quibus neceſſe fuit, Dominum Chriſtum taliter vulnerari, & mori in cruce*; ô anima ſenſualis! en voluptates tuæ Domino JEſu plùs quinque plagarum millibus ſteterunt, & juvat adhuc heu tanto, ac tam imēnſo pretio unicam, fœdiſſimā ac momentaneam carnis voluptatulā mercari? Tibi clamavit, ô invide, & vir ſanguinis, qui vindictam in pectore coquis, ut nunc proximo tuo etiam ab illo læſus, toto ex corde ignoſcas: *Pater dimitte illis*; & nunquid diſcipulus eſt ſuper Magiſtrum, & ſervus ſuper Dominum ſuum? Si peccatorum tuorum deſideras condonationem: Ignoſce. Tibi clamavit, ô guloſe & potator! En Deus tuus & Homo Chriſtus moriens & exhauſtus (quia magna evacuatio ſanguinis magnam ei creabat ſitim) non aliam in ſumā amaritudine refectionem accepit, quàm fel & acetum: *In ſiti mea potaverunt me aceto*; & tu optimos dies tranſigis in eſu & potu? In mundanis & carnalibus? Ah falleris: *Non eſt enim Regnum DEI eſca & potus.* Tibi clamavit, ô irate, qui impatiens iræ mox in blaſphemias & in juramenta ſoles prorumpere: Ecce mitiſſimum agnum coram tondente, imò occidente ſe, non aperientem os ſuum; & tu, inſane, os tuum pōnis in cœlum? Matth. 27. 50. Phil. 2. 8. 2. Cor. 8. 9. S. Bernhard ſerm. 3. de Nat. Luc. 23. 34. Pſalm. 68. 22. Rom. 14. 17. Iſa. 53. 7.

lum? Quid peccavit in te crucifixus Salvator tuus,quòd denuo illum cruci-
Hebr. 6.6. figas? *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei & oſtentui habentes*. Tibi clama-
vit ô piger & ignave! ecce quomodoDeus tuus acRedemptor pro ſalute tua
Pſal.68.3. uſque ad ſanguinem ac mortem laboravit,& nunc veniens *in altitudinem ma-
ris* à tempeſtate demerſus ſit; & tu pro obtinenda æterna gloria vix pedem
Iſa. 57.1. vis levare? O pecus ignavum! Tibi clamavit, ô ingrate! & quid clamavit?
*Juſtus perit, & non eſt, qui recogitet corde.* O execrandam noſtram ingratitudi-
Coloſſ. 1. 18. nem! Medicorum aphoriſmus eſt; *Quando caput languet, cætera membra dolent*;
ſi Chriſtus & hic Crucifixus eſt caput noſtrum,& nos indigna membra ejus,
Pſalm. 68. 27. quare ergo illi non condolemus? Cur dolorem ſuper dolorem vulnerum ei
addimus? Tibi clamavit, ô delicatule! ut mortificationem crucis ſuæ jugiter
in corpore tuo,imò & in corde tuo feras,quid enim aliud fuit tota vitaChriſti
JEſu & SS.Matris ejus Mariæ, quàm aſſidua crux & martyrium? O delicate
miles!qualem tibiDeus in cœlum viam pinget?Si ita oportuit patiChriſtum,
Gal. 5. 24. & ita intrare in gloriam ſuam,quomodo tu in cœlum venies? *Qui ſunt Chriſti*,
inquit Apoſtolus, *carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Vide nunc,
an tu ſisChriſti,vel diaboli?Vobis deniq;clamavit,ô mortales omnes,& qui-
Hebr.5.7. dem clamore magno: *Cum clamore valido & lacrymis*; ſupra quod S. Drogo
S. Drogo de Sacrament. Dom. Paſſ. Epiſcopus Oſtienſis: *Clamat*, ait, *nobis de cruce: O vos omnes, qui tranſitis per vi-
am, attendite & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus, & nemo eſt, qui reſpon-
deat.* Addit & huic clamori lacrymas: *Flevit Chriſtus in cruce*, ſubintrat hìc Mel-
S. Bernhard. cit. à. S. Bonao. ſerm 6. in Paraſceve lifluus, *quia cùm paſſio ſua ſufficeret redemptioni omnium, profuit in redemptionem
paucorum.* O pientiſſima Virgo! vere Mater amoris & doloris! pone nos te-
S. Bernhard. ſerm. 43. in Cant. cum juxta,crucem,ah filios doloris tui,heu nimium ingratos,ut diſcamus ali-
quando, quid ſit JESUS & hic Crucifixus: *Hæc mea*, inquit Mellifluus, *ſubli-
mior Philoſophia eſt, ſcire JEſum, & hunc Crucifixum.* Et nunquid & tua eſt,
Joann 19. 30. ô mi Lector?

Levit. 1.15. 6. *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ita quondam innocentis columbæ
caput dum in holocauſtum Deo à pauperibus offerebatur, ad collum retor-
tum fuit; *Offeret eam Sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vul-
neris loco, decurrere faciet ſanguinem ſuper crepidinem altaris.* Per altare crucem,
& per columbamChriſtum ſubaudi,inclinato capite ſe denuò in mortePatri
in holocauſtum pro peccatis noſtris offerentem. Voluit autem *inclinato capite*
S. Vincent. Ferrer. in dieParaſcev. tradere ſpiritum,ait S.Vinc.Ferr.*quaſi vale diceret Matri*; & devotiſſimusLan-
ſpergius: *Caput ſuum versùs Matrem inclinavit, quaſi ultimum ei Ave ſeu Vale dictu-
rus. Itaque in anguſtiis, doloribusque multis tunc conſtitutus, hoc ſigno innuit, ac ſi
Lanſperg. Hom. 52. de Paſſ. Matri eidem corpus ſuum vulneratum, dilaceratum, ac crudeliter nimis diſſipatum com-
mendaret, &c.* O pie Lector, quomodo tu aliquando expirabis? An in ſtatu
gratiæ? An ſub tutelaMatris doloroſæ? An ſub umbra crucifixi JESU?
ô te felicem,ſi nunc maturè in rem & ſalutem tuam vigilas.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO XLIV.

## Exponitur commiſeratio & amor Doloroſæ Matris Filium ſuum in cruce mortuum contemplantis.




**Sicut Mater unicum amat Filium ſuum, ita ego te diligebam. 2. *Reg.* 1. 26.**

1. SÆpiùs in Sacris Litteris pretioſiſſimus orbis Reparator Chriſtus Soli aſtrorum Principi comparatus eſt; nunc Soli orienti ex alto; nunc Soli juſtitiæ, cujus ſanitas in pennis ejus; nunc Soli cognoſcenti occaſum ſuum; modò Soli intelligentiæ: *Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Modò ſoli in horologio Achaz decem lineis retrogredienti; jam ſoli in meridie occumbenti: *Et erit in die illa, dicit Dominus DEUS: Occidet ſol in meridie, &*

Luc. 1. 48. Malach. 4. 2. Pſalm. 103. 39 Sap. 5. 6. Iſa. 38. 8. Amos. 8. 9.

*tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Solet autem & potiſſimùm Sol in occaſu ſuo in nube aquoſa & opaca ex repercuſſione radiorum pulcherrimam formare Iridem, quæ tamen paulò poſt in pluvias abire ſolet; proinde rectè ejuſmodi arcui cœleſti, ſeu Iridi pro Lemmate inſcribes:

## Deſinit in lacrymas.

S. Bonav. in laud. B. V. n. 5.
S. Laurent. Juſtin. de Triumph. Chriſt. ag. cap. 11.
Cant. 7. 4.

Sol occumbens Chriſtus JESUS in cruce expirans eſt, per arcum cœleſtem, ſeu Iridem Seraphicus Bonaventura rectè doloroſam Matrem ſubaudit, quam *arcum fœderis Divini & reconciliationis* appellat; quæ occumbente in cruce hoc ſole ſuo myſtico, & ipſa Iris myſtica in lacrymas abiit: *Erecta quidem ſtabat*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *tremulis genibus, voce raucâ, lacrymis defluentibus*, &c. Proinde rectè à Sponſo oculi illius piſcinæ in Heſebon fuere aſſimilati: *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon*, cujus aquæ in ſilentio & ſine ullo ſtrepitu currunt: Ita lacrymæ doloroſæ Matris in morte Filii ſui non cum ejulatu, clamore aut ſtrepitu, prout aliæ Mulieres in gravi luctu ſolent, ſed placidè & cum ſilentio Calvariæ montem irrigârunt, heu quanto cordis cum mœrore! Juvat hîc audire piiſſimum, juxta ac doctiſſimum Arnoldum Abbatem, ita Chriſtum, amorem ſuum crucifixum alloquentem:

Arnoldus Abb. tr. 4. de Verb. Dom.

*Intuetur te, Domine, illa in mulieribus benedicta, & fixis in te oculis vulnera tua maternâ pietate conſiderat: Et licet non ignoret, quid boni conferat mundo paſſio tua, tamen parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suſpirat intrinſecus, & erumpentes revocat lacrymas: Et eò ampliùs anxietas intumeſcit, quo egredi prohibetur, & per luctus, lamentaque diſſolvi. Emergebant quidem aliquando gemitus, ſed increpati reprimebantur, revertebantur in ſinum mentis, de quo prodibant, & collidebant ſe ad invicem introrſus: Eratque in anima illa tempeſtas valida, occurrentibus ſibi procellis, & quaſi in ſartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat, & coagulabat exacerbatio perſeverans. Imperabat quippe dolori ſilentium formido, & ringentium Judæorum torvi in eam oculi illos turbines ſuffocabant. Verùm illa tantarum procellarum ſalſilaginem ebibebat, & (quod difficillimum erat) moriebatur, & mori non poterat: Et clauſo tanti doloris tormento intrinſecus, alium vultum palàm exhibebat, nec poterat ex facie colligi crux illa animæ, & patibulum ſpiritus, in quo erat hoſtia viva, beneplacens DEO, & holocauſtum medullatum: quod cùm ipſa incenderet, tantùm conſcientiæ miniſterio utebatur, ipſaque ſine ſtrepitu ſeipſam mactans in altari interiori, & ligna & flammas, & latices congerebat. Nimirum in tabernaculo illo duo vidiſſes altaria, aliud in pectore MARIÆ, aliud in Corpore Chriſti: Chriſtus carnem, MARIA animam immolabat.* Hucuſque citatus Arnoldus Abbas.

Collige

Collige ex his, Lector Mariane! pium aliquem pro te ſenſum moralem. Et nunquid ſi veritatem candidè fateri diſcupis) hunc ipſum dolorem doloroſiſſimæ Matri peccatis tuis creâſti? Et nunquid Mater cum Filio dolores habuit communes? Olim Virgilius in porta amphitheatri Romani inſcripſit: *Dimidium imperii cum Jove Cæſar habet.* Ita & Chriſtus diviſam paſſionem cum Matre ſua habuit, paſſus eſt hic propter peccata noſtra: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Doluit & Mater propter ſcelera Iſa. 53. 8.
noſtra, quæ ipſam magìs, quàm Vulnera Filii cruciârunt. O dulciſſima Mater! agnoſco culpam meam; reus ſum mortis, reus judicii, reus inferni, reus æternæ damnationis, doleo animitus, & utinam ob offenſum DEUM tanto poſſem dolore dolere, quemadmodum COR tuum ob Filium tuum patientem, & in cruce extinctum doluit. Adjuva me, ô Mater!

2. Moralis ille Eccleſiæ Doctor & ſummus in his terris Chriſti Vicarius, S. Gregorius Magnus, cùm aliquando attentiore mentis oculo copioſas pœnitentis Magdalenæ lacrymas, quibus pretioſiſſimi orbis Reparatoris ſacratos pedes abluit, conſiderâſſet, & ipſe tali commotus exemplo largisſimè flere cœpit; Adiamus ipſum loquentem: *Cogitanti mihi de Mariæ Magdalena lacrymis, flere magìs libet, quàm aliquid dicere; cujus enim vel ſaxeum pectus illæ hujus peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* S. Greg. M. hom. 33. in Evang.
O ſanctiſſime Pater! Si afflictiſſimam Chriſti Matrem vidiſſes, amariſſimis, quid dico amariſſimis? imò & ſanguineis lacrymarum fluentis tam indignam Filii ſui paſſionem ac mortem in rupe Golgothæa deplorantem, donec tandem deficerent lacrymæ; quid, obſecro, dixiſſes? quid penſâſſes? Si ſaxa & ſilices condoluêre Creatori ſuo, quid Mater? Si omnis creatura ingemuit, quid Mater? An non longè meliori jure de hac omnium Matrum afflictiſſima dicere poſſumus, quod olim Divus ille Pontifex de lacrymante Magdalena enuntiavit: *Cogitanti mihi de MARIÆ Matris doloroſæ lacrymis, flere magìs libet, quàm aliquid dicere, cujus enim vel ſaxeum pectus illæ hujus mæſtiſſimæ Virginis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* O dura, ô ferreâ, ô ſaxea hominum pectora, ſi tanta JESU in cruce extincti SS. Matris ejus pietas non ad aliquam commiſerationem, reciprocum amorem, ac ſeriam pœnitentiam vos commoveat!

3. Cùm quondam Marcus Antonius Romæ ad populum perorans Julii Cæſaris, in Senatu à Bruto, aliiſque rebellibus Senatoribus, viginti tribus lethalibus vulneribus occiſi cruentam togam ac veſtem Imperatoriam publicè in foro monſtrâſſet, adeò univerſum populum Romanum ad commiſerationem permovit, ut non ingens duntaxat omnium præſentium ſuboriretur fletus, ſed & cuncti unanimi voce exclamarent: *Juſtam de Bruto, aliiſque parricidis eſſe ſumendam vindictam.* Dio. lib. 44.

O Chriſtiani! non togam, non veſtem dilectiſſimi ſui Nati, proprio intinctam ſanguine, vobis exhibet dolentiſſima Mater, ſed totum corpus ejus nunc mortuum, innumeriſque ſauciatum plagis, ſtans ad pedem crucis vobis lacrymabili vultu demonſtrat: *Ecce quem occidiſtis!* O ingratæ animæ! quid deliquit in vobis Filius meus, quòd etiamnum pergatis eum ad mortem peccatis veſtris urgere? Hæccine eſt gratia, quam tantæ refertis benevolentiæ, ut de novo Filium DEI & meum crucifigatis, & oſtentui habeatis? Ah redite aliquando, prævaricatores, ad cor, ac vos præſertim, animæ Chriſtianæ, non enim vindictam nec Filius meus, nec ego triſtiſſima Mater inquirimus, ſed miſericordiam: *Pater dimitte illis.* O fideliſſima Mater! quàm longè meliùs clamat ille ſanguis hujus juſti Abelis, innocentiſſimi Filii tui in cœlum, quàm illius, quem quondam Cain impius frater in agro occidit; ah Domina! quis ſatis æſtimet, amet, ac colat te? Quæ non dubitâſti ſtans juxta crucem etiam pro interfectoribus Filii tui apud Patrem intercedere; ô immenſum charitatis prodigium. Audiamus in hanc rem Richardum à S. Laurentio: *Nec verò quiſquam opponat, Judæos exoſos DEI Genitrici, eò quòd Filium ſuum morte turpiſſimâ condemnârunt; quos enim morti æternæ appropiare videbat, nequaquam odio ſuo dignos exiſtimavit, ſed lacrymis multis, & magnâ miſeratione; unde tam particeps charitatis quàm crucis JESU, aſſumpſit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulſans: Pater dimitte illis hanc noxam, quia neſciunt, quid faciunt. Quicunque diligitis Matrem Domini, advertite, & totis affectuum viſceribus conſiderate, quantum & inimicis Unigeniti plangeret morientis.*

Luc. 23. 34.

Richard. à S. Laur. fol. 1164. h. 5. de mentis robore.

Sleid. l. 15.

4. Occurrit hîc mihi, quod Anno Chriſti 1542. in Ungaria contigit, quo temporum intervallo immanis Turcarum exercitus hoc regnum lugendum in modum & ferro & igne devaſtavit. Accidit, ut inter alios Germaniæ Principes contra Turcas dimicaturos & Sereniſſimus Saxoniæ Dux Mauritius, Juvenis magnæ indolis ac fortitudinis, cum copiis ſuis auxiliaribus in Ungariam deſcenderet; qui, cùm die quodam, ut erat animoſus, ſolus cum ephebo, vel armigero ſuo è caſtris longiùs progrederetur, in Turcas aliquot incidit, cum quibus generoſo Marte manus conferens, ſiniſtro tamen eventu, primo aſſaltu equo confoſſo, & ipſe Sereniſſimus Princeps magno impetu in terram effuſus eſt. Quid hæc inter fideliſſimus Ephebus? Inter ſtrictos, fulminantesque Turcarum acinaces ad Dominum ſuum in terra proſtratum penetrat, & toto corpore ſuper eum incumbens, omnia vulnera loco ſui heri excipit; interim dum Princeps ita à famulo ſuo protegitur, ſupervenerunt è caſtris Cæſareis equites Chriſtiani, qui hoſtem non fugârunt tantùm, ſed & Ducem Saxoniæ ſervârunt incolumem, ephebum autem, tanquam fidelitatis portentum, pluribusque ſauciatum vulneribus in caſtra ſua depor-

Digitized by Google

deportârunt, ubi paulò pòſt, exhauſtis ſanguine & viribus, omnium cum luctu vivere deſiit.

Rarum hoc eſt ſinceræ fidelitatis exemplum, quòd ſervus pro Domino ſuo tam cruentam ſubire necem non formidâriti; ſed quòd Dominus univerſorum pro ſervo inutili tam indigna pati, ipſamque crucis mortem ſubire dignatus ſit, omnibus retro ſæculis inauditum. Poterat ſine dubio mitiſſimus DEUS mille aliis modis ab interitu lapſum ſervare hominem, unico ſuſpirio, lacrymulâ unicâ, aut ſanguinis guttulâ, &c. Sed non placuit hic modus Divino ac planè immenſo amori, dum ſeipſum totum, omnemque ſanguinem & vitam pro nobis dare in lytrum voluit. O amor, quantùm amâſti nos! ô amor! ô amor! ô prodigium amoris!

Et quid tu ad hæc, ô mœſtiſſima Virgo, dum Filium & Amorem tuum nunc pro tam indignis terræ vermiculis in ligno patibulario extinctum, ac millenis vulneribus ſaucium contemplata es? O pientiſſima! qualis tunc erat tibi animi ſenſus? Julia Pompeji Conjunx, cùm audiſſet, maritum ſuum crudelem in modum ab hoſte trucidatum, & inſuper veſtes illius vidiſſet recenti ſanguine conſperſas, non habebat ultrà ſpiritum, ſed corruens in terram illicò expiravit. O pientiſſima! quòd luctuoſo illo Paraſceves die ad crucis radices conſiſtens præ dolorum magnitudine non animam exhalâris, ſingulari miraculo à Spiritu Sancto conſervata es. O quoties in cœlum tunc clamorem cordis tui ingeminâſti: O mi Pater! quoniam ſic placitum fuit ante te, fiat ſanctiſſima voluntas tua. Sed vide Domine! an hæc tunica (humanitas Chriſti) tunica Filii tui ſit vel non? An hic Filius tuus & meus, qui nunc mortuus, plagiſque ſaucius pendet in cruce? Ah quomodo cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſraël! O Pater æterne! ad quid pius es peccatoribus, & immitis ac crudelis in proprium Filium? Tu ſcis, quàm amari dolorum fluctus cor meum hactenus perturbârint, quot enim vulnera dilectiſſimus Filius tuus in corpore accepit, tot neces cor meum hactenus ſuſtinuit; in his omnibus tamen ſit benedictum SS. Nomen tuum, ſufficit enim mihi, hanc tuam fuiſſe ſanctiſſimam voluntatem, & omnia ſingulari tuâ contigiſſe providentiâ; proinde, etiamſi omnium creaturarum ſim afflictiſſima, infinitas tamen pro his pœnis ac tormentis tibi gratias refero: hoc ſolùm flagitans, quia Mulier vidua ego ſum, & mortuus eſt Filius meus, quæ ſemper illi erant in vita conjunctiſſima, nunc quoque in morte ab invicem non ſeparemur, &c.

*Euſtach. in Append. Centur. diſc. II.*

Talia, ac ſimilia ſine dubio afflictiſſimum COR Virginis tunc ſecum ruminabat. Et quid tu ad hæc, pie Lector? Audi devotiſſimum Ludovicum Granatenſem: *Perſonæ duæ*, inquit, *quæ in hoc ſæculo reperiuntur, à Deo maximè adamatæ, fuerunt JESUS Chriſtus & Mater ejus MARIA, quæ ſicuti omnibus creaturis virtute prælucent: Ita & afflictionibus multis omnes ſuperâ-*

*R. P. Lud. Granat. in Exerc. de Orat. & Meditat.*

*runt, & patientiâ longâ præcelluerunt. Non fuêre in mundo perſonæ præſtantiores iſtis duabus, ſed nec reperiuntur iisdem magis afflictæ & diſcruciatæ.* O afflictæ & deſolatæ animæ! conſolamini in veſtris miſeriis ac calamitatibus, conſolamini, inquam, & Chriſto paſſo in carne & doloroſa Virgine in anima; & vos eâdem cogitatione armamini; nihil enim adeò grave eſt, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio & SS. Matris ejus compaſſio ad memoriam revocatur.

1. Petr. 4. 1.

Lucas Wadingus ad annum 1278.

5. In confirmationem hujus veritatis audiamus, quid Joanni Pechamo ex Ordine S. Franciſci acciderit. Erat is, licet innocentiſſimus, coram Generali totius Sacri Ordinis D. Bonaventura ab æmulis & invidioſis in re gravi accuſatus, & ideò ſeverè à Superioribus punitus, quam injuriam cùm aliquamdiu animo ferret perturbato, ad Chriſti in cruce pendentis ſimulacrum, ac SS. Matrem ejus doloroſam juxta crucem ſtantem, confugit: *Domine, inquiebat, quamdiu adhuc innocens hanc patior injuriam? quid commerui?* Et quid hîc expectas, optime Lector? Audi Divinum à crucifixo Redemptore reſponſum: *Pechame! & quid ego demerui pendens inter latrones? Et Mater, quæ compaſſa eſt per omnes paſſiones? Tu ergo non turberis, ſi ſtatim non conſequeris, quidquid à DEO quæris.* Flevit ad hanc Chriſti vocem Pechamus, & omnia Divinæ Providentiæ ac voluntati lubenti animo commiſit, optatumque ſuæ calamitati remedium invenit, &c.

Flores Seraph. tom. 2. p. 302.

De venerabili P. Joſepho à Leoniſſa Capucino recenſent Flores Seraphici, quod ob amorem crucifixi JESU & SS. Matris ejus doloroſæ, quæcunque poterant accidere adverſa, patientiſſimè tolerârit, nunquam auditus querulas voces depromere. Cùm in gravi carcinomatis morbo inciſiones à chirurgo eſſent adhibendæ, & de illo vinciendo ageretur, is læto animo Chriſti crucifixi imaginem arripuit: *Quid*, inquiebat, *aliis vinculis opus eſt? Hæc mea ſunt vincula: Hic me fortiùs, quàm ferrea catenæ ſuis charitatis nexibus conſtringit.* Sic graviſſimas illas carnis inciſuras imperturbato animo ſuſtinuit, ad Matrem doloroſam, quam impenſiſſimè ſemper colebat, ac amabat, interim ſæpiùs ingeminans: *Sancta MARIA, ſuccurre miſeris, juva puſillanimes,* &c.

Flores Seraph. tom. 2. p. 310.

Accidit, ut cuidam nobili Viduæ in Italia unicus ab inimicis trucidaretur Filius, & corpus exanime ad ædes illius deportaretur, quam P. Joſephus à Leoniſſa conſolandi causâ adiit, ſed incaſſum, quia nullam Mulier conſolationis admittebat vocem; lugente igitur viduâ extinctum filium ſuum, lugebat & ipſe. Tandem captatâ occaſione, de pectore Crucifixi exerens effigiem, hiſce eam verbis alloquutus eſt: *Si extinctum Filium tuum, ô Mulier, qui unicus tibi erat, tot hactenus lacrymis deploravimus, an non æquum eſt, ut unigenitum hunc DEI & MARIÆ Virginis Filium, qui crudeliſſimè olim à Judæis necatus eſt, hunc, inquam, amantiſſimum, ac dulciſſimum animarum noſtrarum Patrem ac Redemptorem, qui pro nobis vitam cum ſanguine fudit, ſimul cum Virgi-*



Digitized by Google

*ne Matre, ſi non amplioribus, ſaltem æquis lacrymis proſequamur?* Dixit, & Matris doloroſæ exemplo, quæ Judæos Filii ſui interfectores ſincero animo diligebat, Viduam illam, ut ex animo quoque inimicis ignoſceret, efficaciter diſpoſuit. Quàm gratum autem hoc fuerit doloroſæ Virgini obſequium, ex eo patet, quod huic ſervo ſuo fideli non duntaxat à Filio ſuo gratiam curationum & plurimorum miraculorum, ſed & ingentem animarum zelum impetraverit, quó plura hominum millia, & inter eos peccatorum deſperatiſſimos ad DEUM convertit, ac tandem beatiſſimâ morte ad meliorem & cœleſtem vitam migravit. Mitto plura exempla, quæ omnia vehementer nos impellunt, ac provocant, ut crucifixo JESU & Matri doloroſæ filiali affectu compatiamur.

6. Pro dictorum coronide occurrit hîc mihi, quod à Viris fide digniſſimis & magnæ authoritatis audivi. Illuſtriſſimam quandam Damicellam honoris in aula cujuſdam Sereniſſimi Germaniæ Principis Juvenis, æquè illuſtris ac antiquiſſimæ proſapiæ ingenti proſequebatur amore; & cùm nihiloſeciùs eam in ſententiam & amorem reciprocum, thalamo conjugali ſociandum trahere non valeret, quid ingenioſus excogitavit amor? Lautiſſimo aſſidens convivio, ipſe levi vulnere è digito cultelli inſtrumento ſanguinem elicuit, digitoque indice, in cruore illo ſuo intincto in candidiſſimo ſtrophiolo hos caracteres ſcripſit: AMO; quod ſtrophiolum in globum convolutum, ad manus ſuæ dilectæ transmiſit: Quæ, ubi proprio amantis ſanguine paucos hos caracteres AMO, in linteolo conſignatos, conſpicata eſt, & ipſa amore reciproco capta, ac fœdere conjugali ipſi juncta eſt.

Abeſte profani amores. Alium hîc inquiro amorem; ô pientiſſime JESU! ô Amor crucifixe! tu meus amor es, quid enim *clamant* omnia ſanctiſſima Vulnera tua, quàm *Amant?* Quid Diviniſſimum Cor tuum crudeli lanceâ apertum? Quàm AMO, *Amo, Amo*; & quid, ô dolentiſſima Mater! tot lacrymarum tuarum millia, quas non tam ob Unigeniti tui paſſionem ac mortem, quàm etiam ob animarum noſtrarum ſalutem per omnem vitam profudiſti, quid, inquam, aliud *clamant*, quàm *amant? Ecce quomodo amabat eum*, inter ſe diſſerebant Judæi, cùm JESUM ad Lazari amici ſui ſepulchrum lacrymantem viderunt. Subinfero ego: Ecce, quomodo amabat nos JESUS & SS. Mater ejus MARIA, cùm ille pro noſtra ſalute torrentem ſanguinis & illa lacrymarum profudit. O immenſus amor! ô infinitus amor! verè qui vos non amat, anathema ſit: *O filii Adæ!* exclamabat moriens V. P. Sebaſtianus à Campo S. J. *ſervite, & amate MARIAM diligentiùs: Nam ſcitis, quàm vobis ſit neceſſaria MARIÆ deprecatio*; & tunc præſertim, quando de æterna agetur veſtra ſalute.

Joann. 11. 36.

Nadaſi in Sabbatho 4.

CON-

# CONSIDERATIO XLV.

## B. Virgo & Mater Doloroſa etiam poſt cruentam Filii ſui mortem ſub Cruce conſtantiſſimè perſeverat.




Stabat autem juxta crucem JEſu Mater ejus.
*Joan.* 19.25.

1. REctè B. Virgo & Mater doloroſa ſtans Stylitâ firmior ſub cruce Unigeniti ſui à Sapientiſſimo Eccleſiaſtico Cupreſſo aſſimilata eſt: *Sicut Cypreſſus in monte Sion.* Adverte, Cupreſſus arbor eſt pulcherrimè comata, & in conum altiſſimè aſſurgens, nullis unquam anni temporibus virorem ſuum amittens, aut ventorum, aut tempeſtatum injuriis cedens, ſed ſemper eundem virorem illibatum conſervat; unde Lemma: Eccleſ. 24.17.

Concuſſio firmat.

En

En præclarum afflictiſſimæ Virginis ſub cruce Filii in omnibus anguſtiis conſtantiſſimè perſeverantis Symbolum. Moritur tandem in infami ligno dulciſſimus Natus, crudeli lanceâ latus & Cor ejus transfoditur, omnes amici ejus ſtant de longè: *Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me.* Hæc ſola inter tot efferatos hoſtes, nota Crucifixi Mater: *Nonne Mater ejus dicitur MARIA*, dum orbis penè corruit, firmiter ſub cruce perſeverat, non murmurans contra interfectores, non clamans vindictam contra Deicidas, nec ullum impatientiæ ſignum unquam demonſtrans, ſed omnia Divinæ Providentiæ & Voluntati comittens: *Tam particeps charitatis*, ait S. Amadeus, *quam crucis JESU, aſſumpſit orationem pro eis, corde perfecto paternæ pietatis aures compulſans: Pater dimitte illis hanc noxam.* O flebilis Cypreſſus! *Planè Mater*, ſunt verba Guarrici Abbatis, *quæ nec mortis terrore Filium deſerebat: Quomodo enim morte terreri poterat, cujus charitas fortior, quam mors erat?*

*Pſal. 141. 5.* *Matth. 13. 55.* *S. Amadeus hom. 5.* *Guarricus Abbas de B. Virg.*

2. Mirantur nonnulli, quare S. Joannes, dilectus ille Chriſti Diſcipulus tam conſtans ſub cruce permanſerit, qui priùs cum cæteris Diſcipulis in horto Olivario, cùm Chriſtus in manus traderetur peccatorum, tam citam fugam apprehendit: *Relicto eo omnes fugerunt;* Unde, quæſo, hic ardor Joanni, quòd in Calvariæ monte inter tot hoſtes truculentos conſtantiſſimè uſque ad mortem & ſepulturam Redemptoris ſui perſeveret, & è contrariò in horto Gethſemani cum reliquis Apoſtolis tam celerem capeſſat fugam?

*Matth. 20. 56.*

Reſpondet ad propoſitum doctiſſimus Franciſcus Labata, quòd hic dilectus Chriſti Diſcipulus inenarrabilem conſtantiam MAIRÆ, doloroſiſſimæ Matris JESU, in omnibus cruciatibus ac periculis Filium ſuum fideliſſimè ſequentis, impenſiùs conſideraverit, cujus fortiſſimo exemplo animatus pariter conſtanti & impavido animo non tam ſub cruce ſtetit, quàm & ſepoſito omni mortis timore uſque ad ſepulturam crucifixi JESU perſeveravit: *Stabat juxta crucem Chriſti (id eſt Joannes)* ait Labata, *abſque ullo pavore, timuit mortem in horto, cur non ſic juxta crucem? Quia ſcilicet videbat ibi MARIAM plusquàm humanâ quâdam fortitudine ac conſtantia illi adſtantem, & tanto exemplo roboratus, pariter & ipſe ſtetit abſque judicum & miniſtrorum timore, &c.*

*Franc. Labata tom. 2. de dolarib. Mar. prop. 36. fol. 653.*

O anima Chriſtiana! ſi ſtatuiſti Chriſtum crucifixum ſequi: En exemplum præclariſſimum in dolentiſſima DEI Matre: *Fac ſecundùm exemplar, quod tibi monſtratum eſt in monte*, & hanc Sacratiſſimam Matrem tuam cum S. Joanne generoſo animo uſque ad crucem Redemptoris tui ſequere. Ah quid fugis crucem, in qua unica ſalus, vita & reſurrectio tua conſiſtit? Eja iter aggredere, & venientem fortiter excipe: *Vis crucem*, ait Jacobus Noüet in Exercitiis Spiritualibus, *exiguo cum labore & magno fructu ferre? Ama. Hic eſt ille gladius doloris, qui pectus & animam B. Virginis pertranſivit: Amor*

*Exod. 25. 40.* *Jac. Noüet in Exercit. Spirit. fol. 100.*

*ſiquidem cauſa illi doloris fuit, & lenimen. Doluit, quia amavit: Tulit dolorem fortiter, quia amavit. Amor Chriſti nomen difficultatis erubeſcit*, &c.

3. Cum Joſue quondam, invictiſſimus juxta ac pientiſſimus belli Dux, cum quinque Chananæorum Regibus acerrimum prælium comitteret, ſol, mundi oculus per inauditum miraculum integro die æſtivo, hoc eſt ſpatio quatuordecim horarum in ſua ſtatione permanſit immobilis: *Stetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei.* Hìc inquirunt Sacrarum Litterarum Interpretes, an tunc etiam luna, tanquam luminare minus in ſuo curſu ſteterit immota? Ad quod reſpondet doctiſſimus Abulenſis, quòd non ſol duntaxat, velut Sereniſſimus aſtrorum Rex ſed & luna, ac cæteri cœlorum orbes tum temporis omnino ſteterint immobiles, cauſa eſt, quia aliàs pulcherrima illa cœleſtium ſiderum hierarchia, & ordo ſideribus à creatione mundi præfixus per inæqualem aſtrorum progreſſionem perturbatus; & diſſolutus fuiſſet. Nunc à figurante ad figuratum.

Joſ. 10. 13.

Per hunc ſolem in medio curſûs ſui ſtantem, rectè Solem juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, intelliges, qui tunc in medio ætatis ſuæ curſu ſtetit, dum in cruce exaltatus eſt; quem myſticum Solem in ſtatione ſua ſecuta eſt pallida luna, ſubaudi: Beatiſſima & afflictiſſima Mater ejus MARIA, quæ rectà ſub hoc ſole, in cruce occumbente, ſe ſtitit: *Stabat autem juxta crucem JESU Mater ejus.* O triſtis ſtatio! ubi adimpletum illud fuit: *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.* Audite Doctorem Seraphicum, quomodo hanc doloroſiſſimam Deiparentem ſub cruce conſiſtentem, alloquatur: *O Domina mea, ubi ſtas,* inquit, *nunquid juxta crucem? Imò in cruce cum Filio cruciaris, ibi enim confixa es ſecum, ſed hoc diſtat, quia ipſe in corpore, tu autem in Corde. Nec non & ejus vulnera per corpus ejus diſperſa, ſunt in Corde tuo unita: ibi, Domina, lanceatum eſt Cor tuum, ibi ſpinis coronatum, ibi illuſum, exprobratum, & contumeliis plenum, aceto & felle potatum. O Domina, cur iviſti immolari pro nobis! Nunquid non ſufficiebat Filii paſſio nobis, niſi crucifigeretur & Mater?* &c.

Joann. 19. 25.
Hab. 3. 11.
S. Bonavent. in Stim. amoris. cap. 4.

4. Sæpiùs hactenus miratus ſum, cur hæc Sacratiſſima Virgo à SS. Patribus, imò & ab ipſa Eccleſia *Stellæ maris* aſſimiletur; ita hanc cœli Reginam & mundi Dominam honorat Eccleſia in illo devotiſſimo hymno; *Ave maris Stella*, & in alio loco: *Stella maris ſuccurre cadenti*; ad quod pariter alludit Nomen hujus mitiſſimæ Virginis: *MARIA*, inquit Divus Hieronymus, *Stella maris interpretatur*, Et quomodo, dices, MARIA Stella maris eſſe poteſt?

S. Hieron. ad Euſtoch.

Rationem aſſignat idem ſanctus Eccleſiæ Doctor, *quia hæc Stella nunquam patitur occaſum, & eſt ab occaſu diſtantiſſima*; per mare verò haud immeritò amariſſima Chriſti Paſſio intelligitur: *Paſſio Chriſti*, ait S. Auguſtinus, *eſt mare rubrum Sanguine Domini conſecratum.* O anima Chriſtiana! inſpice hanc

S. Auguſt. in Pſalm. 30. fol. 195.

hanc dolentiſſimam Virginem juxta crucem morientis ſui Filii ſtantem; ô vera maris Stella, quæ in omni tumultu, etiam dum mundi machina videbatur diſſolvi, firmiter ſtabat, nec in luctuoſiſſimo Divini Solis occaſu deficiebat, aut occaſum patiebatur: *Stella maris nunquam patitur occaſum.* O anima, quid agis? Recurre ad hanc Stellam, quâ Duce per hoc mare magnum & ſpatioſum hujus mundi immundi ſecurè ad ſalutis æternæ portum poteris pervenire; *MARIA*, ſubintrat hìc S. Bonaventura, *gerit officium Stellæ marinæ, quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ vel pœnitentiæ dirigit ad littus cœleſtis patriæ.* Audiamus & doctiſſimum Lanſpergium, ita de hac doloroſa Matre diſſerentem: *Verè ſtabat,* inquit, *quia Apoſtolicis Viris fugientibus, omnibusque aliis recedentibus: quando jam JESUS ad dextram conſiderabat & ſiniſtram, & non erat, qui cognoſceret eum: Ipſa gloria univerſi generis fœminei inter tot preſſuras Filii conſtanter cum eodem ſolo perſeverabat.* O Chriſtiani! non initium operis, ſed finis coronatur. Diſcite à doloroſiſſima Matre in bene cœptis perſeverare: Quid enim juvat architectum ædificii fundamentum collocare, ſi non poterit fabricam conſummare, & uſque ad tecti culmen perducere? Quid curſorem, ſi in medio curſûs deficiat, antequam ad metam perveniat? Quid militem, ſi ab initio quidem pugnæ gladium in hoſtem ſtringit, ſed mox ſine obtenta victoria in fugam ſe proripiat? *Durate & vosmetipſos rebus ſervate ſecundis.*

S. Bonavent. in Spec. B. M. V.
Lanſp. hom. 48. de Paſſ. Dom.

5. De Debbora fortiſſima Heroina recenſet Liber Judicum, quòd in monte Ephraim ſtans ſub excelſa palma cruentum illud prælium de longè aſpexerit, in quo Barach belli Dux adversùs Siſaram, militiæ Regis Jabin Principem, feliciter dimicavit, in qua pugna exercitus hoſtilis ab Iſraëlitis ferè ad internecionem deletus, & Siſara profugus à Jahel forti fœmina in tabernaculo, clavo ferreo, per tempora ejus transadacto, ſuperatus eſt: *Et ſedebat ſub palma, quæ nomine illius vocabatur inter Rama & Bethel in monte Ephraim.* Judith. 4. 5.

Per hanc fortiſſimam Debboram, teſte Salmerone, *B.* Virgo & Mater doloroſa præſignata eſt, quæ ſub cruce, tanquam ſub palma victorioſa conſiſtens, cruentam Filii ſui cum dæmone, mundo & peccato pugnam non de longè ſed cominus aſpiciebat: *Stabat,* inquit Salmeron, *ſicut Rahel juxta Therebinthum, parturiens cum dolore filium.* Idem: *Stabat ſub palma, ſive juxta palmam, ut Debbora fortiſſima, ſpectans prælium Barach contra Siſaram, id eſt, Chriſti in dæmonem,* &c.

Salmer. de B. V. hic.

O quàm benè igitur hæc Sacratiſſima Virago ab ipſo Sanguinum Sponſo cuidam palmæ victrici comparata eſt: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ;* dum enim Chriſtus Dominus crucis palmam aſcendit; & fructus ejus apprehendit: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus:* hæc quaſi altera palma in adverſis magìs erecta, conſtanter inter omnes anguſtias ſemper

Cant. 7. 7.
Cant. 7. 8.

mente erecta ſtetit, nec unquam (prout aliqui volunt) animi deliquium, aut S. Laurent. Juſtinian. de Triumph. agon. c. 18. ſpaſmum paſſa eſt: *Undique*, ait S. Laurentius Juſtinianus, *vehementiſſimi doloris aſpiciebat inſignia, & tamen juxta crucem ſtabat.*

Videbat hæc affictiſſima Mater in pendente Filio Caput Diviniſſimum ſpinis cruentatum, manus & pedes ejus ferreis perforatos clavis, oſſa luxata, & per immaniſſimam nervorum extenſionem è ſuis mota compagibus: *Et tamen juxta crucem ſtabat?*

Cernebat illium coram omni multitudine ignominioſiſſimè nudatum, præ horrore & verecundia omnibus artubus trementem, à cunctis & infimæ fæcis homuncionibus illuſum, ſpretum, vilipenſum, ac noviſſimum virorum: *Et tamen juxta crucem ſtabat?*

Audiebat hunc miſerrimâ morte tabeſcentem Filium, & ob vehementiſſimam ſitim, quia omnem ſanguinem, quidquid erat in membris & arteriis, jam pro ſalute orbis profuderat, flebiliter paulò ante mortem *clamantem*: *Sitio*, & nec hauſtum frigidæ illi poterat ſubminiſtrare, in extrema neceſſitate conſtituto: *Et tamen juxta crucem ſtabat?*

Iſa. 1. 6. Intuebatur eum toto corpore plagatum, ac vulneribus repletum, ita ut à planta pedis uſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas: Vulnus & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo; & in his omnibus cruciatibus non poterat juvare Filium Mater, Luc. 10. 33. nec hiantia alligare vulnera, aut linteo ſanguinem abſtergere. O felix Jeruchuntine! ut optimum Samaritanum nactus es, qui tua curaret vulnera, Matth. 8. 20 & in ea vinum ac oleum infunderet: JESUS autem in cruce pendens, non habet, unde Caput reclinet, qui tamen vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra, cujus livore ſanati ſumus. Ah pientiſſima Domina! ô Mater deſolatiſſima, quomodo, obſecro, tibi CORDI fuit, dum morienti proli nec minimum poteras maternum exhibere miniſterium? *Et tamen juxta crucem ſtabat?*

Videbat denique ſuum dulcem Natum, morientem, deſolatum, dum emiſit ſpiritum, & neque in hac ſuprema lucta ullam ei opem, aut conſolationem poterat afferre omnium Matrum afflictarum afflictiſſima Mater: *Et tamen juxta crucem ſtabat?*

O doloroſiſſima Mater! quis eſt homo, qui non fleret, Chriſti Ma-Joel. 2. 31. trem ſi videret in tanto ſupplicio? *Sol verſus eſt in tenebras, & luna in ſanguinem*; terra pendente Domino in patibulo à fundamentis commota eſt; petræ duriſſimæ diſruptæ, & omnis creatura ingemuit. Et ego ſolus, heu infelix peccator! crucifixo Salvatori meo, & tibi, ô mœſtiſſima Mater, non condoleam? Ego? ? Ego? Ah ego non condoleam? Ah fluite lacrymæ, &c. fluite,

6. Di-

Digitized by Google

6. Dilecta illa Sponſa, poſtquam Divinum Sponſum ſuum, candidum & rubicundum, ſumo animi cum luctu diu per vicos & plateas, ſed fruſtra quæſiiſſet, tandem illum in meridie in florido crucis lectulo quieſcentem invenit: *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* Supra quòd Reverendiſſimus Drogo Epiſcopus Oſtienſis: *Nunquam*, inquit, *te inveniam, niſi tantùm in cruce, ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie.* O dura requies! requieſcere in cruce. O fidelis Sponſa! tu videris mihi ut pallens quædam hedera, quæ non ſolùm virenti, ſed & emortuò arboris trunco adhærere aſſolet, undé lemma prædictæ Sponſæ: *Tenui eum, nec dimittam.* Cant. 1. 6. Drogo de Sacram. Dom. Paſſ. Cant. 3. 4.

O pientiſſima Domina! verè Mater amoris & doloris! tu per illam Sulamitidem præſignata es, quæ nec per mortem dilectiſſimi Filii tui à cruce avulſa, nec recedentibus omnibus ab ea receſſiſti, ſed conſtans ſub illa perſeverâſti, donec amantiſſimum ac longè pretioſiſſimum illud pondus de ligno depoſitum, inter tua materna brachia reciperes, & tumulo, heu quanto cum luctu! inferres. Audite, ô charæ animæ! ô Sionidæ, audite hanc ipſam Sanctiſſimam & afflictiſſimam Matrem veſtram ad B. Birgittam loquentem: *Aliis recedentibus*, inquit, *ego recedere non potui, ſed jam quaſi conſolata ſum, quod jam Corpus ejus de cruce depoſitum contingere potui, & in ſinum recipere, vulnera explorare, & extergere ſanguinem, &c.* O triſtis conſolatio! Revel. S. Birgitt. lib. 4. cap. 70.

7. Occurrit hîc mihi fortiſſima illa Spartana & Divi Melithonis ſancta Mater, quæ, cùm generoſi illi quadraginta Martyres ad Sebaſten, Armeniæ urbem frigidiſſimo hyemis tempore ſub cœlo nudo ſupra rigens ſtagnum nudi pernoctare cogerentur, ac demum fractis cruribus crudelem in modum enecti, in plauſtris ad rogum traherentur, Melithonem filium ſuum propriis humeris ad ſtruem lignorum, ſupra quam cæterorum Martyrum corpora concremabantur, portavit, eumque in rogam, tanquam gratiſſimum holocauſtum, mortuum injecit, ut qui fide & virtute conjunctiſſimi fuerant, funeris etiam ſocietati copulati, unà in cœlum pervenirent. Brev. Roman. 10. die Mart.

O Sanctiſſima Mater! ô Mater dolorum! quis tuam explicet invictam ſub cruce conſtantiam, dum non modò amantiſſimum Filium tuum à Nicodemo & Joſepho de cruce depoſitum, ſtans omni rupe firmior propriis maternis ulnis ardentiſſimo affectu excepiſti, verùm etiam, velut altera Spartana Mulier, in ara cordis tui per ignem imenſi amoris in gratiſſimum holocauſtum DEO Patri pro totius humani generis ſalute obtuliſti. Audi Metaphraſten: *Quin etiam*, inquit, *B. Virgo in eo deponendo à cruce maternis manibus inſerviit, & clavos, qui extrahebantur, ſuo ſinu accepit, & membra illius amplexata eſt, partim quidem ulnis ſtringens, partim autem ſuis quoque lacrymis plagas emundans deinde etiam tota toti corpori circumfuſa*, &c. Metaphraſt. die 15. Aug.

8. Coronidem huic noſtræ Conſiderationi imponat ipſe DEUS & hic Crucifixus, de quo in ligno inter extremos cruciatus pendente refert Paulus Doctor gentium, quòd paulò ante mortem ſuam in amariſſimas lacrymas fuerit ſolutus: *Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* O benigniſſime, ô dulciſſime JESU! quid hoc eſt? Quare ante obitum tuum in cruce tam copioſas profudiſti lacrymas? Quæ cauſa fuit novi hujus doloris & lacrymarum?

Hebr. 5. 7.

Reſpondent Interpretes, quòd Chriſtus Dominus in agone tunc conſtitutus, aſpiciens ultimâ vice doloroſiſſimam Matrem ſuam, in has lacrymas profuſus fuerit in conſideratione tantorum dolorum, quos unà ſecum patiebatur cor ejus; ſi enim priùs videns Martham & Magdalenam ad ſepulchrum fratris ſui plorantes, ob compaſſionem illarum *lacrymatus eſt JESUS*; quantò magis, cùm mœſtiſſimæ Matri ſuæ ultimum in cruce vale dixit. O anima Chriſtiana & peccatrix! JESUS & MARIA in ſanguineas pro te ſolvuntur lacrymas, & tu ſiccis hæc ſpectas oculis? Angeli pacis amarè flent, & tu rides? Audi, quid Poëta in utramque tibi aurem occinat:

Fineti ſopra l' interno Martyrio di M. V.

Joann. 11. 35.

*Dum tremit & Tellus, & petra dehiſcit, homo ſtat:*
*Et terrâ & petrâ eſt ſic magè brutus homo.*

CON-

# CONSIDERATIO XLVI.

## Expenditur dolor & amor afflictiſſimæ Matris, dum SS. COR JESU crudeli lanceâ vulneratum vidit.




Unus militum lanceâ latus ejus aperuit & continuò exivit ſanguis & aqua. *Joan.* 19. 34.

1. ITa eſt: *Verus amor nullum novit habere modum*; Guiſcardum Comitem, & in aula Tancredi Salernitanorum Ducis Palatinum conſule, quem ob ſingularem & corporis & amorum gratiam plurimùm adamavit Sigismunda Tancredi Ducis filia, quam viciſſim Guiſcardus omni amoris officio ſibi devinciebat; & quò occultior hic ignis gliſcebat, eò magis utriusque amantis cor adurebat, donec tandem hæc flamma diu ſopita (quia intra pectoris anguſtias ampliùs contineri, & concludi non pouit) foras

Marcellinus Picenus. hom. 6. de Inſtit. Euchar.

S. Thom. Villan. conc. de Mar. Magdalen.

foras erupit. O quàm benè S. Thomas Villanovanus: *Amor*, inquit, *ignis eſt, cujus ardor occulatus, & flamma publica diſſimulata quantumvis, abſcondi non valet: Amor ſimulare nequit, nec diſſimulari, ſi poteris abſcondere ſolem, poteris & celare amorem.* Advertit tandem Tancredus pater hunc reciprocum & filiæ Sigismundæ & Guiſcardi Palatini amorem. Quid agit invidiæ fomite & œſtro percitus Princeps? Sub ſpecie ſimulati honoris Guiſcardum ad ſe vocat, quem mox in conclavi crudelem in modum à ſubornatis ſatellitibus occidi jubet, eique cor exſcindi, quod in aurea phiala repoſitum per ephebum filiæ transmiſit: *Ecce cor amantis.* Quid hìc expectas, amice Lector? Dixi: *Verus amor nullum novit habere modum*, neque verè amanti aliquid poteſt eſſe difficile, quia *fortis ut mors dilectio.* Sigismunda ad tam cruentum ſpectaculum attonita, & ad primum obtutum elinguis, cùm brevi vires & animum recollegiſſet: Quid, inquit, tibi, ô dilecte Guiſcarde, pro tanto amore retribuam? Quam gratitudinem tibi monſtrare potero infelix, qui amore mei victima amoris occubuiſti; & cor tuum etiam mortuus in ſumi amoris theſſeram mihi in phiala aurea transmiſiſti; quid tibi viciſſim, ô dilecte, remittam? En habes pariter cor meum, ſine te enim vivere mihi mors & juge martyrium eſt. Dixit, pugionem arripuit, eumque cordi ſuo fortiter infixit, in hæc ſuprema verba ſoluta: *Cor corde rependo.*

Cant. 8. 6.

O Virgo doloroſiſſima! ah ignoſce, quid dicam: Tu illa Sigismunda & filia Principis es; poſtquam enim Dilectus tuus Sanguinum Sponſus, ut vera charitatis victima in cruce occubit, ut mundo univerſo oſtenderet, quanto amore & te & mortales omnes proſequeretur, dulciſſimum ſibi pectus per militem reſerari, & SS. COR ſuum immitti lanceâ transadigi voluit, *ut demonſtraret*, ait D. Bonaventura, *quod tibi tradidit Cor ſuum.* Quid verò ad hæc deſolatiſſima Virgo, Sponſa & Mater crucifixi JESU? *O Fili mi JESU*, ita ex intimis cordis penetralibus ſemimortua ſuſpirabat teſte Mellifluo: *O Fili mi JESU! JESU Fili mi! quis mihi det, ut tecum & propter te moriar, Fili mi JESU!* COR tuum ſuaviſſimum, Divini thronus amoris, redemptionis humanæ pretium inæſtimabile, & futuræ gloriæ pignus, ferreâ lanceâ perforatum eſt, & Cor meum vivat adhuc ſine vulnere? ſine plaga? ſine dolore? O gladie Simeonis! ô mucro crudelis! quid moraris? Saucia, & transfige animam ac cor meum, non enim vivam ampliùs ſine vita mea: *Cor corde rependo*; proinde non immeritò his SS. Cordibus JESU & MARIÆ, quæ amor in vita & morte conjunxit, pro Lemmate inſcribes:

B. Bonavent. in Stim. amor.

S. Bernhard. de paſſ. Vitis myſt. cap. 10.

## Vulneratum vulnerat.

2. Oc-

2. Occurrit hîc mihi, quod de Joſia Iſraëlitarum Rege recenſent Sacri Regum Annales. Hic mitiſſimi ingenii Princeps, DEO cumprimis ob zelum Religionis & inſignem pietatem charus, & omni populo ob beneficentiam amabilis, cùm in bello contra Nechao generosè patriam defenderet, & ab ea omnem hoſtilem incurſum arcere ſtrenuè allaboraret, ipſe in prælio in curru ſtans à ſagittariis fatali telo in pectore ſauciatus eſt, ex quo laterali vulnere Princeps longiore vitâ digniſſimus adhuc in ætate florente immaturâ morte defunctus, omnium ſubditorum corda amoris telo vulneravit, cui Regi amaris lacrymis ut vero patri patriæ parentârunt: *Et univerſus Juda & Jeruſalem luxerunt eum.* 2. Par. 35. 24.

O anima Chriſtiana! leva paulisper oculos tuos, & crucifixum Amorem tuum conſidera; & hîc alterum & longè innocentioris vitæ Principem in curru triumphali SS. Crucis ſuper ſuppedaneum ſtantem, & crudeli ferro non in manibus duntaxat ac pedibus, ſed & in dulciſſimo pectore ſuo ſaucium; ô charæ animæ! ſi adeò laterale vulnus optimi Principis Joſiæ cor totius populi vulnerare potuit, ut eum longo tempore, imò ſingulis annis defleret lacrymis amariſſimis: Quid obſecro, non fecit crudelis illa lancea in tenerrimo Corde afflictiſſimæ Matris & Virginis Mariæ, dum Chriſti JESU crucifixi Filii ſui Sacratiſſimum Cor, Divinitatis thalamum, Sacrarium Spiritûs Sancti, ac pretioſiſſimum omnium ad vitam æternam prædeſtinatorum theſaurum, im̃itti ferro tranſadigi conſpexit? Certè hoc vulnus im̃ane non ampliùs crucifixo JESU doluit, quia jam tunc è vivis diſceſſerat, ſed dulciſſimum Cor mœſtiſſimæ Matris ſupra omnem, quàm dici poteſt, modum afflixit: *Poſtquam emiſit Spiritum tuus ille JESUS*, ita hanc dolentiſſimam Matrem alloquitur Mellifluus Bernhardus, *ipſius planè non attigit animam crudelis lancea, ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirum anima jam ibi non erat, ſed tua planè inde nequiebat avelli, tuam ergo pertranſivit animam vis doloris, ut plùs quam Martyrem te non immeritò prædicemus, in qua corporeæ paſſionis ſenſum exceſſit compaſſionis affectus.*

Vide de Suppedan. Tirin. in Matth. 27. 35.

S. Bernhard. ſerm. 1. hoc Sig. Magn.

3. De Davide recenſent Sacræ Paginæ, quòd ad eum aliquando inter duas civitatis portas ſedenti, nuntius quidam accurrerit, indicans funeſtam mortem & ſortem filii Abſolonis, quòd pectus illius in arbore pendentis Joab ſupremus militiæ archiſtrategus tribus lanceis crudelem in modum tranſfixerit: *Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſolon*; ad quod fatale nuntium *contriſtatus Rex aſcendit cœnaculum portæ, & flevit, & ſic loquebatur vadens: Fili mi Abſolon, Abſolon fili mi, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te?* 2. Reg. 18. 14.

O Mater amoris & doloris! quis tuos poterit exprimere animi mœrores, dum ipſa in loco tormentorum præſens, jam conſum̃ata Filii paſſione, propriis ſpectâſti oculis Sacratiſſimum & Diviniſſimum COR ejus à milite



Digitized by Google

impio ferro tranſverberari; O lancea crudelis, quæ uno eodemque ictu duo Corda & dulciſſimi Nati & amantiſſimæ Matris vulneráſti, in quo dolore mœſtiſſima Mater, atteſtante D. Anſelmo, millies periiſſet, niſi à mitiſſimo Numine peculiariter in ſolatium fidelium in vivis fuiſſet præſervata. Audi ipſam hanc Matrem & Virginem deſolatiſſimam loquentem: *Unus adveniens*, ait, *infixit lanceam in latus ejus tam validè, ut penè per aliud latus ejus tranſiret; tunc mihi videbatur, quod quaſi Cor meum perforaretur, cùm vidiſſem Cor Filii mei chariſſimi perforatum.* Et iterum in alio loco hæc Diva Virgo de hac immaniſſima Diviniſſimi Cordis JESU transfixione hoc fert teſtimonium: *Filius meus in Corde punctus erat tam amare & immiſericorditer, quòd pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam, & ambæ partes Cordis eſſent in lancea.* Rogavit quidem (prout hîc obſervat S. Bonaventura) hæc doloroſiſſima Virgo circumſtantes in Calvario milites, ne ampliùs poſt mortem dilecti Filii ſui in Corpus ejus ſævirent, quia jam ante horam obiiſſet: *Jam mortuus eſt, & migravit, hora enim eſt, poſtquam diſceſſit*; Verùm non acquieverunt illius precibus, ſed unus, ut crudelitatis epilogum faceret, & ſuperſederet ſuperfluo crurifragii labore, pro ſecuritate magno cum impetu immitem lanceam in dextrum JESU latus infixit, ut medium Cor ejus ſecaret: *Lanceâ latus ejus aperuit*, &c. De quo vulnere Chriſtus quidem non doluit, doluit tamen præſens Mater, quia Cor unum erat & Filii & Matris; imò hæc lancea tria ſimul corda feriebat, audi doctiſſimum Salmeronem: *Quòd Abſolon*, inquit, *tribus lanceis ſit confixus, rectè ſignificat Chriſtum unâ lanceâ perforatum, quia ſimul Chriſti Cor, & Matris, & dilecti Diſcipuli, qui huic aderat ſpectaculo, Corda penetravit.* O Chriſtiane! ô pie Lector, ſi vis eſſe verus MARIÆ Filius, nunquid hæc lancea & cor tuum vulnerare debet? Si JESUS tuum fuiſſet viliſſimum mancipium, potuiſſetne plura pro te facere, ac tolerare? Condole proinde ex animo & JESU crucifixo, & Sacratiſſimæ Matri ejus, eamque per Sacratiſſimum Cor Filii ſui roga ſæpiùs ac impenſiùs, ut te in tentationibus ac neceſſitatibus tuis non deſerat, ac præſertim cùm tibi ultimus mortis imminet ictus.

S. Anſelm. lib. de Excell. V. Lib. 1. Revel. S. Birg. cap. 10. Ibid. lib. 2. cap. 21. S. Bonavent. in Medit. vitæ Chriſt. cap. 80. Salmeron. in hunc loc.

4. *Et continuò exivit ſanguis & aqua*, quaſi duo fontes, impermiſti tamen, ut unus ab altero clariſſime potuerit diſcerni, & quia virtutem hujus Sacroſancti Sanguinis & aquæ miraculosè in Chriſto productæ, optimè noverat dolentiſſima Virgo, idcirco dilapſis à cruce aliis hominibus, metu terræ motûs & tenebrarum perculſis, ipſa ad radices crucis propiùs acceſſit, & vaſculum cruore & aquâ plenum pro ſui, fideliumque ſolatio de Sacratiſſimo Corde JESU collegit; audi Nicephorum: *Cùm verò metu homicidarum omnes profugiſſent, ſola ibi aderat Mater, & quem diligebat Diſcipulus, qui omnia, quæ vel ante, vel poſt mortem ejus geſta ſunt, oculis ſuis ſpectarunt, ſanguinemque & aquam è latere ejus quaſi adhuc viventis recens profluentem religioſè*

Joan. 19. 34. Nicephor. lib. 1. hiſtor. Eccl. c. 30.

Digitized by Google

*ligioſè ſimul & honorificè admodùm vaſculo exceperunt.* Quòd & S. M. Magda- Mancin.
lena feciſſe perhibetur, dum ſub eadem crucis ara Divinum illum cruorem apud me fol.
à ſceleratiſſimis deicidis pedibus proculcatum, in ampulla vitrea pulveri non- 420.
nihil permiſtum ſuſtulit, qui nunc in Galliis propè Maſſiliam in templo S.
Maximiniani religiosè aſſervatur, & quotannis in die Paraſceves perlectâ
paſſione clarè ebullit, caleſcit, & exundat.

O anima Chriſtiana, diſce à doloroſiſſima Matre pretioſum hunc æſti-
mare, ac venerari cruorem, cujus vel unica ſtilla millenis ſufficit redimen-
dis orbibus. Et ſi quondam aquæ Jordanis fœdiſſimam Naami lepram
poterant abſtergere: *Deſcendit, & lavit in Jordane ſepties juxta ſermonem Viri* 4. Reg. 5. 14.
*DEI, & reſtituta eſt caro ejus, ſicut caro pueri parvuli, & mundatus eſt*: Quid non
faciet Divinus ille Cruor & unda innocentiſſimi Agni & incontaminati ad
abſtergendam animæ noſtræ lepram? *Venite, & arguite me, dicit Dominus, ſi* Iſa. 1. 18.
*fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*

Si aquæ piſcinæ Hieroſolymitanæ, à mactatis templi victimis rubicatæ,
quibuſcunque poterant mederi infirmitatibus: *Angelus autem Domini deſcen-* Joan. 5. 4.
*debat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in piſ-
cinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Quid
modo ſperare poſſumus, dum ipſe fons vitæ (Diviniſſimum Cor JESU)
nobis reſeratus eſt, ex quo ſanguis & aqua ubertim fluunt, hic qui redimat,
illa quæ abluat; verè *fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem, in ablu-* Zach. 13. 1.
*tionem peccatoris.*

Si funiculus ille coccineus (typus ſecundùm S. Ambroſium SS. Sanguinis S. Ambroſ.
Chriſti) quem Rahab quondam in expugnatione Jericho per feneſtras ſu- lib. 5. de fi-
ſpendit, totam domum ac familiam conſervavit illæſam, cæteris omnibus in de cap. 5.
civitate pereuntibus: *Et illa reſpondit: Sicut locuti eſtis, ita fiat, dimittensque eos,* Joſue. 2. 21.
*ut pergerent, appendit funiculum coccineum in feneſtra:* Quid, obſecro, non
faciet nobis ille Diviniſſimus Sacratiſſimi & perforati CORDIS JESU, per
quem ſalvati & liberati ſumus? Tunc in veritate fundata fuit Eccleſia, quan-
do ex Sacratiſſimo latere Crucifixi Sanguis & aqua promanavit juxta illud:
*Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem JESUS Chriſtus, non in aqua ſolùm, ſed in* 1. Joan. 5. 6.
*aqua & ſanguine.* Et quis ignorat, quàm amplum & ſeverum balneum fuerit Geneſ. 7. 19.
illud diluvium, quod totum quidem terrarum orbem inundare, ſed tamen
peccata abluere non potuit. Quàm pretioſus ergo eſt ille Sanguis crucifixi
Amoris noſtri, *ſine quo non fit remiſſio?* O anime mi! accede cum Sacratiſ- Hebr. 9. 22.
ſima Deipara ad crucifixum JESUM tuum, & cum illa piis ſaltem votis ac
deſideriis ex hoc reſerato Dominico fonte aliquas pro te ſtillas collige, quia
*Sanguis JESU Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato*; noli dicere cum illo 1. Joan. 1. 7.
Paralytico: *Hominem non habeo*, en DEUM & Hominem habes, qui factus Joan. 5. 7.
eſt tibi Medicus, quia *ejus livore ſanati ſumus.* 1. Petr. 2. 24.



Digitized by Google

5. Revertamur ad afflictiſſimam Matrem noſtram. Ignoſce, Domina, verbum ad te habeo, ſervus & mancipium indigniſſimum. Nunquid illarum adhuc recordaris nuptiarum, quibus olim in Cana præſens adeſſe dignata es, in quibus amantiſſimum Filium tuum non rogata rogâſti, quatenus in gratiam pauperum neoſponſorum & hoſpitum amicorum vinum novum
Joan. 2. 3. creare dignaretur: *Et deficiente vino, dicit Mater JESU ad eum: Vinum non habent?* Ad quod dilectiſſimus Filius: *Non venit hora mea.* O pientiſsima Domina! ecce nunc illa hora præſens, in qua dilectus ſanguinum Sponſus cellam ſuam vinariam adaperire voluit, omnibus ſitientibus animabus rubrum & album vinum ex Sacratiſſimo Latere & Corde ſuo abundantiſſimè ſubminiſtrans. Venite ergo, ô mortales omnes, emite abſque argento & ſine ulla comutatione: *Fervore quodam*, ait S. Irenæus, jam tunc in nuptiis *ducebatur Deipara bibendi Sanguinis Chriſti poculum*; & ecce nunc habes, ô Domina, hoc deſideratum vinum & Sanguinis poculum, ah ſtillam unicam etiam pro *nobis* miſellis; ſi enim olim omnem amaritudinem in olla filiorum Prophetarum, colocynthis impletâ, ſuſtulit unicus farinæ pugillus: *Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla*; ſi ad verbum Eliſæi modicum ſal aquas Jerichuntinas ſteriles & fœtentes ſanavit: *Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque in diem hanc*; Si lignum, quod Moyſes in amarulentum miſit lacum, aquas amariſsimas indulcoravit, & potabiles fecit: *Quod cùm miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt*, &c. Quid, obſecro, non faciet vinum illud nobiliſſimum, rubrum & album, ex Sacratiſſimo ac Diviniſſimo Corde JESU in ſalutem omnium à doloroſiſſima Matre ſub cruce, imò & in cruce propinatum? Noli hîc timere, anime mi, quòd deficiat, aut deficere poſſit hoc vinum germinas virgines, & fons aquarum viventium ſaliens in vitam æternam, quò enim plùs hîc ſunt potæ, plùs ſitientur aquæ. O pientiſſima Domina! iterum, iterumque rogo, ah ſtillam unicam pro me miſerrimo peccatore, ah tunc præſertim, quando in ſumma amaritudine egreſſura eſt è mortali corpore anima mea; ah ſtillam unicam.

Vide S. Auguſtin. in Brev. Rom. in Feſt 7. Dolor. B. V. Mar.

S. Iren. l. 6. cap. 18.

4. Reg. 4. 41.

4. Reg. 2. 19.

Exod. 15. 25.

6. Cùm olim Samaria arctiſsimâ obſidione & fame premeretur, aliqui viri leproſi extra urbis portam morantes, & inopiâ ac fame penè confecti, hoc conſilium inierunt: *Quid hîc eſſe volumus, donec moriamur? Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: Sive manſerimus hîc, moriendum nobis eſt; venite ergo, & transfugiamus ad caſtra Syriæ*, &c. Ierunt, & copiam rerum omnium invenerunt. Leproſi ac famelici & nos ſumus, ô Chriſtiani, turpique peccati leprâ infecti, negare hoc non poſſumus: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Eamus igitur extra caſtra, improperium Chriſti JESU, crucifixi Ducis noſtri, ac Sacratiſſimæ Matris ejus doloroſæ portantes; ad quid in ſtatione noſtra morimur fame & ſiti? Ecce, in Calvario monte abundantiam rerum & gratiarum

4. Reg. 7. 4.

1. Joan. 1. 8.

rum

rum omnium; lambamus linguâ noſtrâ Sacroſanctum illum ac Diviniſſimum Sanguinem è quinque SS. Vulneribus & Sacratiſſimo Corde JESU profluentem: Ad quid ſinamus pretioſiſſimum hoc æternæ ſalutis poculum pedibus ſceleratorum proculcari?

Et quid dico, anime mi? Heu, heu, quot ſunt de facto, qui Chriſtiano quidem nomine gloriantur, & quotidie ſibi crucifigunt Filium DEI? O miſeri & indurati! ideone tradidit mitiſſimus JESUS vobis Sacratiſſimum COR ſuum, ut illud de novo peccatis veſtris offendatis, & unà ſimul innocentiſſimum COR Virginis? Dum enim videt Filium ſuum offendentes, offenditur & ipſa, zelus enim amoris, quo Filium diligit, communem mali ſenſum efficit.

Miles ille, qui Abſolon, Regium Principem, condenſæ quercui capillis implicitum adhærentem conſpicatus eſt, absque mora ad Joabum ſupremum militiæ Ducem feſtinavit: *Vidi Abſolon pendere de quercu*; ad quem Joab: 2. Reg. 18. 10.
*Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos & unum balteum*? Ad quod generoſus ille miles: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* O Chriſtiani! ipſis Judæis, Deicidis & Gentilibus pejores: *Si enim illi cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*; & vos, qui eum cognoſcitis, in quem creditis, & à quo cælum ſperatis, non perhorreſcitis offendere, & mittere manum veſtram in ſupremi Regis Filium, ejuſque Sacratisſimum COR novis vulnerare ſceleribus, & unà ſimul lacteum ac mitisſimum Cor afflictisſimæ Matris ejus? Centurio ille, & qui cum eo erant, ubi cruentum hoc ſpectaculum viderunt, exclamârunt: *Verè Filius DEI erat iſte*, & percutientes pectora ſua revertebantur. Percute & tu pectus tuum, homo Chriſtiane & peccator, & revertere de vitio ad virtutem, de morte ad vitam.

(Margin notes: 1. Cor. 2. 8; Matth. 27. 54.)

# CONSIDERATIO XLVII.

## B. Virgo & Mater Doloroſa rectè ab Eccleſia Regina SS. Martyrum appellatur.




**Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.**
*Thren.* 1. 12.

1. OLim in celeberrima Athenienſium Academia inter præſtantisſimos Philoſophos hæc quæſtio exorta, atque ventilata fuit, an Mulier posſit laudari? Erant, qui Mulierem, utpote omnis mali originem cunctæ humanæ laudis incapacem, indignamque æſtimabant. Alii mediam tenuêre viam, aſſerentes, fœminam nec laudandam, nec vituperandam, ſed tanquam malum neceſſarium in hoc orbe tolerandam. Alii mitiùs & rectiùs in hanc abière ſententiam: Si virtus etiam in hoſte laudari poſſit, quare

re

ae non in Muliere? Proinde rectè & juſtè Mulierem fortem, induſtriam, probam atque ſanctam omni laudum præconio eſſe digniſſimam; hinc à prophanis iſtis Gentilibus tantoperè dilaudata fuit bellica fortitudo Amazonum, prudentia Sybillarum, caſtitas Lucretiæ, fidelitas Melaniæ, animoſitas Semiramidis, & plurium aliarum Heroinarum præclaræ virtutes.

Et quid dico de Gentilibus? Nunquid & ipſæ Sacræ Paginæ ſatis luculentū de hac veritate perhibent teſtimonium? An non laudatur Sara propter obedientiam Abrahamo marito ſuo præſtitam; Rebecca & Mulier Sareptana propter inſignem in peregrinos hoſpitalitatem; Debbora, Judith & Mater ſeptem Fratrum Machabæorum ob inſolitam animi fortitudinem; Anna Mater Samuelis, & Anna Vidua filia Phanuelis propter aſſiduam orationem; Abigail & Mulier Thecuitis ob peculiarem ſapientiam; Eſther propter eximiam charitatem & compaſſionem in poplum jam morti addictum, pro cujus liberatione animam ſuam ſum̃o expoſuit periculo? &c.

Verumenimverò has omnes præclaras fœminas in omni virtutum genere longo intervallo ſuperavit B. Virgo & Mater doloroſa: *Multæ filiæ congregaverunt divitias: Tu ſupergreſſa es univerſas*, quia nobis DEUM & Hominem genuiſti, eundemque dilectiſſimum Filium tuum in gratiſſimum ac pacificum holocauſtum DEO Patri in ara crucis obtuliſti; & quemadmodū de Patre dicitur: *Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*; ita, ô Domina, tu proprio quoque Filio non peperciſti, ſed pro nobis omnibus tradidiſti illum, velut donum ac Sacrificium omnium præſtantiſſimum; hinc meritò te plùs, quàm Martyrem prædicamus, omniumque Martyrum Reginam longè ſanctiſſimam; proinde rectè Divus Anſelmus: *Quidquid*, inquit, *crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil in comparatione tuæ paſſionis*; quaſi diceret: Si omnes omnium SS. Martyrum (quorum à Cornelio undecim milliones numerantur) cruciatus & dolores collectivè ſumerentur, atque in unum coacervarentur cumulum, ſine controverſia doloroſæ Matris doloribus cederent, eſſentque leves, vel nulli cum illis comparati. Finge, Lector Mariane! pro Symbolo diverſa paſſionum inſtrumenta, quibus SS. Martyrum corpora excruciata, & enecta ſunt, quibus omnibus ſuperimpone SS. Cor doloroſæ Matris ſeptem doloris gladiis transfixum cum Lemmate:

Proverb. 31. 29.

Rom. 8. 32.

S. Anſelm. in lib. de Excell. Virg.

## Supereminet omnes.

2. Ita eſt, ô doloroſiſſima Virgo! *ſupereminet omnes*; ſancti enim Martyres paſſi ſunt humana, ſed MARIA (prout loquitur D. Amadeus) *vicit ſexum, vicit hominem, & paſſa eſt ultra humanitatem; torquebatur enim magis, quàm ſi torqueretur ex ſe, quia ſupra ſe incomparabiliter diligebat id, unde dolebat;*

S. Amadeus hom. 5. de Virg.

*bat*; & quia omnes Filii dolores habuit comunes, dum eisdem flagellis, ſpinis ac plagis in ſpiritu ſauciata, ferreisque clavis in mente cum JESU concrucifixa eſt, longè meliore jure, quàm Apoſtolus, dicere poterat: *Chriſto confixa ſum cruci. Vivo autem, non ego: Vivit verò in me Chriſtus*, &c.

Gal. 2. 19.

Secundò fuit inter doloroſam Virginem & Dominum Chriſtum perfectiſſima Sympathia & unio, utpote quæ extitit (ſi ita fas eſt dicere) & ipſius Pater & Mater, ipſa enim jure merito dicere poterat: *Hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, & ſanguis de ſanguine meo; & ſicut ad ſolis deliquium ſine mora & luna obſcuratur, ita Chriſto, Sole myſtico patiente, tota ejus paſſio & eclypſis in myſticam Lunam Mariam tranſibat: *Quod in carne Chriſti* (ſunt verba Melliflui) *agebant clavi & lancea, hoc in Virginis mente naturalis affectus erga Filium.* O vere Regina Martyrum, quia in omni paſſione Chriſto Regi Martyrum ſemper conjunctiſſima fuiſti: *Stabat*, inquit S. Auguſtinus, *ante crucem Mater, & fugientibus viris, ſtabat intrepida; ſtabat non degeneri Mater ſpectaculo, qua non metueret peremptorem; pendebat in cruce Filius, Mater ſe perſecutoribus offerebat*, &c.

Geneſ. 2. 23. S. Bernhard. ſerm. de paſſ. S. Auguſtin. in lib. de Inſtitut. Virg. cap. 7.

Tertiò paſſiones & cruciatus SS. Martyrum breves fuêre, eorumque terminabantur morte; ſed B. Virginis dolores à puncto annuntiationis, quo Mater DEI & Hominis eſſe cœpit, uſque ad obitum ejus in Corde hærebant; nulla enim ſpongia ex illius memoria delere poterat illum ſanguineum imbrem, quem dulciſſimus Filius in monte Olivario, flagellatione, coronatione, crucis bajulatione & crucifixione, uſque ad ſupremam, quæ in intimis SS. Cordis JESU medullis latebat, ſtillam profudit. Nullus Aſſuerus poterat conſolari hanc afflictiſſimam Eſther: *Convertitque DEUS ſpiritum Regis in manſuetudinem, & feſtinus ac metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus, noli metuere*, &c. Nullus, inquàm, Aſſuerus poterat conſolari hanc heu! nimiùm afflictam Eſther, quia paſſionem & mortem ſuaviſſimi Nati ſui ſemper præſentem in animo intuebatur, hinc jugiter doloris gladius maternũ illud Cor non tam afflixit, quàm ad ipſas uſque Cordis medullas penetravit: *Paſſio Filii mei*, inquit ipſa ad S. Birgittam, *ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea*; & in alio loco ad eandem Divam: *Ego*, ait, *nullam horam ſine tribulatione Cordis transfixi habui in terris.*

Eſther. 15. 10. S. Birg. l. 1. cap. 17. Lib. 6. c. 9.

Quartò plùs B. Virgo Chriſtum Filium ſuum dilexit, quàm omnes cæteræ creaturæ, unde cum Sponſa meritò dicere poterat: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; & quemadmodum *anima Jonathæ conglutinata erat animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam*; ita anima Mariæ conglutinata fuit animæ JESU, hinc dilexit eum plùs, quàm animam ſuam, & ſuper omnia creata ſimul; ex quo ardentiſſimo amore facilè intelliges, quòd plùs quoque cæteris creaturis in paſſione & morte Unigeniti ſui doluerit, amor quippe eſt

Cant. 2. 16. 1 Reg. 18. 1.

eſt menſura doloris; & *amans* (prout eleganter obſervat S.Dionyſius) *magis eſt, ubi amat, quàm ubi animat*; hinc concludit D.Hieronymus, quia *B.Virgo mente paſſa eſt, plùs quàm Martyr fuit*: cui ſubſcribit S. Ildephonſus: *Tunc plùs* inquit, *quàm Martyr fuit, quia in anima non minus amoris, quàm mœroris gladio intus vulnerata fuit.*

S. Dionyſ. de Div. Nom. S. Hieron. in ſerm. de Aſſumpt. S. Ildephon. ſerm. 2. de Aſſumpt B. V.

Quintò SS. Martyres cùm in corporibus exquiſitis cruciarentur ſuppliciis, à DEO T.O.M. in anima mirè confortabantur, & charitas, quâ in Deum & Amorem ſuum crucifixum flagrabant, illorum leniebat dolorem; hinc S. Agatha lætanter ibat ad carcerem; S. Tiburtio prunæ ardentes velut roſæ ac flores videbantur; Marcus & Marcellianus in mediis tormentis læti canebant: *Nunquam tam jucundè epulati ſumus, &c.* Verùm in doloroſa Matre dilectionis multitudo non leniebat ſed augebat dolorem, noverat enim, quis pateretur, quæ, quanta & quàm indigna pateretur, & quidem pro tam ingratis capitibus, &c. & quod plùs eſt; cum ipſo ſimul omnia illa ac decumana in animo patiebatur tormenta, hinc fieri non potuit, quin anima ejus ſumo affligeretur dolore; proinde plùs quàm Martyr, imò Regina omnium SS. Martyrum fuit, quæ non tantùm aureolam Martyrii, ſed & plùs commeruit dignitatis, & excellentiæ; hinc Eccleſia natales SS. Martyrum, in quibus pro fide & Chriſto paſſi ſunt, anniverſariâ quidem recolit memoriâ & celebritate; Verùm Sacratiſſimæ Deiparæ ac Matris doloroſæ commemorationem non tantùm ſemel in anno, ſed & ſingulis ſeptimanis, diebus Sabbathinis, alio Feſto non impediente, gratâ memoriâ celebrat, ad excitandum populum Chriſtianum, quomodo hujus dolentiſſimæ Matris gemitus, dolores mœrores ac lacrymas, gratâ freqentique memoriâ recolere, ac peculiari devotione celebrare debeat: *Et gemitus Matris tuæ ne obliviſcaris.* Eccl. 7. 10.

3. Occurrit hìc mihi Jeremias Propheta Domini jam ab utero Matris ſanctificatus, qui, poſtquam in captivitatem redactus eſt Iſraël, ſedens in fovea propè deſtructam Jeroſolymam ad meridiem urbis non longè ab Aceldema, magnificentiſſimi illius Templi, & antiquiſſimæ ac regiæ civitatis Solymææ extremam deſolationem, vaſtitatem & excidium amariſſimis lacrymis deplanxit; in quo loco Threnos ſuos concinnavit, in quibus omnia lamenta conglobâſſe, & compaſſioni ac lacrymis habenas omnes laxâſſe videtur, unde amaro animo ſuſpirans, & ejulans dixit: *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo? facta eſt quaſi vidua Domina gentium, Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo; plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus, non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.* Thren. 1. 8. O anime mi, quid, obſecro, feciſſet, aut quid dixiſſet Jeremias, ſi ipſe quoque præſens ſpectâſſet Divini illius Templi, à Spiritu quondam Sancto in utero virgineo conſtructi, luctuoſam deſtructionem, quod in cruenta Filii DEI & Mariæ paſſione ac indigniſſima crucis morte fractum eſt: *Solvite templum hoc?* Et ſi inſuper vidiſſet de- Joan. 2. 19.

Pſal. 86. 2. ſolationem civitatis illius regiæ, de qua Vates Regius: *Glorioſa dicta ſunt de te civitas DEI*, hoc eſt, ſi corporis & mentis oculis contemplatus fuiſſet pretioſiſſimæ Matris JESU ſummam animi amaritudinem & lacrymas, quibus unigenitum ſuum, ah unicum theſaurum! tota in doloris oſculis colliqueſcens deploravit, quid, obſecro, dixiſſet? Nunquid pari ratione de hac afflictiſſima Matrum dicere potuiſſet: Thren. 1. 1. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo? facta eſt quaſi vidua Domina gentium, Princeps provinciarum facta eſt ſub tributo: plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus; non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus?*

Actor. 5. 41. O bone JESU! ſi Apoſtoli & Martyres tui ibant gaudentes à conſpectu conſilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine tuo contumeliam pati; ſi Petrus altero die decapitandus ſecurè inter catenas ſomnum capeſſit; ſi Paulus in vinculis, flagellis & lapidationibus exultat; ſi Andreas gaudens paratam crucem ſalutat; *Salve crux pretioſa!* ſi Laurentius in ferrea craticula tyrannum irridet: *Aſſatum eſt; verſa & manduca*; ſi Vincentius in equuleis & tormentis crudeliſſimis inſolitâ lætitiâ perfunditur; ſi Bonifacius ferreis excarnificatus ungulis exclamat: *Gratias tibi ago Domine*, &c. Et quomodo, ô mi JESU! ô amor crucifixe! dilectiſſimam Matrem tuam ſolam in ſumma deſolatione & animi amaritudine poteras derelinquere: Latronem conſolatus es pœnitentem, & cur non afflictiſſimam Matrem in dolorum pelago natantem? O Angeli, ubi tunc eratis?

Sed noli mirari, anima Chriſtiana, quare benigniſſimus DEUS, qui omnia prudentiſſimè in finem ſuum ordinat, nullam conſolationem SS. Deiparæ in paſſione Filii ſui ſubmiſerit; voluit enim mitiſſimus Pater, ut Filio patienti compatiens Mater in omnibus ad majus & planè immenſum obtinendum meritum eſſet ſimillima, unum Cor, caro & anima; quia ergo ipſe Matth. 27. 46. in cruce deſertus exclamavit: *Deus, Deus, meus, ut quid dereliquiſti me?* Ita & Matrem oportuit in ſumma deſolatione hunc pretioſiſſimi Filii ſui agonem ſpectare; verè plùs quàm Martyr tunc fuiſti, ô Regina Martyrum, S. Bernhard. homil. in Evang. Stabat. quia plùs omnibus paſſa es, tota ærumnis abſorpta. Audi & mente attentiore conſidera Mellifluum: *O ineffabilis reciprocatio ſancti amoris! Filius patitur, & intus valde compatitur Matri; Mater verò compaſſa eſt patienti Filio. Tantus nempe impetus paſſionis Domini JESU fuit, ut quaſi torrens ipſum impleret, & inebriaret, quia teſte Pſalmiſta: De torrente (ſcilicet paſſionis ejus) in via bibit Chriſtus, ut ſic Chriſto impleto, in Matrem flueret patientem, quâ ſimiliter repletâ, ad Filium redundaret inundatio amaritudinis & mæroris.* O anima peccatrix! audis, quæ ac quanta amore tui fecerit DEUS & Homo Chriſtus, ac SS. Mater ejus MARIA Ah quantò ſteterunt tua peccata Chriſto JESU crucifixo, & afflictiſſimæ Matri ejus! *Pro peccatis enim ſuæ gentis vidit JEſum in tormentis.* Accede proinde ad hanc doloroſam Matrem ſæpiùs, eamque impenſiùs

roga,

roga, ut tibi impetrare dignetur à dilectiſſimo Filio ſuo veram delictorum cognitionem, contritionem, ſeriam emendationem, eumque, quem in omni vita, ac præſertim in paſſione Filii ſenſit communicet dolorem. O felix, ſi compateris, *ſi enim ſocius paſſionum eris, eris & conſolationis.* Cæterùm. 2. Cor. 1.

4. Non poſſum capere, quare DEUS olim in Exodo ad Moyſen dixerit, ut Pharaoni Ægyptiorum Regi in peccatis obdurato inſinuaret: *Hæc dicit Dominus DEus Hebræorum: Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi, quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum.* Et quomodo, dices, ac quando juſtiſſimus ſcelerum Vindex omnes plagas ſuper cor Pharaonis & Ægyptiorum im̃iſit? An quando eos ob duritiem cordis ſubmerſit in mari rubro? Reſpondet doctiſſimus Quareſmius, hoc peculiariter factum eſſe in cæde primogenitorum, ipſi enim erant parentum cor, ſi enim cruciantur filii, affligitur & cor parentum. Exod. 9. 13. Quareſm. Tom. 3. c. 8. ſect. 3.

O pientiſſima Virgo & Mater amoris ac doloris! nunquid etiam de te illud dici poterit: *Ego mittam omnes plagas meas ſuper Cor tuum*, ac tunc præſertim, quando Primogenitum & Unigenitum tuum adeò Dilectum in illo luctuoſo trium horarum decurſu coram te in infami ligno, tanquam omniũ latronum peſſimum, vivum in ſumma Cordis amaritudine pendentem cum ſilentio & ſanguineis lacrymis contemplata es? O Domina mundi! ſi tecum Sol, mundi oculus, expalluit, terra ex imis fundamentis concuſſa eſt, & duriſſimæ petræ ſciſſæ ſunt, & quis tuam enarrabit afflictionem? O quàm lugubre, ô quàm lamentabile ſpectaculum! patientis Filii Corpus ſupra quinque millia vulnerum (alii legionem adſtruunt) in tam̃ cruenta paſſione perpeſſum eſt, & SS. COR Matris nec paucioribus convulneratum fuit; ah quis gladius adeò ſæviit in corporibus Martyrum quemmadmodum gladius Simeonis in Corde MARIÆ? *Vidit ea*, ſubintrat hîc quidam devotiſſimus MARIÆ ſervus, *Filium vinculis arctiſſimè duriſſimeque conſtrictum, & ſolvere non potuit; vidit Corpus vulneratum, & vulnus obligare non valuit; vidit ſanguinem in oculos defluere, faciem ſputis conſpurcari, & abſtergere nequiit; vidit ſub crucis pondere fatiſcentem, lapſantem, cadentem, terræ afflictum, & non permittebatur juvare, ſuſtinere, erigere; invadi ab omnibus, & truculentè, barbarè, plùs quàm ferino ritu tractari oculis ipſa ſuis aſpexit, & non erat ei integrum prohibere aut impedire; audivit clamantem: Sitio! & guttam aquæ porrigere non habuit; vidit caput inclinatum & non potuit ſuſtentare; triſtem, deſolatum, & in extrema animæ amaritudine conſtitutum animadvertit, & non erat, quo eum ſolaretur: viribus omnibus deſtitutum cognovit, & quo, aut quomodo eum reficeret, nihil ſuppetebat; expirantem eſt contemplata, & non dabatur ultimo obſequio, & materna pietate vel oculos ei claudere*, &c. Et nunquid hîc verificatum fuit: *Quia in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper Cor tuum*? O afflictiſſimum COR MARIÆ, quomodo poſſibile fuit, quin in mille partes proſcinde- R. P. Caſp. Tauſch S. J. fol. 19. Exod. 9. 13.



Digitized by Google

reris ? O quàm triſte ſpectaculum ! ô grave CORDIS Martyrium ! verè Regina Martyrum, leve enim fuit, quidquid omnes Martyres paſſi ſunt,
Gen. 1, 9. ſi MARIÆ cruciatibus comparetur, hic enim verificatum fuit illud : *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida*, & factum eſt ita, congregatæ enim ſunt aquæ in locum unum, qui propter aquarum congregationem appellatus eſt *Mare*. Ita in animam & COR doloroſiſſimæ Matris, velut in locum unum tempore paſſionis & mortis Chriſti omnes tribulationum aquæ & fluctus congregati ſunt. O pelagus dolorum! adeò immenſum, adeò profundum, quod non poteſt à creatura
Ezech. 47. 5. transvadari: *Quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non poteſt transvadari.*

Doleamus igitur, dilectiſſimi fratres! cum hac dolentiſſima Matre noſtra, ejuſque mœſtiſſimi Cordis dolores altiùs mentibus noſtris imprimamus, hæc enim veri Filii & Clientis Mariani nota eſt, cum tali ac tanta *Matre* ſincero animo condolere, ac compati. O pientiſſima Domina! utinam tuus ille dolor ita impoſterum inhæreat cordi meo, ſicut inhæſit tuo; dolebo igitur non tam ob innumera delicta mea, quibus Filium tuum offendi, quàm & te, ô Mater, ah quoties contriſtavi. Ignoſce, ô Domina! ego interemi dulciſſimum Natum tuum, hinc reus ſum mortis & gehennæ; non tamen deſpero, quia major eſt miſericordia tua, ô JESU, & tua pietas, ô MARIA quàm mea iniquitas; hinc ex animo, omniumque viſcerum latitudine doleo; adjuva me, ô Mater miſericordiæ, nec ſine, ut æternùm peream, quem Filius tuus tanto ſanguinis pretio redemit, &c.

CON-

# CONSIDERATIO XLVIII.

## B. Virgo & Mater Doloroſa prima cultrix SS. Vulnerum Chriſti JESU dilectiſſimi Filii ſui extitit.




**Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manum tuarum; & dicet; His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.** *Zachar.* 13. 6.

1. SUnamitis illa, cùm unigenitum & unicè dilectum filium ſuum per immaturam mortem perdidit, luctu & dolore plena rectà ad Eliſæum Prophetam contendit: *Cumque veniſſet ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus; & acceſſit Giezi, ut amoveret eam, & ait homo Dei: Dimitte illam: Anima enim ejus in amaritudine eſt.* (4. Reg. 4. 27.) O pientiſſima Domina, ô Mater amoris & doloris! verè anima tua in amaritudine fuit, dum Filium tuum unigenitum & unicè dilectum per tam violentam & im̃aturam crucis mortem amiſiſti. Accurriſti & ipſa cum dicta Sunamitide ad pedes

 non

Digitized by Google

S. Gregor. Nazianz in Trag. & P. Jac. Gretſer. S.J. de Cruce

nonEliſæi, ſed Filii tui pretioſiſſimi in cruce mortui,cujus SS.ac cruenta pedum Vulnera,quæ juxtaS. Gregorium Nazianzenum attingere poteras,materno affectu exoſculata es, heu quo animi cum dolore & luctu, quis explicare poterit? Audi ipſum hunc S. Patrem in Tragœdia, quæ *Chriſtus patiens* inſcribitur, in perſona hujus doloroſæ Virginis loquentem:

*Per tuos ſacros pedes, quos oſculor*
*Matero amore, te nunc miſereat mei.*

S. German. in Theoria. Item Mallon de S. Sindon. cap. 19.

De eadem mœſtiſſimâ Matre refert S. Germanus, quòd Sacroſancta Chriſti JESU nunc de cruce depoſiti Vulnera devotione ſummâ & amore inexplicabili venerata ſit: *MARIA Virgo*, inquit, *Chriſti è cruce depoſiti oſculabatur manus clavis perforatas; oſculabatur brachia & pectus lanceâ perforatum; oſculabatur pedes clavis perfoſſos: lavit & rigavit lacrymis univerſa Vulnera ejus, & plorans acerrimè ſuper ſingulis, amplexabatur Caput ejus, comprimens ad ubera ſua, &c.* Nunc velut apis argumentoſa, de qua Lemma fert:

(Currit in odorem.

S. Bernhard. tr. de Paſſ. Dom. N. cap. 44.

Oſculabatur perforatas manus, cœli, terræque architectas, velut vernantes & purpureas roſas;nunc ad ſacros pedes, qui tot annis oviculam perditam quæſiere, humiliter proſtrata, rubentes plagas venerabundo oſculo excipiebat; nunc ad transfixum Filii pectus ſe reclinabat, intuens pientiſſimè in hoc reſeratum DivinitatisSacrarium,illudque tenerrimo affectu adorans; ô quoties optavit hìc commori cum Chriſto, & cor cordi rependere! ô anima Chriſtiana, quid agis? Cur ſtas otioſa? imitare & tu hanc argumentoſam & ſedulam apiculam, & curre cum hac SS. Matre doloroſa pariter in odorem fragrantiſſimarum roſarum ac SS. Vulnerum crucifixi Amoris tui: *Imitare*, ſubintrat hìc Mellifluus, *apum ſedulitatem, ad conficiendum tibi mel devotionis, ad paradiſum charitatis aſcende. Non eſt elevatus in crucem, ut ſe difficilem præberet accedere ad eum volentibus, ſed magis ut omnibus poſſit paratior inveniri. Accedens ergo cum fiducia ad hunc paradiſum in extenſione brachiorum cognoſce, ſuſcipe affectum paratum ad tuos, & te ad ſuos invitantis amplexus,& quaſi miſericorditer clamantis: Revertere,revertere Sunamitis, ut intueamur te. Intra ergo, anima, paradiſum omnibus paradiſis meliorem, nunc quidem ſolo cogitationis affectu, ut poſtea animâ & corpore cœleſtem paradiſum valeas introire. Nec breviter amplexandus eſt iſte paradiſus, ſed volandum per ſingulos illius flores, & ſingulorum florum folia ſunt ſugenda: Nunc ad dexteram nunc ad ſiniſtram rivulos guttasque ſanguinis ſpargentem eſt accedendum. In horum contemplatione repete frequenter: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, adinſtar*

*ſtar*

Digitized by Google

*ſtat apis, quæ intervolandum quendam ſonum habet, donec in florem intret. Accede tandem ad Cor humillimum altiſſimi JESU per januam lateris lanceati; ibi theſaurus ineffabilis charitatis latet, ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrabitur, diſcitur manſuetudo, patientia in adverſis, compaſſio in afflictis, & præcipuè cor contritum & humiliatum ibi invenitur: Ipſe JESUS complexus tuos deſiderat, talis ut complectatur expectat, caput floridum multis ſpinarum aculeis confoſſum ad te inclinat, ut ad pacis oſculum te invitet. Redde vicem, & ſuper vulnera mea miſericordiâ commovere, & pone me talem, qualem vides, ut ſignaculum ſuper cor tuum, ſignaculum in brachio tuo, ut in omnibus cogitationibus cordis tui & operationibus brachii tui mihi taliter, ut vides, ſignato ſingulis inveniaris;* Hucuſque Mellifluus Bernhardus, quem è cruce pendens JESUS amplexatus eſt, & MARIA ſuo cum lacte virgineo paſcere dignata.

2. Inſignis eſt illa figura, quâ in Joſeph ChriſtumDominum figuratum Gen. 49. 22.
Patres agnoſcunt. Joſeh *Filius accreſcens* dicitur: Chriſtus creſcebat ætate, ſapientiâ & gratiâ coram Deo & hominibus. Joſeph perfidos fratres peccati arguens invidiam eorum ſubiit: Chriſtus Judæorum fratrum ſuorum ſcelera Geneſ. 37. 2.
accuſans graviſſimum odium contra ſe concitavit. Joſeph 20. argenteis à Juda & fratribus venundatus: Chriſtus 30. argenteis à Juda Iſcariothe in Geneſ. 37. 28.
mortem venditus eſt. Joſeph tunicâ talari & polymitâ à fratribus & ab Ægyptiaca meretrice pallio ſuo ſpoliatus eſt: Chriſtus à militibus ignominioſiſ- Geneſ. 37. 23.
ſimè nudatus fuit: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Joſeph in carcere inter pincernam & piſtorem medius ſervatus, Geneſ. 39. 12.
ubi uni vitam, alteri mortem prædixit: Chriſtus in medio duorum latronum Pſalm. 21. 19.
crucifixùs unum ad vitam elegit, alterum reprobavit. De Joſeph dicitur: Geneſ. 40.
*Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: Ferrum pertranſiit animam ejus:* Heu quantùm in infami crucis patibulo humiliatus eſt optimus JESUS, ubi ferrei Pſalm. 104. 17.
clavi pedes & manus, atque crudelis lancea SS. Cor illius pertranſiit. Joſephi tunicam ſanguine aſperſam & laceratam impii fratres ad patrem remiſerunt: *Vide, utrum tunica filii tui ſit an non?* O doloroſiſſima Mater! tu JESUM dulciſſimum Filium tuum longè meliore tunicâ induiſti, dum eum cooperante Spiritu Sancto veſte carnis noſtræ, ſeu humanitate texiſti; vide nunc, quàm fœdè laceratam & in ſanguine intinctam hanc tibi veſtem remittant impii Deicidæ: *Vide, utrùm tunica Filii tui ſit, an non?* Geneſ. 37. 32.

O anime mi! quis obſecro, tunc erat piiſſimæ Matris ſenſus, quando à Mallon. de Ss. Sindo. cap. 2.
fera peſſima (impia Synagoga) hunc amantiſſimum Natum ſuum laceratum & occiſum conſpicata eſt? *Quæ eò lacrymabilior erat*, inquit Mallonius, *quò ardentiùs Chriſtum diligebat; ideò benè Chriſtum quodammodo à fera peſſima laceratum ac devoratum dicere poterat.* O quàm lugubre, & quàm lamentabile hoc erat ſpectaculum, dum cernebat perforatas tam crudeliter ma-

nus,

nus, tam im̃anes pedum fiſſuras, im̃enſum lateris vulnus, totumque corpus plagatum. cruentatum, lividum & exanime: *His conſideratis*, ſubintrat hic Nebridius, *acceſſit ad caput, & immites illas ſpinas multis gemitibus revulſit; debinc accepto ſui capitis velamine cœpit extergere ſanguinem ex oculis, mundareque omnia vulnera univerſi corporis; circuibat plorans, & explorans, contrectansque omnes articulos, & deoſculabatur eos. Intuebatur curioſis ſingultibus fixuras clavorum in manibus & pedibus, mittebatque digitos ſuos in loca clavorum, manumque ſuam in latus ejus, & menſurabat profunditatem Divinæ charitatis erga genus humanum. Et quoniam Samaritani illius lagenulam vini & olei non habebat, ſuperpoſitis oculis in plagas ejus largiſſimas infudit lacrymas, quibus eas ſaltem lavabat, ſi non ſanabat. Ipſa denique ſuis digitis claudebat os ejus & oculos, & pro ſuprema valedictione lacrymabile oſculum. Levabat ſæpe in cœlum ſuos oculos, ac DEO Patri vulnera, ſanguinem, dolores & mortem ſui Filii offerebat pro hominibus.*

Nebrid. in Faſc. Myrr cap. x.

Credibile eſt, hanc SS. Deiparam, ac Matrum omnium deſolatiſſimam tunc in cœlum ingeminâſſe, & prout habet Mellifluus, hiſce vel ſimilibus verbis ad cœleſtem Patrem fuiſſe locutam: *Reſpice Domine Sancte Pater, de Sanctuario tuo, & de excelſo cœlorum habitaculo: cognoſce veram tunicam Filii tui Joſeph: hæc fera peſſima devoravit eum, & conſulcavit in furore ſuo veſtimentum ejus, omnem decorem ejus reliquiis cruoris inquinavit; & ecce quinque ſciſſuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc eſt, Domine, veſtimentum, quod in manu Ægyptiæ Meretricis innocens puer tuus dereliquit, &c.* O grave Mariani pectoris tormentum, in quo omnium dolorum congregatio fuit, quemadmodum mare omnium eſſe ſolet congregatio aquarum! ô mons Gelboë, non Gelboë ſed Calvariæ, nec ros, nec pluvia veniat ſuper te, quia in te occiſus eſt Salvator Iſraël. Verè vox in excelſo tui audita eſt lamentationis, luctûs & fletûs doloroſiſſimæ Matris MARIÆ plorantis Filium ſuum, & nolentis conſolari, quia non erat. O anime mi! appropinqua & tu mente tua, conſiderans, quæ & quanta amore tuî fecerit DEUS & Homo Chriſtus, & jam immenſo ſanguinis pretio illi ſteterint peccata tua; & tu, anime mi! quid DEO tuo & Amori crucifixo, ac SS. Matri ejus rependes?

S. Bonavent. ſerm. de Paſſ. Dom.

3. Et hæc cauſa eſt, quòd afflictiſſima Mater JEſu meritò Princeps hujus ſacroſanctæ devotionis erga quinque SS. Vulnera Chriſti & vocanda & colenda ſit, quam exinde ſecuti ſunt dilectus Chriſti Diſcipulus Joannes, *Joſeph* Arimathæus, Nicodemus, Maria Magdalena, & aliæ quædam piæ animæ, quæ tunc in Calvariæ jugo præſentes has quinque plagas Dominicas pio ac devoto oſculo, antequam exangue corpus tumulo inferretur, veneratæ ſunt: *quos nemo ambigat* dicit Hadrianus Lyræus, *tam manus, quàm pedes è cruce avulſos dulciſſimis oſculis veneratos fuiſſe*, non enim ignorabant hæ piæ mentes, quòd hæc SS. Vulnera unicũ ſint pretiũ redemptionis humanæ, ſalus mundi,

Lyræus de Chriſt. pat. lib. 5. a. 7.

Digitized by Google

di,theſaurus Eccleſiæ, infirmorum ſolamen, Divini Amoris pignus,ac deni-
que univerſale ac tutiſſimum refugium,quò omnes peccatores ſecurè ſe reci-
piant: *Cùm me pulſat*, ait Magnus Aurelius Auguſtinus, *aliqua turpis cogita-* S. Auguſt.in
*tio, recurro ad Vulnera Chriſti: Cùm me premit caro, recordatione vulnerum Do-* Matth. cap.
*mini mei reſurgo: Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ* 21. 22.
*Domini mei, & recedit à me: In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax re-*
*medium, quàm Vulnera Chriſti, in illis dormio ſecurus, & requieſco.*

4. Olim in Lege mandavit DEUS,ut primogenitus quinque ſiclis redi-
meretur: *Accipies quinque ſiclos per ſingula capita ad menſuram Sanctuarii*, &c. Num. 3. 47.
Chriſtus quinque SS. Vulnerum ſuorum pretio non primogenitum dunta-
xat,id eſt, animam hominis, ſed & mundum univerſum à ſervitute peccati
redemit. O peccatores & mortales omnes,boni animi eſtote: *Empti enim eſtis* 1. Cor. 6. 20.
*pretio magno. Glorificate,& portate DEUM in corpore veſtro.*

David contra Goliam pugnaturus,in torrente quinque ſelectiſſimos la- 1. Reg. 17.
pides elegit, quibus robuſtiſſimum hunc gigantem proſtravit. Chriſtus per 40.
ſua SS. quinque Vulnera infernalem Goliam ſtravit, vicit, debellavit.

Iſaias quinque civitates refugii aſſignavit, ad quas Ægyptii ad DEUM
converſi, ſi delictum aliquod commiſiſſent, ſecuri poterant confugere: *In* Iſai. 19. 18.
*illa die erunt quinque civitates in terra Ægypti, &c.* O anima Chriſtiana! ſi con-
tra DEUM deliquiſti, & digna morte perpetrâſti; en monſtrat tibi ſanctiſ-
ſima ac doloroſiſſima Virgo quinque ſimiles civitates refugii, hoc eſt, quin-
que Sacratiſſima Dilectiſſimi vulnera, in quibus contra omnes hoſtium in-
ſultus ſecura latebis: *Ubi tuta quies*, ait S. Auguſtinus, *niſi in Vulneribus Sal-* S. Auguſt.
*vatoris?* in Confeſſ. Judith. 16. 11.

5. Judith quondam & omnis populus in ſuo Epinicione gloriabatur, Iſidor. Clar.
Holofernis oculos ex intuitu Sandaliorum Judithæ fuiſſe captos: *Sandalia* in Judith.
*ejus rapuerunt oculos ejus*; & cur non oculi, qui ſunt in amore duces? &c. cap 16.
Reſpondet Iſidorus Clarus: *Poſuit in Sandaliis ſuis quinque Rubinos, qui quin-* S. Bernhard.
*que Chriſti plagas repræſentabant*, in quarum virtute tyrannus ſuperatus, cap- ſerm. 61. in
tus, & devictus eſt. O anima Chriſtiana! ſi vis diabolum, mundum ac Cant.
carnem debellare; en præſentiſſimum remedium: *Tanta virtus Vulnerum*
*Chriſti eſt*, ait Mellifluus Bernhardus, *ut ad eorum memoriam totus peccati*
*fugetur exercitus.*

Et nunquid quinque panibus quinque hominum millia abundè ſaturati Joan. 6. 13.
ſunt? Ecce typum quinque SS. Vulnerum JESU crucifixi, quibus reficitur
orbis univerſus: *Plus*, inquit devotus ille Kempenſis, *invenies in vulneribus* Thom.
*JESU Chriſti, quàm in poſſeſſione totius mundi.* Kemp.Me-

Quinque talenta quondam Dominus ſervo ſuo tradidit,quibus alia quin- dit. 22. de
que lucraretur, intellige quinque ſenſus, quos per virtutem & conſideratio- Paſſ. Chri. cap. 6.
nem quinque SS. Vulnerum JESU non tam lucrari, quàm etiam à perditio- Matth. 25. 15.



Digitized by Google

B. Petrus Damian. cit ab. Hadr. Lyr. de Chr. pat. ne ſervare poſſumus: *Vulnera Redemptoris*, inquit B. Petrus Damianus, *quinque ſunt, quia nos eramus quicunque ſenſuum vulneribus ſauciati, & per has quinque plagas ſaluti ſumus perpetuæ reſtituti.*

Joan. 5. 2. Quis ignorat, quàm celebres olim fuerint quinque illi porticus piſcinæ probaticæ, in quibus ſemper magna languentium multitudo ob ſpem corporeæ ſalutis morari conſueverat? En habes hìc quinque porticus in Sacratiſſimis quinque Redemptoris noſtri Vulneribus, in quibus animæ languentes ſecurè commorantur, & ſanantur: *Tutum refugium*, ait S. Auguſtinus, *mihi prabent Vulnera Salvatoris.* S. Auguſtin. oc. cit.

Matth. 25. 10. Prudentes illæ quinque Virgines quinque lampades ardentes adornârunt, quibus inſtructæ ad cœleſtes Agni nuptias admittebantur: *Et quæ parat erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* O Chriſtiani! ſi ad dapes cœleſtes & nuptias Divini Agni aſpiratis, maturè de quinque ardentibus lampadibus, hoc eſt, ardenti & conſtanti devotione erga quinque SS. Chriſti JESU *Vulnera* vobis providete: *Vulnera enim JESU Chriſti*, pergit idem S. Antiſtes Hipponenſis, *plena ſunt miſericordia, plena pietate, plena dulcedine & charitate.* Et quis unquam peccatorum in animo contrito & humiliato ad hæc ſanctiſſima & ſummè veneranda Chriſti JESU Vulnera venit, & repulſam ab eo paſſus eſt? *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris*, non enim ideò paſſus & vulneratus ſum, ut vos reprobarem, ſed ut ſalvarem æternùm. O anime mi! erige te in ſpem. S. Auguſt. in Man. c. 21.

6. Recordor hic illius Villici iniquitatis, qui apud herum ſuum diffamatus eſt, quaſi diſſipâſſet bona ipſius, unde meritò ad villicationis ſuæ reddendam rationem conſtrictus eſt: *Redde rationem*; qui, utpotè malè ſibi conſcius, & anxius quò tandem locorum ſe verteret, in varias opiniones abiit, & inter alia ita ſecum rationatus eſt: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem: Fodere non valeo, mendicare erubeſco,* &c. O pigerrime homuncio! ad quid querelas moves, quòd *fodere* non valeas? Ecce oſtendo tibi jam foſſam humum, non opus eſt, ut ampliùs labores: *Foderunt manus meas & pedes meos*; imò & Sacratiſſimum ac Diviniſſimum Cor JESU, Salvatoris & Fidejuſſoris tui crudeli lanceæ aratro transfoſſum: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit*; intra in animo contrito & humiliato in hanc foſſam humum, & theſaurum reperies, quo omnibus tuis debitis abundè poteris ſatisfacere: Subintrat hìc S. Bernhardus: *Si enim ne hoc quidem poſſibile ſit, huic ſanè proponet JESUM & hunc crucifixum, ut & ipſe abſque ſuo labore habitet in foraminibus petra, in quibus non laboravit. Nec verendum, quod patiatur repulſam, qui & vocatur, ut intret: Ingredere, inquit, in petram, abſcondère in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria majeſtatis ejus. Infirma adhuc & inerti animæ, quæ juxta quod in Evangelio quidam de ſemetipſo confitetur: Fodere non valet, mendicare erubeſcit; foſſa oſtenditur humus, ubi lateat, donec* Luc. 16. 3. Pſalm. 21. 17. S. Bernhard. ſerm. 62. in Cant.

com-

*convaleſcat, & proficiat, ut poſſit & ipſa per ſe ſibi cavare foramina in petra, per qua intret ad interiora Verbi, animi utique vigore & puritate.* Hucusque Mellifluus. Finiamus Conſiderationem noſtram.

7. Ad Sereniſſimam Venetorum Rempublicam aliquando Legatus à Catholico Rege miſſus eſt, cui inter alios exhibitos honores Veneti theſaurum ſuum oſtentabant, atque inter alia pretioſa etiam plures ac permagnas ciſtas innumeris aureis, ſeu ut vocant zigginis repletas; qui theſaurus à Venetis prorsùs incomparabilis pretii cenſebatur; quòd cernens Legatus Hiſpanus, ſubridens rogavit, an pretioſæ cujusmodì Venetorum ciſtæ etiam fundum haberent? Reſpondentibus Venetis; quòd ſic; reponit Legatus; Sed Rex meus theſaurum ſine numero, ſine fundo poſſidet; quibus verbis ad auri argentique fodinas in Regno Peruſiano, America & Indiis non inconcinnè alluſit. Fortunat. Troyer de Ss. Euchar. diſc. 32.

Anima Chriſtiana! vis ſimilem theſaurum ſine numero, ſine fundo? *Accede* cum doloroſiſſima Matre *ad Cor altum* crucifixi JESU, & reperies. Mercator ille Evangelicus omnia ſua expendit, ut agrum illum, in quo theſaurum abſconditum invenit, ſibi compararet. Matth. 13. 44. Et quid dico, anima mea? En habes in SS. Chriſti Vulneribus theſaurum abſconditum, omnibus mundi divitiis & gazis præſtantiorem: S. Bernhar. cit. à Lyr. *Bonus theſaurus*, inquit Mellifluus, *qui foſſo agro Corporis Chriſti invenitur?* ad quid ergo moraris? Cur te non applicas ad effodiendum hunc theſaurum? noli dicere cum Villico iniquo: *Fodere non valeo*, hoc enim verbum inertis & perditi hominis eſt: Vade, & dic culpam tuam, &c.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO XLIX.

## B. Virgo & Mater Doloroſa Filium de cruce depoſitum gremio excipit, & amaris deplorat lacrymis.




Et aſpicient ad me, quem confixerunt, & plangent cum planctu, quaſi ſuper Unigenitum.
*Zach.* 12. 10.

1. NOn aberrabo à veritatis ſcopo, ſi SS. COR dolentiſſimæ Virginis ac Deiparentis MARIÆ, mirâ charitatis flammâ erga Filium patientem & genus humanum ſuccenſum, cuidam furno Chymico ſeu Camparo comparavero, ex cujus ſyphunculis vi ignis, intus agentis, pretioſæ, ac copioſæ diſtillantur lcrymæ, cui furno recte pro Lemmate inſcribes; *Ex intimo cordis ardore*; vel ſi mavis:

Calor elicit imbres.

En

En perelegans Symbolum : *Hic ignis Divini amoris* , ait S. Petrus Da- *Petr. Dami.*
mianus , *inquam vertitur, quia ex igne Divini amoris lacrymarum compunctio gene-* *Opuſc. 02.*
*ratur.* O pretioſæ lacrymæ hujus pretioſiſſimæ virginis , quos amor in *cap. 13.*
Filium expreſſit : *Ex oculis meis* , inquit ipſa ad S. Birgittam, *erumpebant la-* *Lib. 1. Rev.*
*crymæ , ſicut ſanguis de venis* ; & Theophilus Hiſtoricus : *Planxerat* , ait , *tan-* *cap. 10.*
*tùm MARIA Virgo affligens ſe , quod oculi ipſius rubebant ſanguine , & palpebræ* *Theophil.*
*ejus tumebant , quia jam corroſæ erant genæ illius roſeæ , etiam lacrymæ ſanguineæ* *Hiſt. de*
*de ejus oculis emanârunt propter fletum tam amarum* , &c. O lugubre ſpectacu- *B. V.*
lum , videre ex una parte Filium DEI & mundi Salvatorem mortuum ,
ac vulneribus laceratum , & ex altera doloroſiſſimam Matrem & mun-
di Dominam doloris gladio transfixam , atque irremediabilibus lacry-
mis miſerrimam Unigeniti ſui mortem & peccata noſtra deplorantem !
heu quod tam crudele cor , tam ſævum ac ferreum pectus , quod per mor-
tem Salvatoris ſui non ſcindatur , nec per Divinum ejus cruorem diſſol-
vatur , aut per ſanguineas ejus SS. Matris lacrymas non emolliatur? Ada-
mas licet duriſſimus, ſanguine tamen agni vel hædi aſperſus , in partes
ſcindi, ac rumpi poteſt, ita S. Iſidorus : *Adamantem lapidem* , inquit, *quem* *S. Iſid. l. 12.*
*nec ignis , nec ferri domare valet materia , ſolus cruor diſſolvit* ; & tu , ô pecca- *cap. 1.*
tor , cor tuum ponas ipſo adamante durius ? Petra à Moyſe quondam per *S. Auguſtin.*
modum crucis percuſſa ( *gemina percuſſio* , ait S. Auguſtinus , *duo ligna crucis* *Tract. 16.*
*ſignificat* ) mox in largiſſimas lacrymas , imò in flumina effuſa eſt; *Percuſſit* *in Joan.*
*petram , & fluxerunt aquæ* ; & tu, peccator inveterate & refractarie , ipſis pe- *Pſalm. 77. 20.*
tris & ſaxis durior exiſtas ? Si quidem tibi non videtur dignus benigniſſimus
JESUS pro te crucifixus , & mortuus, ut illi ex animo condoleas , aut af-
flictiſſima Mater ejus , ut illi compatiaris , quomodo ſaltem ob innumera
tua delicta nôn doles? Quibus Filium DEI interemiſti , & Matrem ejus to-
ties contriſtaſti ?

2. De Sunamitide, mœſtiſſima illa Matre , recenſent Sacræ Paginæ ,
quòd unicum ac dilectiſſimum filium ſuum morientem in ſinu ſuo ſuper ge-
nua collocaverit , ejusque miſerandam ſortem & mortem amaris deplora-
verit lacrymis : *Poſuit eum illa ſuper genua ſua uſque ad meridiem , & mor-* *4. Reg. 4. 20.*
*tuus eſt.*

Ita quondam Agar filium ſuum Iſmaëlem præ nimia ſiti in deſerto con-
tabeſcentem pari cordis dolore deflevit : *Et ſedens contra levavit vocem ſuam* , *Gen. 21. 16.*
*& flevit.*

Ita Reſpha aſpero cilicio induta , cubansque in illo , diu noctuque fi-
liorum ſuorum à Gabaonitis crucifixorum indignam mortem aſſiduis lacry-
mis deplanxit : *Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium , ſubſtravit ſibi ſupra petram*
*ab initio meſſis , donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo* , &c. *2. Reg. 21. 10*



Digitized by Google

Ita Anna Tobiam filium irremediabilibus deplorabat lacrymis, ut præ gemitu, animique mœrore penè confici videretur: *Flebat igitur Mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu fili mi; ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ.*

Tob. 10. 4.

Ita Eva cunctorum viventium Mater, ubi dilectum Filium ſuum Abelem à Caino, perfidiſſimo frate occiſum, ſanguineque aſperſum in agro invenit, mœſtiſſimis lacrymis eum deplanxit.

Ex Tradit. Hebræor. ſupra Geneſ. 4.

Ita denique illa Mulier in judicio Salomonis, cùm nunc vivus infans, & verus ac genuinus filius ejus, gladio ſatellitis ex juſſu Regis eſſet diſſecandus, altum ingemuit, & miſerandam nati ſortem deflevit: *Commota ſunt quippe omnia viſcera ejus ſuper filio ſuo.*

3. Reg. 3. 26.

Umbras hactenus audiſti, anime mi! agedum aſcendamus ad montem myrrhæ & ad collem thuris, atque ibidem afflictiſſimam Deiparentem ad crucis radices ſedentem, & dulciſſimum Filium ſuum mortuum & occiſum in gremio tenentem conſideremus; ô cruentum, ô lamentabile ſpectaculum! quis unquam audivit tale, aut huic vidit ſimile!

Metaphraſt. 7. April.

De B. Theoclia recenſet Metaphraſtes, quòd, cùm S. Calliopum Martyrem ac Filium ſuum ſub Maximo Præfecto, verſo in terram capite, pro Chriſti fide in duriſſima cruce ferreis clavis affixum conſpicata eſt, & exinde mortuum in ſinu ſuo materno excepit, præ vehementia compaſſionis & amoris materni inter ipſos amplexus animam ſuam expirârit.

Et quid dico, anima Chriſtiana? An non millies mortua fuiſſet hæc doloroſiſſima Mater JESU, ac tunc præſertim, ubi amantiſſimum & unicum Filium toto corpore plagatum, cruentatum & exanimem in materno ſinu ſub cruce recepit? *Ibi*, inquit S. Germanus, *poſt uberrimum lacrymarum effuſum fluvium tandem ſanguineas etiam lacrymas fudit.* Audi & doctiſſimum Ludolphum Carthuſianum, qui ſic eandem doloroſiſſimam Matrem, cùm Filium occiſum in ſinu teneret, plangentem introducit: *Nihil dulcius mihi, quàm tecum mori, & nihil amarius, quàm vivere poſt mortem tuam, JESU Fili mi: Tu mihi Pater, tu mihi Filius, tu mihi omnia eras, nunc orbor Patre, viduor Sponſo, deſolor prole, omnia perdo. O Fili mi! quid ultrà faciam?*

S. German. apud Mallon. f. 152. Ludolph. Carthuſ. in vita Chriſt.

O Chriſtiane, ſi cor tuum non moveat indigna hæc & innocentiſſima mors Redemptoris tui; ſi te non flectant ſanguineæ Matris ejus lacrymæ, credo, & firmiter mihi perſuadeo, quòd actum ſit de te & de ſalute tua. Velum templi à ſummo uſque deorſum in morte Chriſti ſciſſum eſt; petræ duriſſimæ diſruptæ ſunt, terra contremuit ab imis fundamentis concuſſa, monumenta aperta ſunt, &c. Et tu, Chriſtiane, ſi tamen hoc nomine dignus es, ſtas immotus? Non doles de peccatis? Non compateris Chriſto crucifixo

&

Digitized by Google

& deſolatiſſimæ Matri ejus? O rupes! ô cautes! fluite lacrymæ, ah fluite! *quia non eſt, qui conſoletur eam ex omnibus charis ejus.* Threnor. 1. 12.

9. De Rege Ache commemorat Plutarchus, quòd vir mitiſſimus, juxta ac juſtiſſimus & ſubditorum ſaluti ſtudioſiſſimus extiterit, & quia pravos illorum mores & enormia vitia diutiùs ferre non poterat, omnem laborem & operam impendit, ut eorum rempublicam in meliorem ſtatum redigeret, atque ad virtutem ſequendam animaret. Verùm improbi & ingrati cives, cum optimum Regis genium ferre haud poſſent, omniaque in pravam interpretarentur partem, tandem conſpiratione civili factâ, in ipſum armatâ irruêre manu, ac truculentum in modum pluribus inflictis vulneribus innocentiſſimum Principem interemerunt. Audit hoc fortè mœſtiſſima Regis Mater, quæ ad cadaver filii in via publica proſtratum, ſanguineque conſperſum accelerans, illud inter brachia ſua recepit, gremio impoſitum piis lacrymis deploravit, ſæpiùs ſublevatis in cœlum oculis flebiliter exclamans; *Heu me Fili mi! nimia bonitas tua, nimia manſuetudo, & humanitas te ſimul & nos perdidit!* Plutarch. & ex eo Fineti in Refleſſi di Spirito ſupra P. interno. Martyrio, di M.V.

O anima Chriſtiana, quid dico? Ecce cadaver non alicujus Regis Achis, nec cujusdam innocentis Abelis aut Amaſæ, jacet in publica via dilaceratum, conſpurcatum, cruore conſperſum: *Amaſa conſperſus ſanguine jacebat in media via;* ſed ipſius Filii DEI, ſummi Regis, de cruce depoſitum, & exanime corpus in gremio Virgineæ & triſtiſſimæ Matris excipitur; ita Adrichomius: *Et cruce depoſitus gremio materno excipitur; etiamnum is locus oſtenditur,* &c. Heu quis nunc explicet hujus fidiſſimæ Matris intenſiſſimum CORDIS dolorem, cùm omnia dilectiſſimi ſui Nati vulnera exploraret, ſpineam coronam è vertice cruentatis etiam manibus enodaret, ac mille pientiſſimis oſculis & lacrymis cruento illi cadaveri parentaret? Ah quoties ſanguinolentis & in cœlum ſublevatis oculis, illud cum Matre Achis ingeminare viſa, & audita eſt. *Heu me! Fili mi, nimia bonitas tua, nimia manſuetudo & humanitas te ſimul & me perdidit!* ô gens ingrata! ô peccatores verè miſeri! quid mali vobis fecit dilectus meus? An quia ob veſtram ſalutem in mundum venit, ut vos à diaboli jugo & interitu liberaret? An quia cœcis viſum, claudis greſſum, mutis loquelam, ſurdis auditum reſtituit? An quia ægros ſanavit? Leproſos mundavit? Obſeſſos à dæmonio liberavit? An quia mortuos reſuſcitavit ad vitam, & pertranſiens in terra omnibus benefecit? O miſeri, ô ingrati mortales! quid ultrà vobis potuit facere, & non fecit? Hæccine veſtra retributio eſt, ut amantiſſimum Patrem & Benefactorem omnium maximum in infami ligno ſuſpenderetis, & millenis trucidaretis vulneribus? Iſtane gratitudo veſtra eſt, quam infinita ejus à vobis exigebant merita? O JESU! ô Fili Benoni, verè vir dolorum, 2. Reg. 20. 12. Adrichom. in deſcript. Hieruſ. num. 255.

rum,

rum, quis mihi det, ut tecum moriar? O Chriſtiani omnes & ſinguli! auditis Lamenta Matris veſtræ? Ah quomodo poſſibile, quin illi ex animo condoleatis? *Et tu*, ſunt verba S. Anſelmi, *ſine lacrymis amantiſſima Domina tua lacrymas videbis? Tu ſiccis manes oculis, & ejus animam pertranſivit gladius doloris?* Et tu etiam, mi Lector?

S. Anſelm. de Excell. Virg. c. 3.

4. De Uxore Phinees commemorat Regum Faſti, quòd, cùm audiſſet Arcam DEI eſſe deperditam, ſocerumque ac virum ſuum expiraſſe, præ dolore & angore vitam cum morte commutaverit: *In ipſo autem momento mortis ejus, dixerunt ei, quæ ſtabant circa: Ne timeas, quia Filium peperiſti; quæ non reſpondit eis, neque animadvertit, & vocavit Puerum Ichabod, dicens: Tranſlata eſt gloria de Iſraël, quia capta eſt Arca DEI.* O mœſtiſſima ac dolentiſſima Virgo, verè Mater amoris & doloris, dic, obſecro, quomodo tibi CORDI fuerit, cùm exanime & exſangue Corpus Unigeniti tui nunc de fatali crucis ligno depoſitum, & ſuper petram ab initio & exinde à Joſepho Arimathæo & Nicodemo in ſinu tuo collocatum excepiſti? Quis ambigat, quin pariter tunc cum moriente Uxore Phinees exclamaveris: *Tranſlata eſt gloria de Iſraël*, &c. & cùm Vate Threnologo: *Defecit gaudium cordis noſtri; Verſus eſt in luctum chorus noſter?*

1. Reg. 4. 20.

Threnor. 5. 15.

Itane *cecidit corona capitis noſtri?* Sic quondam lugebant deſolatæ Sionidæ, cùm Regem, regnum, civitatem, Templum, & omnia perdiderunt: Itane *cecidit corona capitis noſtri?* O pientiſſima & afflictiſſima Domina; verè Mater amoris & doloris, plùs amiſiſti, cum dulciſſimum Filium tuum JESUM per tam cruentam necem perdidiſti, heu Domina mea, quomodo *cecidit corona capitis tui?* Imò & noſtri?

Threnor. 5. 16.

5. De Ariga Regina Græciæ & fidiſſima Conjuge Regis Polynicis refert Beuterus, quòd cum ex nuntio intellexiſſet, Regem ac Conjugem ſuum in campeſtri pugna ab hoſte pluribus vulneribus pro ſalute patriæ trucidatum, ineffabili mentis dolore affecta, omniſque moræ impatiens de nocte intempeſta ad locum certaminis perrexerit, ubi tandem inter occiſa militum cadavera ope ardentis lucernæ amantiſſimum ſuum Polynicem invenit, ſed nudatum, lividum, vulneratum, & fœdè conſpurcatum; quid in hoc caſu luctuoſo Regina conſilii? Heu! dolor nimius, qui animum torquebat, & amor, qui ejus mentem poſſidebat, non ſinebant ampliùs, ut in plura lamenta & verba prorumperet, proinde irruens ſuper corpus Dilecti ſui, dum illud lacrymis rigat ardentiſſimis, & hiantia exoſculatur vulnera, ipſa animi deliquium paſſa, juxta cadaver mariti ſui expiravit, par amoris victima.

Beut. f. 77.

Non

Digitized by Google

Non Argiam Græciæ Reginam,ſed ipſam totius univerſi Dominam ac doloroſiſſimâ Deiparentem MARIAM hîc tibi in Golgothæo monte exhibeo,homo Chriſtiane; perpende,quæſo,heu nimis luctuoſum & omnibus retrò ſæculis inauditum ſpectaculum: Jacet nunc mortuus,qui erigebat vivos,& in ſinuMatris quieſcit; circumſtant fideles amici,plorant omnes,& lugent,univerſi,cùm ſauciũ,ac in cunctis membris laceratumCorpus JEſu contemplantur: Erant tunc oculi JEſu,ô lucida cœli ſidera, pleni ſanguine & emortui; capilli evulſi,& velut reſtis ex concreto cruore contorti; os frigidũ tanquã nix,naſus confractus; facies, *in quam deſiderant Angeli proſpicere*,livida,ſputis fœdata,& colaphis percuſſa; *ô ſpecioſe præ filiis hominum*, quomodo converſus es in amaritudinem SS.Matri tuæ,cùm manus tuas tornatiles,plenas hiacinthis,intueretur trabalibus clavis perforatas, pedes hianti vulnere transverberatos,latus immitti ferro reſeratum,& Sacratiſſimum COR tuũ præ vehementia dolorum & militis lanceâ diſruptum? O quàm lugubre, quàm triſte hoc erat *ſpectaculum DEO, & Angelis & hominibus*, cernere talem ac tantum Filium in proprio ſanguine natantem,& talem ac tantam Matrem ob amoris & doloris magnitudinem penitus colliqueſcentem: O Numen imẽnſum! quomodo poſſibile fuit,quòd hæc doloroſiſſimaMater non pariter cum Argia Regina expirârit? Et certè millies mortua fuiſſet, ſi eam Spiritûs Sancti gratia non peculiari modo in ſolatium primorum fidelium conſervâſſet: *Beata Virgo*,inquit Divus Anſelmus, *in paſſione Chriſti verè interiiſſet præ magnitudine doloris, niſi ab eo præſervata fuiſſet*: Et S.Bernhardus: *Nec lingua*, ait *poterit loqui,nec mens cogitare valebit,quanto dolore afficiebantur pia viſcera MARIÆ.* O deſolata Mater,& ego non lugeam tecum? Ah! ſi Dominus meus & SacratiſſimaMater ejus tàntis affecti ſunt cruciatibus,quomodo ego peccatorum miſerrimus ac coriphæus ſine doloribus,ſine cruciatibus, ſine adverſis me ſalvandum exiſtimo? O anime mi! reſolve te hoc temporis momento,impoſterum ad omnia,quæcunque poſſunt accidere adverſa,ob amorem DEI ac Hominis crucifixi & doloroſæ Matris ejus ſuſtinenda, digni enim ſunt: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, &c.*

1.Petr.1. 12. Pſal. 44. 3. 1.Cor. 4. 9. S. Anſelm. lib. de Excell. Virg. cap. 5. S. Bernhard. in Lament. B. V. Apoc. 4. 12.

*6.* Occurrit hîc mihi pro coronide,quod de Henrico Primo Rege Angliæ recenſet Andreas Cheſnæus; qui, cùm defunctus apertâ facie in publico feretro expoſitus lugubri cum ornatu & pompâ à regni Proceribus ad tumulum regium efferretur,ſubitò in vultu ſuo coram omnibus tunc præſentibus copioſo ſanguine ſudare cœpit; mirantur omnes,cauſamque requirunt hujus inſolitæ & cruentæ deſudationis,& ecce non aliam reperiunt, quàm quod huic Regi defuncto in platea occurrerit Richardus filius, Princeps perduellis,& patri in vita ſemper injurius,atque exoſus,ad cujus præſentiamRex mortuus ſine mora per mirabilem quandã antipathiam tam copioſum ſanguinem effudit.

Andreas Cheſnæus in Hiſtor. Angl. ſub an. 1190.



Digitized by Google

Age anime mi, accede & tu ad Regem gloriæ, imò ad amantiſſimum Patrem tuum, Chriſtum JESUM & hunc Crucifixum, nunc poſt exantlatã paſſionem ac necem in puriſſimo gremio Sacratiſſimæ Matris doloroſæ ultimò quieſcentem; accede, inquam, & antequam inferatur ſepulchro exanime corpus, tuis illud lacrymis lava, & unguento virtutum unge; noli metuere, ſi verè pœnitens & contritus es, ad tuum occurſum parem ſanguinis deſudationem, non enim vindictam hic pretioſus Redemptoris tui ſanguis, ſed miſericordiam clamat & ſalutem. Quid igitur moraris? Accede, & cum doloroſa Matre ejus Sacratiſſima illius Vulnera mille amoris oſculis excipe; ô quàm bonum, quàm ſecurum erit habitare in Vulneribus JESU Chriſti: *Memoriam,* ait Mellifluus, *abundantia ſuavitatis horum eructabo, quàm diu vixero: In æternum non obliviſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis vivificatus ſum.* Finio cum devotiſſimo Kempenſi: *Plùs,* inquit, *invenies in Vulneribus JESU Chriſti, quàm in poſſeſſione totius mundi.* O ſancta Mater, iſtud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo validè.

S. Bernhard. ſerm. de paſſ. D. N. J. C.

Th. Kemp. Med. 22. de Chriſt. Paſſ. cap. 6.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO L.

## Dolorôſa Mater curat, ut Filius mortuus, & de cruce depoſitus honeſtæ ſepulturæ mandetur.




**Et accepto corpore, Joſeph involvit illud in Sindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo novo.**
*Matth. 27. 59.*

1. NOn ſine peculiari cauſa ac myſterio olim pretioſiſſimus orbis Reparator Chriſtus ſeipſum grano frumenti aſſimilare dignatus eſt: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joann. 12. 24. Ita eſt, ô mi JEſu! *Granum frumenti* eras: Primò in SS. Conceptione tua, dum de cœlo delapſus in virgineo agro, cui benedixit Dominus, à Spiritu S. diſſeminatus & implantatus es. 2. *Granum frumenti* eras in admirabili Nativitate tua, dum non inter

urbis mœnia,ſed in campo ab intemerata Virgine in lucem prodire voluiſti, ventis,frigori,tempeſtatibus,aliiſque corporis incōmoditatibus jam tunc velut granum frumenti expoſitus. 3. *Granum frumenti* eras in Circumciſione tua, ſicut enim ejuſmodi granum intus ſolet eſſe candidum, foris flavum ac ſubrubrum, ita & tu, ô mi Redemptor! in tua cruenta Circumciſione factus es candidus & rubicundus, & Eccleſiæ tuæ ſanguinum ſponſus. 4. *Granum frumenti* eras in Præſentatione in Templo dum velut ſpica prima vireſcens, vel ut manipulus primus à pientiſſima Matre tua cœleſti Patri præſentatus es juxta illud: *Feretis manipulos ſpicarum, primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem, qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabile ſit pro vobis, &c.* 5. *Granum frumenti* eras in perſecutione Herodis & aliorum inimicorum tuorum. Quid enim aſpectu vilius grano frumenti? & tamen quid orbi utilius? vilis, inquam, & tu, ô mi Domine! videbaris mundo, imò *vermis & non homo*, cui tamen Angeli & univerſa Eccleſia accinere aſſolent: *Tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus Altiſſimus.* 6. *Granum frumenti* eras in ultima Cœna, ubi ſub ſpecie panis triticei te ipſum fidelibus tuis dediſti in cibum, & etiamnum hoc Euchariſtico pane laſſum confirmas cor hominis. 7. *Granum frumenti* denique eras in paſſione, flagellatione coronatione, crucifixione, morte & ſepultura, quia velut granum in area flagellis trituratus, ſpinis occatus, pedibus impiorum contritus, aratro crucis mortificatus,ac tandem in horto, velut in agro ſepultus es, ut ibi de morte, tanquam granum, reſurgens trigeſimum,ſexageſimum, imò & centeſimū fructum referres: *Seipſum*,inquit S. Auguſtinus, *JESUS granum frumenti dicebat: Ipſe erat granum mortificandum, & multiplicandum, mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum.* Proinde rectè Poëta de Chriſto mortuo,& in marmoreo munumento ſepulto cecinit:

Levit. 2. 10. Levitic. 23. 10. — Pſal. 21. 7. — S. Auguſt. in Jo. Tr. 51.

*Incidat hoc quamvis generoſum in marmora granum;*
*Latius ad germen gleba nec ulla dabit.*

In quem finem loco Emblematis noſtri manum quandam de cœli nubibus prominentem,& grana frumenti in agro diſſeminantem ſtatuimus; adjectâ & ſuperimpoſitâ epigraphâ:

## Ut ſurgat in ortum.

2. O pientiſſima Domina! ô Mater amoris & doloris! tranſiit pauliſper hyems heu nimiùm acerba, tranſiit & imber maximus ac ſanguineus, quo totus terrarum orbis à peccatis ablutus & mundatus eſt. Mortuus eſt Filius tuus in ligno,& SS. Cor ejus crudeli ferro tranſverberatum eſt; nunc apertæ ſunt cataractæ cœli,& conſummata ſunt omnia,quæ de illo dicta ſunt per

Digitized by Google

per Prophetas: Tempus modò eſt, ut hoc ſaluberrimum frumenti granum terræ mandetur, ac honeſto ſepeliatur monumento. Accidit hîc dolentiſſimæ Matri in monte Calvario, ut quondam S. Antonio M. in Thebaidis eremo. Invenit ille S. Pauli primi Eremitæ corpus exanime, genibus complicatis, erectâ cervice, extenſisque in altum manibus, & quia ſarculum, quo terram effoderet, ad manus non habens anxius hærebat, quomodo hunc ſanctiſſimum Senem ſepulchro mandaret; ecce ſubitò duo leones rapido curſu ex interiori Thebaidis eremo ad beati illius Senis corpus ferebantur, qui dolorem ac venerationem ſuam rugitu ac ploratu edito indicantes, certatim pedibus foveam in modum ſepulchri effoderunt, in quod exinde S. Antonius hymnos & Pſalmos ex Chriſtiana traditione decantans, S. Pauli exanime corpus, pallio ſuo involutum, intulit, tumulumque ex Chriſtiano more compoſuit. Hoc, inquam, & doloroſiſſimæ Matri poſt conſummatam Filii paſſionem evenit, cùm enim anxia & doloribus pene confecta ad veſperam uſque juxta crucem extincti ſui Nati conſiſteret, nec haberet, qui emortuum & excarnificatum Corpus JESU de ligno deponeret, illudque ſepulchro inferret, lacrymosè in rupe Golgothæa circumſpiciens, ecce ibi ſubitò duos generoſos vidit leones. Joſephum videlicet ab Arimathæa Nobilem Decurionem, qui (prout rectè obſervat S. Anſelmus) ut hanc afflictiſſimam ſolaretur Deiparam, audacter ad Pilatum introivit, & petiit Corpus JESU ſub nomine hujus doloroſæ Matris, dum inter cæteras rationes huic Romano Præſidi propoſuit innocentiſſimam Matrem ad crucis pedem præ dolore expiraturam, cui ſaltem hoc ſolatii concederet, ut corpus vulneratum & exſangue Unigeniti ſui, de fatali ligno depoſitum amplecti, deoſculari, lacrymis rigare, ac honeſto ſepulchro condere liceret: *Tunc Pilatus juſſit reddi corpus.*

Brev. Rom. 15. Jan.

Anſel. dial. de Paſſ. D.

Matth. 27. 58.

Hunc nobiliſſimum Decurionem ponè ſecutus eſt Nicodemus Princeps Judæorum, alter generoſus leo, occultus quidem antea Chriſti Diſcipulus, ſed nunc, depoſito omni metu, dolentiſſimæ Matri ſincera ſua & in charitate non fictâ offerens obſequia. Juvat hîc audire verba doloroſæ Matris: *Deinde*, ait ad S. Birgittam, *depoſitus eſt in cruce, quem ego recepi in genua mea quaſi leproſum, & totum lividum, nam oculi ejus erant mortui & ſanguine pleni. Os frigidum quaſi nix, barba quaſi reſtis, facies contracta; manus quoque ſic diriguerunt, quòd non poſſent deponi, niſi circa umbilicum. Sicut ſtetit in cruce, ſic habui eum in genu; quaſi hominem contractum in omnibus membris, &c.* Quàm gratum autem horum duorum verè illuſtrium virorum ac leonum afflictiſſimæ Virgini fuerit obſequium, rurſus eandem SS. Matrem noſtram audiamus: *Jam quaſi conſolata ſum, quòd corpus ejus de cruce depoſitum contingere potui, & in ſinum recipere, vulnera explorare, & tergere.* Jacob quondam, licet in nervo femoris læſus (ex quo vulnere haud dubiè ingentē ſenſerat dolorem) hunc

Revel. S. Birgitt. l. 1. cap. 19.

Lib. 4. Revel. cap. 7. & lib. 7. cap. 25.

tamen ſuum fortiſſimum luctatorem dimittere non voluit, non ignorans, quòd Deum inter brachia ſtringeret, unde flens & cum lacrymis dicebat: Geneſ.32.26. *Non dimittam te.* Et ego Mater, vel potiùs Matris orbe infelix ſimulacrum dimittam te, Fili mi? Te Amorem meum crucifixum? Te Deum & omne Bonum meũ? ſtringã te brachiis meis, & fortiùs tenebo: Cant. 3. 4. *Tenui eum, nec dimittam.*

O anime mi! vide hîc, & conſidera amorem & gemitus amantiſſimæ Matris tuæ; dolebat hæc quidem miſerandam Filii ſui ſortem, ſed magìs doluit noſtram conditionem, proinde amariſſimis lacrymis peccata noſtra deflevit, quippe noverat, ea omnium iſtarum calamitatum ac cruciatuum, quos unà cum Filio per omnem vitæ curſum perpeſſa eſt, fuiſſe cauſam primariam. O lacrymæ meæ! ubi eſtis? quare non cum lacrymante Matre JESU expeditæ curritis? Si lacrymæ, teſte S. Ambroſio, lavant delicta, ignemque extinguunt geheñalem, ô lacrymæ meæ, ubi eſtis? S. Bernhard. in Lament. B. V. *Tam piè plorabat B. Virgo*, ſubintrat hîc Mellifluus, *tam amarè dolebat, quòd ſui ploratûs pietate multos etiam invitos ad lacrymas provocabat; dolor ejus cunctos intuentes dolore compellebat, vixque lacrymas continere valebant, qui eam plorantem conſpiciebant.* Et ego peccatorum coriphæus, mille infernis digniſſimus, adhuc perſiſto im̃otu? O Domina mea! lugeam ac plangam & ego tecum, donec in hoc mundo vixero: Jerem. 9.1. *O quis dabit oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectum filiæ populi mei?*

*Utar ego lacrymis, ſed non muliebriter utar;*
*Eſt quoque, qui deceat maſcula corda, dolor,*

2. Olim præcepit DEUS, ut homo leproſus, ſi ab hac fœda corporis infirmitate mundari diſcuperet, per Sacerdotum manus ſepties victimarum ſanguine aſpergeretur: Levit. 14.7. *Quo aſperges illum, qui mundandus eſt, ſepties ut jure purgetur.* Idem benigniſſimus DEUS ordinavit, ut in ejuſmodi victimis ac holocauſtis pacificis, præſertim dum novum fœdus Deum inter & populum erat ſanciendum, ſanguis victimarum à Moyſe in populum ſpargeretur: Exod. 24.8. *Ille verò ſumptum ſanguinem reſperſit in populum, & ait: Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum*, reliquum autem victimarum ſanguinem voluit ſuper altare profundi: Hebr. 9. 22. *Partem autem reſiduam fudit ſuper altare.* Adverte, prudens Lector! unica cruoris ſtilla ſufficiebat unicuique de populo ad expiationem, quia olim *omnia penè in ſanguine ſecundùm legem mundabantur, &, ſine ſanguinis effuſione non fiebat remiſſio*; ſed tandem omnis reliquus ſanguis ſuper altare holocauſti effuſus eſt: *Partem autem reſiduam fudit ſuper altare.* Magnum hîc latet myſterium, attentum te eſſe cupio.

Dic, obſecro, an non univerſum genus humanum peccati leprâ erat infectum? ad hanc ergo expiandam à Patre in victimam deſtinatus eſt ipſe innocentiſſimus Filius & agnus im̃aculatus, cujus ſacroſancto ſanguine non unà duntaxat vice, ſed ſepties aſperſi, & ſic livore ejus à peccati lepra ſanati ſumus:

Digitized by Google

ſumus: *Quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties, ut jure purgetur*; ſeptem autem ejuſmodi aſperſiones fuerunt ſeptem Diviniſſimi Sanguinis effuſiones, 1. In circumciſione. 2. In agonia in horto. 3. In flagellatione. 4. In coronatione. 5. In veſtium detractione. 6. In crucifixione. Et 7. in SS. Lateris & Cordis apertione. O quàm copioſa apud Dominum eſt redemptio! populo illi Iſraëlitico ad expiationem, novumque pactum cum DEO formandum unica ſuffecit ſanguinis ſtilla; & pientiſſimus JESUS omnem pro nobis exponit: ô extaſin amoris! Levit. 14. 7.

Verùm obſerva ulteriùs. Moyſes in ejuſmodi luſtrationibus aquam ſanguini adhibebat, ne ſanguis, prout fieri aſſolet, mox in unam maſſam concreſceret, ſed liquidior ac ſparſilis, adeoque aſperſioni in tantum, ac tam numeroſum populum idoneus permaneret. En rurſus perelegantem typum ſanguinis, & aquæ ex latere & Corde Chriſti promanantium, atque à peccati lepra nos miſericorditer abluentium: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Cornel. hic. Apoc. 1. 5.

*Partem autem reſiduam fudit ſuper altare,* Supra quod pulcherrimè doctiſſimus Fineti: Maria Virgo, inquit, erat primum altare, ſupra quod juxta D. Paulum à Chriſto primum Sacrificium DEO T.O.M. litatum eſt, in hujus enim virgineo pectore ac ſinu requieſcens tenellus Infans JEſus in Sacrificiũ matutinum ſe pro mundi ſalute præſentavit: *Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti; Corpus autem aptâſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio, &c.* Tandem verò conſumata paſſione in eodem Virginis & Matris pectore ac ſinu in Sacrificium veſpertinum in Calvariæ monte ſe obtulit, ubi omnis reliquus ſanguis ſuper hoc myſticum altare, hoc eſt, ſuper Cor doloroſæ Matris effuſus eſt: *Partem autem reſiduam fudit ſuper altare.* Audi hìc devotiſſimum Taulerum, ita hanc mœſtiſſimam Deiparam alloquentem: *Cor tuum,* inquit, ô Virgo, non ſemel, ſed *plùs centies ſciſſum eſt; neque aliquid ſub tuo aſpectu Filio moleſtia illatum eſt, quod non ſecuerit Cor tuum*; ac tunc præſertim, quando depoſitum de cruce dilectiſſimũ Filium materno gremio excepiſti, ejusque plagas omnes propiùs es intuita; ibi, ibi factum eſt SS. Cor tuum altare ſuaviſſimi thymiamatis uſque ad Cor Patris aſcendentis. Fineti in Reflex. Spirit. de intern o B.V. martyrio. Hebr. 10. 5. Tauler. cap. 44.

4. De Luciano Antiocheno Presbytero & Martyre glorioſiſſimo refert Juſtinus Miechovienſis, quòd ultimã Miſſam ſuper altare Cordis ſui celebrarit. Erat is cum aliis Chriſtianis in teterrimo carcere incluſus, & nunc ad mortem deſtinatus, ut ſequenti luce pro Chriſti fide cum aliis captivis Diſcipulis trucidaretur. Miſſam adhuc dicere placuit, ut ſe, alioſque martyrii Candidatos Sacratiſſimo Viatico reficeret, & ad cruentam pugnam præmuniret; verùm cùm in illo ſquallido carcere non haberent altare: *Altare*, inquiebat, *erit nobis hoc pectus meum*, in qua viva ara Sacrificium DEO fecit, ſeipſum exinde in hoſtiam & victimam cruentam pro fide Orthodoxa offerens. Juſtin. Miechov. O.P. in Lit. B.V. Tit Reginæ Martyr.

O

O doloroſiſſima Mater! quid dico? an non SS. Cor tuum, dum Filium de cruce depoſitum gremio tuo geſtabas, ſimile vivum altare fuit, in quo denuò æterno Patri eundem hunc dilectiſſimum Filium in Sacrificium veſpertinum obtuliſti? Ita Arnoldus Carnotenſis: *Ipſa*, ait, *ſeipſam mactans in altari, ligna & flammas congerebat. Altare erat in corpore Filii.* O cruentum & lacrymabile Sacrificium! ô nimis lugubre, & omnium lacrymis digniſſimum ſpectaculum! videre DEI Filium, innumeris plagis ſaucium, occiſum, excarnificatum, & in pectore ac ſinu afflictiſſimæ Matris, antequam inferatur tumulo, quieſcentem! O mortales omnes! venite, & videte, an ſit dolor ſicut dolor doloroſæ Matris? Audiamus iterum Poëtam:

Arnoldus Carnot. Tr. de 7. Verb. Dom.

*Te ne ego (nec movear) videam, mæſtiſſima Matrum,*
*Complexam Nati membra cruenta tui?*
*Eque tuis oculis ſuper illius ora cadentes*
*Aſpiciam lacrymas, contineamque meas?*
*Ecce ſuo tecum rerum natura parenti*
*Ingemit, & quo tu funere laſa dolet.*
*Unus ego immotus funus tam flebile poſſim*
*Et tua non madidis ora videre genis?*
*O mihi contingat ſimili tabeſcere luctu!*
*Felix, ſi lethi cauſa ſit iſta mei.*

5. Sed jam tempus eſt, ut ſacrum pignus & exſangue Corpus JESU ſepulchro mandetur, cùm enim adveſperaſceret, & inclinata eſſet dies, duo illi Religioſiſſimi viri Joſephus ab Arimathæa & Nicodemus timentes, ne legem ob primas magni imminentis Sabbathi veſperas transgrederentur, impenſiùs doloroſiſſimā Virginem rogârunt, quatenus ſibi ac præſentibus amicis dilectiſſimum Filium ſuum ad inungendum, & ſepeliendum dimitteret. Hîc novus luctus, novus ploratus; non abnuit tamen dolentiſſima Mater, quia ſemper voluntati Divinæ erat conjunctiſſima; in quem finem ipſa diadema regium cruentis ſpinis horridum propriis & cruentatis manibus revulſit, ubi adimpletum illud Prophetæ vaticinium: *Et ſanguis ſanguinem tetigit.* Interim dum exanime Corpus JESU ſuper unam petram ſubalbam collocatur, atque pro more gentis pretioſis ad ſepulturam unguentis præparatur, ipſa mœſtiſſima Virgo, teſte Metaphraſte & Nebridio, *collegit ſpinas & pulvurem ſanguine & aquâ de latere fluente conſperſum, & ſervavit.* Quod pariter confirmat doctiſſimus Quareſmius: *Sacerrima Virgo*, inquit, *magna cum reverentia collegit, quantum licuit ſanguinem*; imò & ferreos clavos, quibus ſacrum Chriſti Corpus in cruce fixum erat (eodem atteſtante Quareſmio, ac cumprimis S. Bonaventura) in depoſitione Filii de cruce in ſinu collegit, ac impoſterum pro ſuo ſolatio ſecum retinuit, ut ſic dilectiſſimi Filii ſui mortem non tam præteritam meminiſſe, quàm quotidie præſentem poſſet intueri.

Oſ. 4. 2. Metaphraſt. die 15. Auguſt. apud Baron. num. 132. Nebrid. cap. 21. Quareſm. Tom 2. c. 11. ſect. 1. S. Bonavent. in Medit. vit. Chriſt. cap. 81. Revel. S. Birg. lib. 1. cap. 10.

Ut verò ſatis inunctus erat Jeſus, accepit eum SS. Mater, & Corpus ejus mundiſſimâ involvit ſindone. O anime mi! ſi vidiſſes hîc luctuoſam illā proceſſionem


ſionem, quà ad tumulum, vel in ſcala, vel in feretro, vel potiùs propriis amicorum manibus ferebatur ille, ſub quo curvantur, qui portant orbem, & qui tribus digitis appendit molem terræ? Quid penſâſſes? Quid dixiſſes? Interim levatur funus de terra, & fit inter hos primos Chriſti fideles amabilis contentio, non quis eorum videretur eſſe major, ſed quis prior hoc Diviniſſimum funus poſſet attingere, & propriis ad deſtinatum monumentũ manibus portare, hinc ſæpiùs mutabant vices, ut quilibet exinde gloriari poſſet, à ſe in ſepulchrum Servatorem mundi eſſe illatum; omnes hìc euntes ibant, & flebant, ſuper omnes autem Mater miſerabilis, quia præ omnibus amabat. Ah quoties in cœlum ingeminabat: *Fili mi JESU! JESU, Fili mi! quis mihi det, ut ego moriar pro te*, & unà tecum hodie in horto conſepeliar? 2. Reg. 18. 33.

6. Vidua illa in Naim ponè catalectum filii ſui, præmaturâ morte defuncti, ſequens, in amaritudine animæ ſuæ hoc ſolatii à Chriſto audire meruit: *Noli flere.* Verumenimverò nullum hìc aderat mœrentiſſimæ Matri Unigenitum ſuum ad ſepulchrum comitanti ſolatium; & ſi ipſi Angeli pacis, qui tanquam atomi hoc lacrymabile Creatoris ſui funus ad ſepulturam comitabantur, amariſſimè flebant, quomodo ergo ſolari poterant illud dolentiſſimum Cor Virginis, quod erat congregatio omnium, dolorum quemadmodũ mare omnium eſt aquarum? O glorioſiſſime cœli Princeps, ſalutis humanæ Nuncie, ac paranymphe Spiritûs Sancti! te inclamo, ô S. Gabriel! an non SS. Virginem olim in ædibus Nazarethanis ſalutâſti: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus*? Quomodo gratiâ plena, quæ nunc doloribus ſuperabundat? Quomodo Dominus tecum, ſi eam tot apprehenderunt mala? quomodo benedicta in mulieribus, cujus Filius maledictum in ligno maledicto factus eſt? Sed altum hìc erat in cælo ſilentium. Tu hæc inter, anima Chriſtiana, adverte, alia divina, alia humana eſſe judicia, ſic nimirum placuit Divinæ Providentiæ ac Bonitati, ut Mater Chriſti fieret noviſſima fœminarũ, ut poſtmodùm jure merito exaltari poſſet ſuper omnes choros Angelorum. Diſce hìc humiliari, terra & cinis! Diſce pati, & lubenti animo cum doloroſiſſima Matre omnia quæcunque ſuſtinere adverſa, quia his omnibus dignum eſt cælum calamitatibus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Luc. 7. 13. Luc. 1. 28. Rom. 8. 18.

Ad ſepulchrum in petra viva exciſum ubi tandem perventum eſt: *Deinde*, ſunt verba doloroſæ Matris. depoſuerunt eum in ſepulchro. O quàm libenter tunc poſita fuiſſem viva cum Filio meo, ſi fuiſſet voluntas ejus. Et in alio loco: Verè dicere poſſum; quòd ſepulto Filio meo quaſi duo Corda in uno ſepulchro fuerint: nunquid non dicitur, ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum? Sic in ſepulchro Filii mei ſemper cogitatio & cor meum verſabatur. Tandem peractis omnibus, mœſtiſſima Mater ad circumſtantes amicos converſa eis peramanter benedixit, humileſque de tanto exhibito obſequio grates perſolvit; credo, hiſce eam uſam verbis, quibus olim David viros Jabes ob ſepulturam Regi Sauli datam commendavit: Benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro, & ſepeliſtis eum, & nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem, ſed & ego reddam gratiam, &c. Audis hoc, mi Lector! ama doloroſam Matrem, & illa reddet gratiam. S. Birgitt. lib. 1. c. 10. Lib. 2. c. 21. 2. Reg. 2. 5.

# CONSIDERATIO LI.

## Doloroſæ Matri in Paſſione Filii comes indivulſa Maria Magdalena, crucifixum Amorem ſuum deplorans.




**Erat autem ibidem Maria Magdalena & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.** *Matth. 27. 61.*

Lib. 3. Eſdræ cap. 3. v. 10.

I. IAm olim in aula Darii Perſarum Regis pulcherrimum hoc problema diſcuſſum, atque ventilatum eſt, quidnam in orbe terrarum fortiſſimum? Num vinum, Rex, *Mulier*, an veritas? Forte vinum: Noëmum conſule poſt diluvium in vinea ſua inebriatum, Loth vino nimio madentem, Holofernem vino ſepultum, alioſque innumeros, de quibus Eccleſiaſticus: *Propter crapulam multi obierunt, &c.* Fortis Rex, ad cujus nutum & imperium, regnum pendet univerſum; ita de Alexandro Machabæorum Liber primus: *Pertranſiit uſque ad fines terræ; & accepit ſpolia multitudinis gentium*

Eccl. 37. 34. 1. Mach. 1. 3.

*tium; & ſiluit terra à conſpectu ejus.* Fortis Mulier; Samſonem interroga mortalium omnium facilè robuſtiſſimum, Davidem Regem ſanctiſſimũ, Salomonem ſapientiſſimum, à mulieribus victos, fractos, deluſos. Fortis veritas, & ſi Zorobabelem conſulimus, *Super omnia vincit, ac prævalet*, &c.

Quidquid ſit de hoc problemate, fortior & major horum omnium eſt charitas, quæ vincit, ac prævalet, hæc enim omnipotentem DEUM ligavit, ut de cœlo in terram deſcenderet, homo fieret, tanta ac tam indigna pro mortalium ſalute pateretur, ac denique infami crucis patibulo amoris victima occumberet: *Quid amore*, ſubintrat hîc Mellifluus, *Violentius? Triumphat de DEO amor.* Unde in Canticis dicitur: *Fortis ut mors dilectio.* Hinc tot Sancti ardentiſſimis optârunt votis quamcunque pro Chriſto ſubire necem, quorum charitas omnino erat inſaturabilis, nam quò magis Crucifixum ſuum diligebant amorem, eò ampliùs diligere diſcupiebant, *modus enim diligendi DEUM, eſt amare ſine modo*, ita dictus Mellifluus. S. Bernhard ſerm. de Paſſ. Cant. 8. 6. S. Bernhard lib. 4. Paſc. cap. 5.

Tali in DEUM & Hominem Chriſtum ardebat amore felix illa peccatrix, omniumque pœnitentium fidiſſimum ſpeculum Maria Magdalena, quam tot profuſi lacrymarum rivuli, quibus offenſam ſummi Boni, atque demerita ſua à die converſionis ſuæ uſque ad ſupremum vitæ ſuæ diem deplanxerat, ſatis luculenter demonſtrant. Et ſi olim Judæi ex viſis Chriſti lacrymis, quibus Lazarum amicum ſuum deplorabat, hanc arguebant conſequentiam: *Ecce quomodo amabat eum* rectè & nos ex lacrymis pœnitentis Magdalenæ concludimus: *Ecce quomodo amabat JESUM*, quem per omnem paſſionem cum doloroſiſſima Matre tanquam comes indivulſa nunquam deſeruit, imò & de novo, ſicut priùs in convivio, ejus ſacratos, diriſſimisque clavis perforatos pedes lacrymis ſuis rigavit, abluit, deterſit: *Oculis inundantibus*, ait B. Damianus, *veſtigia Salvatoris infudit*, &c. Proinde huic Divæ non incongruè pro Symbolo telam candidam in aprico campo radiis ſolaribus expoſitam, & aquarum guttulis deſuper rigatam ſtatuimus, cum Lemmate: Joan. 11. 36. Luc. 7. 38.

## A lacrymis candor.

*O bonæ lacrymæ*, exclamat S. Ambroſius, *in quibus eſt redemptio peccatorum! veniam non poſtulant, & merentur; cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur.* A lacrymis candor. Progrediamur ulteriùs. S. Ambroſ. l. 2. in Luc. & ſerm. 46. de Pœnit.

2. Ubi juſtiſſimus ſcelerum Vindex DEUS totum terrarum orbem innumeris cumulatum ſceleribus per univerſale diluvium purgavit, & nunc in ſumam gratiarum actionem juſtus Noë, quòd ab interitu cum omni familia ſua tam miſericorditer fuerit præſervatus, pinguiſſimum Sacrificium de animantibus mundis in aprico campo DEO T.O.M. litavit; ecce dum fumus



Digitized by Google

pinguis & odor holocauſtorum ſurſum in aëra aſcendit, de cœlo viciſſim nova gratia & pax Divina deſcendit, DEUM inter & Hominem de novo confirmata ac ſtabilita, in cujus rei ſignum in ſuperiori aeris regione Arcus miri ſplendoris apparuit, qui Noemo, filiis ac poſteris ejus nonniſi læta ac
Gen. 9. 12. proſpera præſignavit: *Hoc ſignum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem*, &c.

Per hunc arcum rectè in typo Chriſtus JESUS & hic Crucifixus præſignatus eſt, per quem genus humanum cum Patre reconciliatum fuit; ſolet
Seneca l. 1. Nat. quæſt. cap. 6. autem arcus per reflexos ſolis radios in nube rorida recipi: *Arcus*, inquit Seneca, *meridie ortus, magnam vim aquarum vehit, circa occaſum rorabit*, &c. Anime mi! reflecte pauliſper tua in doloroſiſſimam Matrem lumina, & in dolorum ejus ſociam Mariam Magdalenam, juxta crucem ſtantes, & quid cernes aliud, quàm nubem roridam, & pluviam, non cruentam duntaxat de Vulneribus crucifixi JESU, ſed & ex oculis illarum piiſſimarum mentium
Tilman. in allegoriis Luc. 7. 47. largiſſimè promanantem: *Magdalena*, inquit Tilmanus, *erat nubes rorida & pluvia*. O pulvia ſalutaris! ſi jam tunc convivio Simonis, dum lacrymis cœpit rigare pedes JESU, ab ore Veritatis audire meruit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm*; quid nunc ſentis, pie Lector, dum plorantem ſub cruce contemplaris Magdalenam, in SS. Sanguine Agni dealbatam? *En*, in-
S. Chryſol. ſerm. 93. quit S. Chryſologus, *mutatur ordo rerum; pluviam terra dat cœlum ſemper: Ecce nunc rigat terra cœlum; lacrymis rigabat pedes ejus. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, extingunt gehennam.* O anima Chriſtiana! licet innumeris obnoxia ſis peccatis, quid fugis à crucifixo JESU? Ecce cum Magdalena confidenter & in animo contrito, ac verè humi-
Pſal 102. 3. liato, ad crucifixum Amorem tuum accede, ille enim eſt, *qui propitiatur omnibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas; qui redimit de interitu vitam tuam*, &c. Plorabat quidem Maria Magdalena in domo Phariſæi, ſed tunc temporis intervallo adhuc ignorabat, quàm im̃enſo ſanguinis pretio forent Domino luenda illa, quæ deplangebat delicta; verùm cùm nunc vidit Dilectum ſuum, quem firmiſſimâ fide DEUM & Hominem credidit, in Calvario monte ſuffixum cruci, & ex quinque ſacris Vulnerum canalibus copioſiſſimum Sanguinem pro remiſſione peccatorum ſuorum profundentem, ah quis dicet, quantùm creverit mentis ejus & dolor & amor in JESUM? En formam habes, anima Chriſtiana! quam imiteris; illa ubi ſemel culpam ſuam agnovit, non ampliùs DEUM offendit, & tu ah miſera! quoties redis ad vomitum?

3. Et quis, obſecro, non obſtupeſcat, dum animo attentiore conſiderat, quòd B. M. Magdalena Sanctiſſimæ Deiparæ intima, familiariſſima, ac quodam̃odo domeſtica fuerit? quæ Sacratiſſima & intemerata Virgo, licet Seraphinis purior, cum hac tamen pœnitente peccatrice intimè conver-

ſar-

ſari minimè dedignata eſt; & quemadmodum Filius publicanos, & peccatores non reſpuebat, ſed manducabat, & converſabatur cum illis, ita quoque hæc Beatiſſima Virgo & Mater doloris & amoris hanc peccatricem, ſuper nivem nunc dealbatam, benignè complexa eſt, eamque in ſociam pluribus annis adhibuit, unde neque in cruenta Chriſti paſſione ab hac mœſtiſſima Matre ſeparari voluit. Juvat hìc audire S. Anſelmum, qui afflictiſſimam Deiparam pro eo tempore, quo dilectiſſimum Filium ſuum ad mortem damnatum, & crucis ligno onuſtū ad Golgothæum montem inter latrones procedentem conſpexit, ita loquentem introducit: *Unà cum Maria Magdalena per* S. Anſelm. *viam objacentis plateæ, circa quendam fontem cucurrimus, quatenus illi obviam ve-* in Dialogo *niremus, & cùm veniremus juxta fontem, obvium habuimus Filium meum deforma-* de Paſſione. *tum, preſſum omni dolore, qui benignè ſe inclinans, ad me dicebat, Ave Mater, ac ſi diceret: Gratias tibi debeo, electa Mater mea! pro multimodis beneficiis mihi impenſis, & pro multo labore, quo in ſumma paupertatis abjectione enutriviſti templum corporis mei, & nunc in deſtructione conſtitutum inter contumelias & opprobria ſequi non dedignaris, nec vereris, quamvis omnibus contemptui habeamur.*

Promiſerat quidem Petrus priùs Magiſtro ſuo fidelitatem nullis periculis, nulliſque ſeparandam cruciatibus: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Luc. 22. 33. Thomas ſimiliter ad eandem necem cum Chriſto perferendam ultrò ſe obtulit: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Joann. 11. 16. Similiter & reliqui Diſcipuli cum Chriſto in ultima Cœna menſæ accumbentes fecerunt. Verùm cùm nunc aliam rerùm faciem vidiſſent, & Magiſtrum ſuum captum, vinculis conſtrictum, mortique traditum: *Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Non ſic cum Matre doloroſa Mar. Magdalena, non ſic: *Surgam*, inquiebat, *& circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram,* Cant. 3. *quem diligit anima mea: Quæſivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cùm pertranſiiſſem eos, inveni, quem diligit anima mea: Tenui eum, nec dimittam.* Sed dic, obſecro, ô Magdalena! ubi eum inveniſti? *In lectulo*, reponit; & qualis ille lectulus Dilecti tui? Lectulus, inquit, floridus floridi Nazaræi mei non eſt alius quàm crux: *Hic tenui eum, nec dimittam*; hìc ſedens ſecus pedes ejus, audiam verbum illius; hìc ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſedebo, & fructus ejus dulci gutturi meo; hìc, cùm Rex meus eſt in accubitu ſuo, nardus mea dabit odorem ſuum. O beatiſſima peccatrix! verè optimam partem elegiſti, dum JESUM & hunc Crucifixum elegiſti: *Gratia tibi*, ſubintrat hìc S. Bernhardus, *ô beatiſſima peccatrix!* S. Bernhardin. ſerm. 45. *oſtendiſti mundo tutum peccatoribus locum, pedes ſcilicet JESU, qui neminem ſpernunt, neminem projiciunt, neminem repellunt, ſuſcipiunt omnes, &c.* Et quid in fer. 6. Paraſceve. tu hìc agis, ô mi Lector?

Brev. Rom. 23. Nov.

4. De S. Clemente Pont. Max. perhibetur, quòd, cùm vitæ Sanctitate & doctrinâ Gentiles plurimos ad fidem Chriſti Romæ convertiſſet, à Trajano Imperatore in exilium trans mare Ponticum relegatus ſit, ubi in ſolitudine Cherſone duo Chriſtianorum millia invenit, qui ab eodem Imperatore in hunc loc ad eruenda & ſecanda marmora condemnati fuerant, quibus ingenti ſiti laborantibus in colle Agnum Divinum oſtendit, ſub cujus pedibus fons vivus in ſalutem eorum emanabat.

S. Laurent. Juſtin. de agon. Chriſt. cap. 21.

S. Anſelm. Tract. de Paſſ. Dom.

S. Bernhardin. ſerm 45. in fer. 6. Paraſcev.

Simon de Caſſ. lib. 9. a p. 33.

c. Reg. 4. 27.

Anima Chriſtiana! reſpice in montem Calvarium, ubi pari ratione Agnum illum im̃aculatum pro ſalute univerſorum in ara crucis immolatum cernes, ſub cujus pedibus non diſſimilis fons vivus emanat, fons videlicet lacrymarum dolentiſſimæ Matris ejus & M. Magdalenæ, irremediabilibus lacrymarum rivulis Amorem ſuum crucifixum deplorantium, ac tunc præſertim, quando corpus JESU emortuum, de ligno depoſitum, ſuper lapidem collocatum, à ſanguine purgatum, & pretioſis aromatibus inunctum eſt: *Reſonabat*, inquit S. Laurentius Juſtinianus, *locus ille clamoribus, aſpergebatur lacrymis, ac gemitibus replebatur.* O quàm lugubre erat ſpectaculum, afflictiſſimam videre Matrem, Filiũ ſuum occiſum in ſinum ſuum excipientem, os, oculosquè claudentem, vulnera explorantem, ſpineum ſertum è Filii capite non ſine cruenta manuum punctione revellentem! S. Anſelmus, *accurrens Joannes Evangeliſta concidit ſuper pectus JESU, plorans, & dicens: Heu, heu de iſto pectore heri potabam dulcia, hodie triſtia, &c.* Magdalena autem pro more ſuo ad pedes Chriſti accedebat: *Virgo*, ait S. Bernhardinus, *caput Magdalena vero pedes eſt amplexata*; & Simon de Caſſia, *Dominicos pedes illico recognovit, ad quos admota moltorum peccatorum remiſſionem acceperat.* Et ſi quondam Sunamitis illa ad pedes Eliſæi Prophetæ proſtrata lacrymando filii ſui im̃aturâ morte extincti meruit obtinere reſuſcitationem: *Cumque veniſſet ad virum DEI in montem, apprehendit pedes ejus.* Quid de B. M. Magdalena ſentiendum, quæ ſacros & perforatos Domini pedes oſculando, & lacrymis ſuis rigando, ac abluendo non poterat ſatiari: *Magdalena*, ſubintrat hîc rurſus S. Bernhardinus: *proſtravit ſe ad pedes Domini, ipſos oſculando, & ſuis ſolitis lacrymis balneando, & clamando dicens: O ſanctiſſimi pedes, vos docuiſtis me, quo pacto debeam aufugere, & exire de manibus diaboli*, &c.

O anima Chriſtiana! quid agis? Magdalena ſemper, ubi cum Chriſto fuit, locum ad pedes ejus elegit: in convivio Principis Phariſæorum, ubi lacrymis cœpit rigare pedes JESU, in cœna Bethaniæ, ubi caput & pedes Domini pretioſo nardi piſtici unguento inunxit; in domo Marthæ, ubi ad pedes Chriſti ſedens audiebat verbum illius; ad monumentum Lazari, ubi ad pedes Salvatoris proſtrata rogabat: *Domine! ſi fuiſſes hic*, &c. In monte Calvario, ubi cum Matre doloroſa ſub pedibus crucifixi Amoris ſui ſteterat; & in eodem loco, ubi mortuo & de crucis ligno depoſito denuò lacrymis ſui

pedes

Digitized by Google

pedes abluit, &c. *Magdalena*, ſubintrat hìc S. Gregorius Nyſſenus, *ſenſibus & membris omnibus, quibus peccaverat Mulier, pœnitentiam egit: Nos verò verbis quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil ſtudii, laboriſque præſtamus, ſed eâdem vivendi conſuetudine utimur, quâ priùs.* Si ergo cum Magdalena DEUM noſtrum offendimus, quare non cum illa ad pedes crucifixi JESU proſternimur? Illa in eremo triginta annis auſteriſſimam egit pœnitentiam, ad crucis effigiem, quam ei S. Michael præfixerat, aſſiduò ſua deflens peccata, licet jam pridem remiſſa; nos longè culpabiliores ſumus Magdalenâ: Heu ubi noſtræ ſunt lacrymæ? Ubi vera & ſeria pœnitentia? Et quid tandem de nobis fiet? S. Bernhardin. loc. cit. S. Gregor. Nyſſ. orat. in eos, qui acerbiùs alios judicant.

5. O ſancta & inclyta Pœnitens! olim veſani amoris mancipium, nunc Sponſa Chriſti, cui te ulteriùs comparabo? Si Chriſtus JEſus & hic Crucifixus magnes eſt, tu ferrum eras, neſcio quâ arcanâ amoris ſympathiâ ad centrum ſuum attractum? Olim ferrum Eliſæi in aquarum profundum delapſũ, ultrò ad lignum natavit: *Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natavitque ferrum.* Et nunquid hoc ferrum (Magdalena) mirabili amoris impulſu ad lignum crucis natavit? Audi Eccleſiam in hymno: *Adſtare non timet cruci, ſepulchro inhæret anxia, truces nec horret milites; pellit timorem charitas.* O ſi ſimili affectu & amore crucifixum Amorem noſtrum diligeremus! quotidie JEſum in cruce pendentem intuemur, & nulla in eum cõmiſeratione tangimur? 4. Reg. 6. 6.

Si Chriſtus JEſus & hic Crucifixus fons eſt, de quo Zacharias: *in illa die erat fons patens domui David, & habitantibus Jeruſalem in ablutionem peccatoris.* Tu, ô ſancta peccatrix, cerva ſitibunda & amoris telo ſaucia fuiſti, quæ magno impetu ad hunc gratiarum fontem anhelâſti, lacrymas tuas cum pretioſo Redemptoris tui Sanguine cõmiſcens, & vas tibi de eodem Divino cruore pro tuo implens ſolamine. O ſpectaculum lugubre! natabat humus SS. Sanguine JEſu, & natabant lacrymis Magdalenæ oculi. O quàm prompto animo cum Chriſto ſanguinem tuum fudiſſes, ſi ita DEI voluntas fuiſſet. O cor meum! ad quid jacturæ vel leviſſimæ illacrymaris, & cum JEſu crucifixo non doles? quouſque cor durum erga illum geres? Ergo in ſignum veri ac ſinceri amoris nec unam dabis lacrymulam? Zach. 13. 1.

Si Chriſtus JEſus & hic crucifixus Mercator ille eſt, qui pro una pretioſa margarita vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Tu, ô ſanctiſſima Pœnitens! pretioſa illa margarita extitiſti, pro qua Negotiator ille cæleſtis in cruce dedit omnia, quæ habuit, imò & ultimam ſanguinis ſtillam, unde Eccleſia; *Amiſſa drachma regio recondita eſt ærario*, &c. Si ille Sponſus ſanguinum: tu Sponſa hujus Dilecti, cujus ſanguis ornavit genas tuas. Si ille Paſtor bonus, qui in cruce animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis: tu prima ovicula, ab illo inventa, & proprio ſanguine illius proluta, atque abluta. O Chriſtiani! ſubintrat hìc antiquiſſimus Origenes: *Sequamur hujus Mulieris* Matth. 13. 45. Origenes.

*affe-*

Digitized by Google

hom. de M. Magd.

*affectum, ut perveniamus ad effectum: ploret unusquisque ad JEſum & quærat fideliter JESUM, quia non celavit ſe quærenti peccatrici. Diſce, peccator homo, à peccatrice muliere, cui tamen dimiſſa ſunt peccata ſua. Diſce plorare DEI abſentiam, & conſiderare ejus præſentiam. Diſce à Maria JEſum amare, nullam extra JEſum conſolationem accipere, omnia propter JEſum contemnere.*

2. Mach. 1.

6. In Machabæorum Libro ſecundo refertur, quomodo aqua craſſa fuerit mutata in ignem: *Utque tempus affuit, quo ſol refulſit, qui priùs erat in nubilo, accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Audeo dicere, lacrymas pœnitentis Magdalenæ in ignem fuiſſe mutatas, erat enim tota charitate ignita ab illo tempore, ex quo gratiarum Sol mitiſſimus JEſus illi primò in convivio affulſit, unde hunc ignem nec maria nec flumina paſſionum & dolorum, quos unà cum Chriſto patiente & dolentiſſima Matre in animo perpeſſa eſt, poterant obruere: *Attendite,* ait S. Thomas Villanovanus. *quâ dilectione proſequebatur virum Magiſtrum, qua etiam pro mortuo ſe exponit morti, non minùs pro defuncto, quam priùs fuerat officioſa viventi.*

S. Th. Villanov. in conc. de S. Magd.

Luc. 7. 13.

Olim pientiſſimus orbis Reparator Chriſtus Viduæ in Naim lacrymas interdixit: *Noli flere*; ſed de B. Magdalena non legitur, quòd aliquando Chriſtus ejus lacrymas culpaverit, ſed potiùs ipſe ad fletum eam magis ſtimulavit, dum contra murmurantem Phariſæum illam defendit: *Aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.* Ratio eſt, quia Mulier illa Vidua non ſua delicta, ſed ĩmaturam filii ſui necem deploravit, non autem placent Chriſto ejuſmodi lacrymæ inanes; verùm M. Magdalena ſua peccata animitus & amariſſimis deplanxit lacrymis, ac tunc præſertim, quando Salvatorē mundi ob delicta ſua ac totius mundi ab impiis captum, flagellatum, ſerto ſpineo coronatum, ad mortem condemnatum, in cruce pendentem, ac denique mortuum & extinctum conſpicata, atque contemplata eſt: *Non fudit ſanguinem,* ait Os Aureum, *ſed fontes lacrymarum profudit, & delevit peccata ſua.* O beati, qui taliter lugent! Anima peccatrix, quid hæres? Ad quid ſtulto dolore & planctu pro rebus temporalibus conſumeris? Ob pomum ereptum, ob leviſſima ploras crepundia; perdis DEUM per peccatum, & rides? *Nulla res,* inquit Paulus de Palatio, *in hoc ſæculo digna fletus eſt niſi peccatum*; & Mellifluus: *Funda lacrymas ad Cruciſixum, nam te ſalvare paratus eſt, qui pro te talia paſſus eſt.* A lacrymis candor.

S. Chryſoſt. ſerm. 93.

Paul. de Palat. in c. 5. Matth.

S. Bernh. de Cœna Dom.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO LII.

## Peprenduntur rationes, quare B. Virgo & Mater Doloroſa non unà cum Filio fuerit immolata?




Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.
*Pſal.* 117. 17.

1. RE&c amariſſima Chriſti paſſio à Vate Regio mari turbido comparata eſt, in quo mitiſſimus orbis Reparator Chriſtus, velut alter Jonas, ut alios ab interitu ſalvaret, projectus fuit; audi ipſum Pſaltem Regium in perſona Chriſti patientis loquentem: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*; ubi obſervandum, benigniſſimum Redemptorem à Propheta homini naufraganti aſſimilari, qui è fracta navi ventorum & procellarum vi excuſſus in ima Jonæ. 1. 5. Pſal. 68. 1.

 deci-

decidit, unde emergens pro ſupremo ſolatio non aliud habet remedium, niſi lignum, ſeu navis confractæ tabulam, quam ſummâ animi cum aviditate apprehendit, ſpe fretus, ſe ope hujus ligni adhuc ad optatum ſalutis portum evaſurum; verùm magis magiſque procellarum vi & mole fluctuum protruſus, tandem uſque ad altitudinem maris & in ejus profundum devolvitur, ubi ab omnibus derelictus miſerandum in modum ſubmergitur. Ita, inquam, accidit pretioſiſſimo animarum noſtrarum Redemptori Chriſto JESU, cùm enim hactenus per varias perſecutionum, pœnarum, ac dolorum procellas in paſſione ſua fuiſſet jactatus, & agitatus, tandem apprehendens lignum crucis, in quo genus ſalvaret humanum, olim per lignum ſcientiæ boni & mali in paradiſo deſtructum, ipſe in altitudinem maris devenit, & miſerandum in modum per tam cruentam tempeſtatem ſubmerſus

Pſal. 68. 1.

eſt: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.*

Huic dilectiſſimo Filio ſuo, in hoc luctuoſiſſimo paſſionis naufragio ſubmerſo, individuam ac fideliſſimam ſociam ſeſe adjunxit B. Virgo & Mater doloroſa, cujus dolor & afflictio tantus extitit, ut à Divino Vate pari

Threno. 2. 13.

ratione cum immenſo maris æſtu comparetur: *Magna eſt, velut mare, contritio tua.* Obſerva hìc, prudens Lector, quòd Propheta Threnologus in primo mentis obtutu neſcierit, quomodo, ac qualiter, & cum quibus com-

Num. 17. 8 Cant. 2. 1. Eccleſ. 27. 18. Apoc. 12. 1. Joel. 23. 1.

pararet tantos ac tales Virginis Matris dolores: *Cui,* inquiebat, *comparabo te vel cui aſſimilabo te, filia Jeruſalem? cui exequabo te, Virgo Filia Sion?* Si te volo comparare virgæ Aaronis? heu nunc in paſſione & morte filii ſicca & arida facta es. Si flori campi & lilio convallium? Sed nunc cecidit flos & lilium elanguit. Si roſæ in Jericho? Ab nunc illi ſpina eſt ſola ſuperſtes. Si Mulieri amictæ ſole? Verùm & ipſe nunc mundi oculus, ſereniſſimus Sol obſcuratus eſt. Si Lunæ perfectæ? O Superi condolete, heu nunc verſa eſt in ſanguinem; audi Poëtam.

*Pallida luna pluit, ſed non niſi tu ſcelerate*
*Cauſa hujus luctûs, atque doloris eras.*

Hugo à S. Vict. ibid. quem citat Fineti in Reflex. Spirit. de B. Virg.

Cui ergo te comparabo, ô Virgo & Mater omnium afflictiſſima, & tandem ſubjungit Propheta: *Magna eſt, velut mare, contritio tua;* Supra quod Hugo à S. Victore: *Mirum,* inquit, *valdè eſt, quòd calamitatem ejus nulli coæquari poſſe commemorat; & ſtatim magnitudinem maris ei in comparatione coæquat;* & cur hoc? Cauſam ſubjungit idem Hugo: *Quemadmodum mare ſuper omnes aquas, & mole & amaritudine excellens eſt, ita tua contritio omni nulla calamitas æquari poteſt;* in quo tamem vaſtiſſimo paſſionis Oceano hæc pientiſſima Mater, etiam poſt tot ac tantos exantlatos decumanos perſecutionum fluctus, non periit, ſed mirabiliter adhuc emerſit, & in vita uſque ad præfinitum à Patre tempus conſervata eſt. Proinde huic mœſtiſſimæ

Ma-

Digitized by Google

Matri pro Symbolo mergulum, ſeu potiùs Mergulam appingi curavimus, cujus avis natura eſt, ut, viſo quocunque periculo, quantocyus in maris undas ſeſe recipiat, ex quo tamen longo poſt intervallo indemnis emergere ſolet, cum inſcripto hoc Lemmate:

## Merſa non mergitur.

En Symbolum doloroſæ Virginis, quam DEUS in paſſione Filii ſui non voluit, ut ſubmergeretur cum Filio, licet teſte S. Anſelmo, *per ſingula momenta dolor vitam ejus extinguere ſufficiens fuiſſet, niſi ex ſpeciali miraculo divinitus conſervaretur.* Rationes aſſignari poſſunt ſequentes. S. Anſelm. de Excell. V. cap. 5.

2. Olim in Lege præcepit DEUS, ut ſi quis itinerans in via, vel in arbore, aut in ſylva nidum avium inveniret, captis & ſublatis pullis, Matri incubanti parceret, eamque liberam ac indemnem ſineret avolare: *Si ambulans per viam, in arbore, vel in terra nidum avis inveneris, & Matrem pullis vel ovis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris, captos tenens filios, ut bene ſit tibi, & longo vivas tempore.* Deut. 22. 6.

Idem DEUS alio in loco mandavit, ut ad expiandum leproſum duo paſſeres vivi ſibi afferrentur, quorum unus à Sacerdote occideretur, & ejus ſanguine leproſus aſpergeretur, alter verò in ſanguine occiſi paſſeris intinctus liberè permitteretur in campum avolare: *Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco & hyſoppo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum, qui mundandus eſt, ſepties, ut jure purgetur: & dimittet paſſerem vivum, ut in agrum avolet.* Lev. 14. 6.

Pari ratione in libro Exodi præcepit DEUS, ne Iſraëlitæ uno die ac tempore agnum cum Matre im̃olarent, ſed ut mactato agno Matri afflictæ parcerent: *Ovis non immolabitur uno die cum fœtu ſuo.* Exod. [illegible] 19.

O mœſtiſſima Domina! Virgo & Mater, Mater & Virgo! tu per illam legalem aviculam, cui in nido parci voluit DEUS; tu pariter per paſſerculam in ſanguine conſortis intinctam, quam DEUS liberè in agrum avolare permiſit, tu denique per ovem illam Matrem, cui agnus filius violentâ manu ablatus, & ad victimam portatus fuit non obſcurè præſignata es, quam ideò mitiſſimus DEUS poſt omnes patientiſſimè exantlatos dolorum fluctus adhuc diutius in vita conſervari voluit primò, quia ita Divinæ Majeſtati placuit: cujus SS. Voluntas ſicut in omnibus rebus ac diſpoſitionibus, ita quam maximè hìc attendi debet, licet humano ingenio nequeat comprehendi. Secundò voluit illam DEUS adhuc ad aliquod temporis intervallum relinquecundò voluit illam DEUS adhuc ad aliquod temporis intervallum relinquere in mundo, quia SS. Apoſtolis, primiſque fidelibus nimis durum accidiſſet, ſi uno eodemque tempore ſole pariter & lunâ ſuâ myſticâ deſtituerentur. Tertiò ut mortuo & occiſo generis humani Patre, omnes afflictæ animæ præſertim in Eccleſia primitiva inter tot cruentas perſecutiones in hac SS. Matre



Digitized by Google

doloroſa peculiare invenirent, & haberent præſidium, atque in neceſſitatibus ſuis exoptatum aſylum; magnum enim erat militanti Eccleſiæ ſolatium in terra, illam poſſe intueri Matrem, cujus Filius DEUS & Homo, author vitæ, & Victor necis erat, ac tandem omnium à Patre conſtitutus Judex diſtrictiſſimus: *Cauſa*, ſubintrat hic Vincentius Bruni de Soc. JESU, *ob quam Dominus eam relinquere voluit in mundo, fuit, ut fideles inter tot moleſtias, tempeſtates & perſecutiones mundi haberent aliquod præſidium & ſolatium, ne ſi hoc quoque beneficio ſpoliarentur, viderentur prorſus à Chriſto deſerti: nec enim habebat puſillus ille grex in terra, à quo inter tot ærumnas & cruces, rabidis undique circumdati lupis, animari & corroborari poſſent. Voluit ergo dilectam ſuam Matrem illis in Matrem & Magiſtram relinquere, ut dulcis ejus præſentia omnibus in mœrore eſſet ſolatium in doctrina lumen, in perſecutione robur, & in illis Eccleſiæ incunabulis ſingulare præſidium; Ac certè admodum neceſſarium fuit Eccleſiæ adhuc teneræ, ne talis columna loco ſuo ſubitò moveretur, ſed potiùs ad aliquot annos pro univerſæ fabricæ ſpiritualis firmamento & ſuſtentatione immobilis perſiſteret.* Vide hìc, anime mi, quomodo Mater doloroſa omnibus omnia facta ſit, ut omnes lucrifaceret; cur non & te? Excita te ipſum, & ama, ac æſtima Matrem tam amabilem, tuæque ſalutis ſtudioſiſſimam.

Vicentius Bruni S. J. Med. 2. de B.V.

3. Recordor hìc illius Mulieris Evangelicæ, de qua Lucas comemorat, quòd decem drachmas, ſeu gemmas habuerit, de quibus unam perdidit, ad quam inveniendam totam domũ revolvit; & quia nec tanto labore ac induſtriâ illam poterat reperire; lucernam denique accendit, cujus ope hanc amiſſam drachmam feliciter recuperavit: *Nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat,*

Luc. 15. 8.

Obſerva hìc, prudens Lector, quòd in eodem ſermone Veritas Chriſtus præmiſerit parabolam de bono paſtore, ingenti cura & ſollicitudine ovem perditam inquirente: *Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos, gaudens,* &c. Tunc enimverò Chriſtus, qui per eundem Paſtorem adumbratus eſt, ovem perditam invenit, & in humeros ſuos impoſuit, quando pro ovibus ſuis in cruce mori dignatus eſt: *Humeri iſti*, ait Seraphicus Doctor, *ſunt brachia crucis, in ſuos humeros ovem perditam impoſuit, quia ibi peccata noſtra portavit.*

Luc. 15. 5.

S. Bonavent. hìc in Luc.

Ex quibus facilè intelliges, anime mi, quænam illa Mulier Evangelica fuerit, quæ relictis novem drachmis lucernam accendit, & ſtudio prorſus indefeſſo decimam ac perditam inquiſivit. O pientiſſima Virgo, verè Mater amoris & doloris! tu, inquam, per illam Mulierem adumbrata es, quæ relictis cæteris novem drachmis, hoc eſt, novem Angelorum choris, ad quos unà cum Filio aſcendere poteras, ad tempus reliquiſti, ſolùm ſollicita de drachma decima & perdita, id eſt, animâ hominis, quam poſt glorioſam Filii ad cœlos aſcenſionem adhuc 26. annis propenſiſſimo ſtudio non deſtitiſti

quæ-

Digitized by Google

Quærere, donec tandem ætatis tuæ anno 72. hoc eſt, anno à Virgineo tuo
partu 58. ex hâc mortali ſoluta ad æternam aſſumpta es. Juvat hic audi-
reS. Birgittam, cujus Revelationes magnam in Eccleſia DEI auctoritatem S. Birgitt.
habent: *Aſcendente Filio*, inquit ipſa, *ad ſuum regnum*, *Virgo MARIA in hoc* lib. Revel.
*mundo ad bonorum conſolationem*, *& errantium correctionem*, *permanere permiſſa* cap. 61. & ſerm. Angel.
*eſt*; *erat enim Magiſtra Apoſtolorum*, *Confortatrix Martyrum*, *Doctrix Confeſſo-* cap. 19.
*rum*, *clariſſimum ſpeculum Virginum: Conſolatrix in conjugio viventium*, *ſaluberri-*
*ma Monitrix*, *atque omnium in fide Catholica perfectiſſima roboratrix*, &c. Agnoſ-
ce ex hoc, anima Chriſtiana, ingentem Virginis doloroſæ in genus huma-
num charitatem, dum ſponte ad tempus cœleſti gloria privari voluit, ut in
hoc mundo miſeris & afflictis, omnique Eccleſiæ ſtatui prodeſſet, ac primo-
rum fidelium ſaluti conſuleret; quid nunc faciet pro te regnans in cœlo, ſi
eam filiali affectu amaveris, atque colueris?

4. Recordor hic illius Sponſæ, quæ Dilectum ſuum impenſiſſimè ro-
gavit, utpote amoris labore debilitata: *Trahe me: poſt te curremus in odorem* Cant. 1. 3.
*unguentorum tuorum*, velociter enim currebat hic Dilectus ſanguinem Spon-
ſus, & velut gigas exultavit ad currendam viam ſuam, & quia optimè nove-
rat illa Sponſa, opus eſſe peculiari DEI gratiâ ad amorem Divinum trahente,
ideò impenſiùs flagitavit: *Trahe me poſt te.* Ad quid, obſecro, hæc Sponſa Cant. 1. 3.
non rogavit, quæ aliàs dextram Sponſi apprehendere, & cum eo pari ſo-
lebat paſſu ambulare, ut unà ſimul cum Sponſo & non poſt Sponſum tra-
heretur? Ad dilucidandum hunc conceptum oportet audire Guilielmũ &
alios, qui de hoc Scripturæ loco cōmentati ſunt, quòd per præfatam Spon-
ſam rectè ſubaudiatur B. Virgo, quæ per omnem vitam prima & proxima
poſt JESUM Sanguinum Sponſum cucurrit, ejus ſanctiſſimos mores, vi-
tam & paſſionem præ omnibus imitando, & ſuis repræſentando actibus; vi-
va enim erat imago Chriſti JESU crucifixi, quam proinde primo per gra-
tiam ſuam inter omnes electos ad ſe attraxit: *Ego, ſi exultatus fuero, omnia* Joann. 12.
*traham ad me ipſum:* Verùm cùm nunc de glorioſa Sponſi in cœlum aſcen- 32.
ſione ageretur, rogavit hæc Dilecta: *Trahe me eſt te*: & cur, obſecro, non
dixiſti, beatiſſima: *Trahe me tecum*? Latronis animam dilectiſſimus Fi-
lius ac Sponſus tuus unà ſecum in cœlum traxit, & te Matrem, & quidem ta-
lem ac tantam Matrem, ſuper omnes creaturas æſtimatam ac amatam, in hoc
mundo immundo relinquat ad lamentum & novos dolores?

Obſerva, anime mi! COR JESU & MARIÆ unum Cor erat, & una
voluntas, & quia MARIA non quærebat, niſi quæ DEI erant, & Filio pla-
cebant, ſuaſit eadem charitas, ut propter Electos DEI, Filio de morte Trium-
phatore in cœlum abeunte, Mater in ſolamen totius Eccleſiæ adhuc teneræ
& recens per Sanquinem JESU fundatæ, adhuc aliquo tempore in mundo Guilielm. in
reſtaret: *Trahe me poſt te*, ait memoratus Guilielmus, *non dixit: Trahe me* Cant. 1. 3.

 *tecum*,

Digitized by Google

*tecum, ſed poſt te, quo charitatem ſuam erga genus humanum clariſſimè manifeſtat. Non petit cum Filio cœlum aſcendere, quia, licèt multo tædio in terris ſe afficiendam ſciret abſente Filio; ſua tamen Eccleſiæ commodis poſtponebat, & nolebat adhuc rudi deeſſe ſermonibus ſuis de myſterio incarnationis pleniùs informandæ, & exemplis ad ſpiritualem profectum excitandæ.* O quantùm obligata eſt univerſa Eccleſia huic SS, Virgini ac Matri ſuæ! Et ſi Paulus quondam Mariam Caſſoboliten, quæ in negotio Evangelii ſtrenuè inter gentes laboravit, peramicè ſalutari juſſit! *Salutate Mariam, quæ multùm laboravit in vobis.* O Clientes Mariani! quid agitis? Salutate Mariam, quæ plùs in vobis laboravit, &c.

Rom. 16. 6. Menoch. hic.

5. Conſulamus Petrum Apoſtolorum Principem, qui ubi ex timore mortis vitam negavit, in entro ſaxoſo amariſſimis lacrymis admiſſum crimen expiare cœpit, ſpem, & amorem filialem erga hanc miſericordiæ Matrem non amittens; unde ad veſperam Paraſceves, prout refert S. Anſelmus, conſumatâ Chriſti paſſione, ad Calvariæ montem venit: *Tunc Petrus advenit, & quòd ipſum negaverat, amariſſimè flere cœpit*; alii verò ſcribunt, Petrum ſequenti die Sabbathi ad montem Sion, ubi doloroſiſſima Mater, tunc morabatur, veniſſe, ejuſque patrocinium humiliter imploraſſe, à qua non tam benignè ſuſceptus, quàm & de novo in fide & Sancto propoſito ſolidatus eſt; in quem finem D. Petrus huic SS. Virgini valde gratum ſe exhibuit, dum in ejus honorē in Syria, ubi Evangelii ſementem ſpargebat, propè civitatem Tortoſam nobile Sacellū extrui curavit, & SS. Nomini Mariæ Apoſtolicis ritibus dedicavit. O ſi Judas traditor pari animo contrito & humiliato ad hanc SS. Deiparā acceſſiſſet, ſine dubio illi veniam & miſericordiam ab optimo Filio ſuo impetrâſſet. Reſpirate, peccatores, adhuc vivit gratiarum Mater: *Quid ampliùs quæris*, ait S. Thomas Villanovanus, *quid ultra requiris, in Virgine? Sufficit tibi quòd Mater Dei eſt*,

P. Anſelm. in Tract. de Paſſ. Fineti. apud me fol. 815. de Paſſ.

Hadr. Lyr. de Nomin. Mar. fol. 656.

S. Th. Vill. ſerm. 2. de Nat. Virg.

Hujus Apoſtolorum Principis exemplum ſecuti ſunt cæteri Diſcipuli Domini & primi Chriſtiani, qui in dubiis fidei, laboribus, perſecutionibus, preſſuris & afflictionibus ſemper ad hanc SS. Deiparam velut ad digniſſimam Matrem ſuam & firmiſſimam Fidei columnam confugiebant, quia in ea, teſte S. Ambroſio, videbant *formam diſciplinæ, normam virtutum, & totius figuram probitatis:* unde fatetur S. Dionyſius, quòd ex illius præſentia & colloquio tantam interiùs conſolationem ſenſerit, quam nec corpus nec ſpiritus poterant ſuſtinere; & obſervat Lorinus, S. Stephanum Proto-Martyrem à B. Virgine in perſecutione mirè fuiſſe confortatum, & ideo lapides illi dulces videbantur, quia, quamdiu ejus lapidatio duravit, genibus ſuper lapidem flexis, pro illo ad Deum oravit, eique gratiam finalem & donum perſeverantiæ impetravit: *S. Stephanus*, ait Cornelius, *ſuam martyrii coronam debet B. Virgini, æquè ac S. Paulus ſuam converſionem, quam moriens pariter impetravit ei S. Stephanus.*

Hadr. Lyr. de imit. Chr. pat. lib. 7. cap. 4. S. Ambroſ. lib. 2. de Virg. Lorin. in cap. 7. Act. Apoſt. Cornel. in Acta Apoſt. fol 149. Joan. Adam. Web. de arte diſc. fonte 39.

6. Imò & abſentes hæc SS. Deipara per litteras conſolata eſt. Ita refert Lucius Dexter S. Hieronymi coævus, quòd ad S. Ignatium Ep. & M. cum ſub

Tra-

Trajano Imp. ob Chriſti fidem graviſſimas pateretur perſecutiones, hanc epiſtolam conſolatione plenam ſubmiſerit: *Ignatio dilecto Diſcipulo humilis ancilla Chriſti JESU. De JESU, quæ à Joanne audiſti & didiciſti vera ſunt; illa credas, & mores & vitam voto confirmes. Veniam autem unà cum Joanne, te, & qui tecum ſunt, videre. Sta, & in fide viriliter age: nec te commoveat perſecutionis auſteritas, ſed valeat, & exultet tuus ſpiritus in DEO ſalutari tuo, Amen.*

Sub idem ferè tempus cives Meſſanenſes, cùm à S. Paulo concionante intellexiſſent, DEI Filium pro ſalute hominum hominem eſſe factum, ejusqueSS. Matrem adhuc Hieroſolymis in vivis ſupereſſe, legationem ex delectis viris Hieroſolymam uſque deſtinârunt, humiliter hanc SS. Deiparam rogantes, ut patrocinium urbis ſuæ in ſe ſuſciperet; nec abnuit piis illorum votis Virgo & Mater tam benigna, dum mox ad eos litteras affectu materno plenas propriâ manu in lingua Hebraica exaravit, quarum tenor eſt iſte: Idem loco cit. & plures alii cum P. Lezana fol. 10.

*MARIA Filia Joachim de tribu Juda, de domo David humillima Mater JESU Chriſti crucifixi, omnibus civibus Meſſanenſibus ſalutem, & benedictionem æterni Patris.*

*Novimus vos miſiſſe magnâ fide nuntios & oratores, confitentes plenâ recognitione Filium meum eſſe Hominem ſimul, ac Deum, Unigenitum æterni Patris, & ſimiliter, quòd poſt ejus glorioſam reſurrectionem ad cælum aſcenderit; agnoſcentes in omnibus certam veritatis ſemitam, mediante doctrinâ & prædicatione Pauli Apoſtoli noſtri. Quapropter vobis & huic noſtræ civitati impertimur benedictionem, & promittimus vos ſemper ſub noſtra protectione & defenſione habere.*

O peccatores, ô afflicti, ô deſolati omnes! quid agitis? Eja reſpirate, & magna cum fiducia ad hanc doloroſam ac SS. Matrem veſtram accedite; ſicut enim DEUS & Homo Chriſtus *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; ſic hæc SS. Deipara lubenti animo omnium miſerorum, imò & peccatorum ſuſcipiet patrocinium. De Chriſto dictum fuit: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*; ſed neque pretioſiſſima Virgo & Mater peccatores reſpuit, pro quibus Filius tot ac tantos paſſus eſt cruciatus. Et ſi quondam lepus à canibus agitatus ſub pallio S. Bernhardi optatam protectionem invenit; cervus ſub pallio S. Huberti Epiſcopi; cerva ſub pallio S. Ægidii; agnus ſub pallio S. Franciſci Seraphici, &c. Et quare nos Chriſtiani non ſub pallio B. Virginis ac Matris doloroſæ? An non infans, cùm à nonnemine terretur, vel patris iram formidat, quantocyus ad ſinum Matris accurrit, ut ab illa protegatur? ita, inquam, ac pari affectu, ô mortales omnes, ad hanc SS. Matrem noſtram accedamus, & inveniemus in omni tribulatione noſtra optatū præſidium: *Advocatam*, ait S. Bernhardus, *habere vis ad Chriſtum? ad Mariam recurre, exaudiet utique Matrem Filius*; & Ludovicus Bloſius: *Fieri non poteſt, ut unquam pereat, qui Mariæ ſedulus & humilis cultor fuerit.* Vis & tu talis eſſe, ô mi Lector?

1. Tim. 2. 4. Luc. 15. 2. In vitis SS. S. Bernhard. ſerm. de Nat. B. V. fol. 59. Lud. Bloſ. in Canon. vitæ ſpirit. 1. 18.

# CONSIDERATIO LIII.

## SS. COR MARIÆ conſummatâ paſſione, per Chriſtum Filium à mortuis reſurgentem, mirè conſolatur.




Secundùm multitudinem dolorum meorum in Corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.
*Pſal.* 93. 19.

1. POſtquam ultrices diluvii aquæ totum terrarum orbem anno ſolari ferè integro inundâſſent, & arca Noëmica hactenus per immenſum æquor jactata, ſubſidentibus pauliſper fluctibus, in ſumo Armeniæ monte reſpiratura conceſiſſet, Noë ad explorandum, an penitùs in terra ceſſaſſent aquæ, per feneſtram arcæ columbam di-

dimiſit, quæ *venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Gen. 8. 11.

Per Noemum Patrem cœleſtem ſaubaudi, per arcam primitivam Eccleſiam DEI ſupra montem Sion tunc, ſubſidentibus nonnihil perſecutionum fluctibus, conſidentem; per columbam emiſſam rectè animam Chriſti intelliges, de qua Evangeliſta: *Emiſit ſpiritum.* Tandem poſt triduum, ubi SS. anima cum Corpore Chriſti de novo unita fuit, Chriſtus à mortuis glorioſè reſurgens, velut altera columba Noemica poſt ſuperatum paſſionis diluviū SS. Matri ſuæ primò inter omnes deſideratiſſimam pacis olivam tulit: *Pax tibi ò Mater!* In quem finem columbæ noſtræ, florentem olivæ ramum in ore ferentem, & ad arcam ſuam volitantem, pro Lemmate inſcribere placuit: *Siluerunt fluctus.* Vel: *Mundi melioris origio;* vel ſi mavis: Matth. 27. 50.

## Emergere nuntiat orbem.

Si vis aliud Emblema, finge & pinge tibi militarem aliquam galeam, ſeu Caſſidem ferream in menſa ſtantem, in qua apes melificant, cum inſcripto Lemmate Alciati, viri in omni politiori doctrina exculitiſſimi: *Mella poſt bella.* Ita eſt: Mella poſt bella: unde de Chriſto non legitur, quòd per omnem vitæ ſuæ curſum mel aut ſaccharum, aut aliquid dulcis obonii comederit, niſi finito cruentæ paſſionis ſuæ prælio, ubi favum mellis à Diſcipulis oblatum manducavit: *At illi obulerunt ei partem piſcis aſſi & favum mellis* ratio eſt, quia priùs (prout bene obſervat antiquiſſimus Tertullianus) in cruce guſtavit fel: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum,* nunc poſt glorioſam reſurrectionem ſuam comedit dulce mel: ad inſtructionem noſtram, quòd modicum fel tribulationis noſtræ tandem in nobis æternæ gloriæ pondus operetur, & in ſuaviſſimum cæleſtis nectaris Oceanum convertatur. Luc. 24. 42. Matth. 27. 34. Tertull. de corona militis cap. 14.

2. Obſervemus in hanc rem perelegantem figuram. Samſon inter mortales facilè fortiſſimus, ubi rugientem leonem, in vinea ſibi occurrentem, mirâ virtute debellavit, eumque in fruſtra quaſi hœdum diſcerpſit, paulò pòſt per eandem vineam regrediens, in ore dicti leonis examen apum cum ſuaviſſimo mellis favo invenit, de quo non ſolus comedere voluit, ſed & reliquam mellis partem Matri ſuæ communicat: *Veniensque ad Matrem, dedit ei partem,* Judic. 14. 9.

En pulcherrimum typum in Chriſto JESU & SS. Matre ejus doloroſa adimpletum; qui, poſtquam in cruento paſſionis ſuæ prælio mortem, diabolum, infernalem illum leonem, peccatum, ex quo mors intravit in mundum, feliciter ſuperavit, in ipſis mortis faucibus favum mellis, hoc eſt, immenſam gloriæ celſitudinem invenit; ita Gentium Doctor; *Videmus*, inquit, *JESUM propter paſſionem ſuam gloriâ & honore coronatum* ſed hanc Heb. 2. 9.

gloriam & favum mellis ipſe ſolus habere non voluit, proinde *veniens ad Matrem, dedit ei partem*, eique ante omnes alios primò ut glorioſus de morte triumphator apparuit, illamque per præſentiam ſuam poſt tantam hactenus exantlatam paſſionis & crucis amaritudinem mirum in modum conſolatus eſt, ubi meritò cum Propheta Regio hæc pientiſſima Mater dicere poterat: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* O quis dicet, quàm immenſo gaudiorum pelago tunc Sacratiſſimum COR Virginis ac Matris DEI fuerit repletum? Sicut enim priùs in paſſione & morte Filii amor menſura doloris fuit, ita nunc dolor exantlatus fuit menſura gaudii planè immenſi, dum viſo JESU exultavit cor ejus magis, quàm olim Abraham, dum in umbra tantùm hunc gratiarum diem prævidit: *Abraham exultavit, ut videret diem meum; Vidit, & gaviſus eſt.*

Pſalm. 93. 19.

Joan. 8. 56.

Recordor hîc illius laborioſi Patriarchæ Jacobi, qui cùm poſt aliquot annorum tractus inaudiiſſet, chariſſimum filium ſuum Joſephum, quem jam pridem mortuum, & à fera peſſima devoratum credidit, adhuc ſanum vivere & incolumem, eumque totius Ægypti Pro-Regem eſſe conſtitutum, in tam inſolitum gaudium, mentiſque jubilum effuſus eſt, ut penè extra ſe rapi videretur: *Et nuntiaverunt ei dicentes: Joſeph Filius tuus vivit, & ipſe dominatur in omni terra Ægypti.* Et quid ſequitur? Scripturam percipe: *Et revixit ſpiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, adhuc Joſeph filius meus vivit, vadam, & videbo illum, antequam moriar;* quem cùm exinde in terra Geſſen, ut magnificum Pro-Regem cum Regio apparatu ſibi occurrentem primâ vice conſpicatus eſt, præ gaudio exultans exclamavit: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.*

Gen. 45. 26

Altiùs erige mentis tuæ oculos, anima Chriſtiana; ſi Jacob olim ad unicum Joſephi intuitum, quem mortuum eſſe credidit, ita præ gaudio exultavit, quale, obſecro debuit fuiſſe illud Sacratiſſimæ Deiperæ gaudium, mentiſque jubilum, dum dilectiſſimum Filium ſuum, quem non tantùm mortuum credidit, ſed & ipſa ſub cruce præſens à fera peſſima devoratum vidit, nunc in reſurrectione tam immenſâ gloriâ circumdatum, ſibique inter mille Angelorum millia apparentem conſpexit? Hîc in veritate gladius ille doloris, qui hactenus ſanctiſſimam ejus animam pertranſierat, in igneum & aureum amoris telum, & glorioſi gaudii incendium converſus eſt; proinde longè meliori jure, quàm olim Sponſa dicere poterat: *Anima mea liquefacta eſt, ut locutus eſt*, &c. O anima Chriſtiana! quid erit, quando poſt hujus calamitoſæ vitæ tuæ exitum prima vice videbis Regem gloriæ in diademate ſuo coronatum? Quid erit, inquam, quando videbis illud Principium rerum omnium DEUM tuum, ac pientiſſimum Redemptorem, nunc poſt toleratos labores & afflictiones tuas te ad æternam gloriam & dulciſſimum

Cant. 5. 6.

am-

Digitized by Google

amplexum ſuum benigniſſimè invitantem? O anima mea! nunc ergo labora, nunc certa, nunc patere, quidquid adverſi in hac mortali vita tibi poterit occurrere: *Scientes*, inquit Apoſtolus, *quòd ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis.* 1. Cor. 1. 7.

4. Videtur mihi Sacratiſſima Deipara, ut quondam illa Anna junioris Tobiæ Mater, quæ dilectum Filium ſuum, quem Pater priùs cum chirographo in Rages civitatem Medorum ad Gabelem pro decem argenti talentis recipientis ablegaverat, quotidie in ſupercilio montis, unde reſpicere de longinquo poterat, ingenti animi cum dolore exſpectans exſpectaverat? tandem cùm illum de longe cum nova & divite familia adventantem agnovit, præ gaudio & lacrymis exultans, ad Tobiam ſeniorem, maritum ſuum feſtinavit, illique hóc fauſtum nuntium indicavit: *Ecce venit filius tuus*, &c. Tob. 10. 6.

Faceſſant umbræ: plùs hìc, quàm Tobias & Anna. Poſtquam mitiſſimus Servator JESUS, illud, quod adversùs nos erat, chirographum decreti de medio tulit, & pretio Sanguinis pro omnibus ſolvens, cruci affixit, ſoluto quoque mortalitatis debito non ad Gabelem, ſed ad Patres in limbo detentos profectus eſt, ubi uſque in tertium diem moratus, in ſingula momenta à dolentiſſima Matre exſpectabatur. O quoties tunc cum Anna ingeminavit: *Ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum? Oſtende mihi faciem tuam, & ſonet vox tua in auribus meis.* Col. 2. 14. Cant. 2. 14.

Et ecce, cùm tertiâ die circa aureum auroræ tempus; ô verè aurea hora! beatiſſima Mater oculos attollit, vidit repentè Angelorum multitudinem, velut Chriſti familiam præcedentem, qui hanc Sacratiſſimam Deiparam hoc læto cantico ſalutârunt: *Regina cœli lætare alleluia, quia quem meruiſti portare alleluja, reſurrexit, ſicut dixit alleluja.* Et cùm hæc feſtivo plauſu cantantur, in puncto adſtat ipſe Rex gloriæ & Orci triumphator, Chriſtus redivivus, non ut vir dolorum lictoribus carnificibus & rabulis, paulò antè in paſſione ſtipatus, ſed innumeris Angelis, & SS. Patrum animarum turmis, quas de limbo & purgatorio liberaverat, comitatus, immenſoque divinitatis ſplendore circumamictus, ubi teſte Divo Anſelmo ita hanc dilectiſſimam ſuam Matrem allocutus eſt: *Gaude gaudio magno, ô Mater, quia, quæ DEUM & Hominem peperiſti, & propriis uberibus enutriſti, vidiſti in cruce pendentem, videbis in cœlo regnantem, videbis omnem altitudinem cœleſtium, terreſtrium, & infernorum inclinatam ejus majeſtati* &c. Quid hìc exſpectas, Lector & Cultor Mariane? Certè non ſe poterat hìc ulteriùs capere dulciſſimum COR MARIÆ, tam ſubito & immenſo ſolatiorum & deliciarum pelago ſuperaffuſum: hinc ſine mora hæc Sacratiſſima Deipara ad Diviniſſimi Filii ſui pedum exoſculanda & adoranda Vulnera ſe abjecit, ſed à dilectiſſimo Nato inde manibus ſublevata, dulciſſimò pectori plagæque laterali admota eſt; imò ut penitus COR JESU cum columba illa myſtica intraret, S. Anſelm. cit. ab Anton de Rampel. in Fig. Bibl.

Cant. 2. 14. Vide Laur. Leppl. in Lum. Sac. ſuaviſſimè invitata: *Surge amica mea, & veni in foraminibus petræ, & caverna maceriæ, en patet tibi cor meum, quæ es cor meum, intra in omne gaudium Filii tui.*

5. O Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, non es ampliùs Mater *Benoni*, ut quondam illa Rachel in partu moriens, filium ſuum vocaverat *Benoni*, hoc eſt: *Filium doloris mei*; talis, inquam, Mater & tu pridie ſub cruce quidem extitiſti; verùm nunc alio te nomine cœleſtis ille Pater appellari voluit, Matrem videlicet *Benjamin*, quod idem eſt, quàm *Mater Filii dextræ*, dum benigniſſimus JESUS, Filius tuus per mortem crucis exaltatus, nunc *ad dextram Patris* ſeſſurus, ut Judex univerſorum conſtitutus eſt. O quis tibi nunc ſenſus, ô pretioſiſſima Mater, ac Domina totius univerſi? Quis tibi nunc ſenſus, ſic innixa ſuper Dilectum tuum? Verè *dextera Domini fecit virtutem*, ita enim conveniens erat, ut Mater, quæ plùs, quàm creaturæ omnes, Filium ſuum dilexit: *Sicut Mater unicum diligit filium, ſic ego te diligebam*: & quæ plurimùm hactenus ſaluti hominum promovendæ allaboravit, à Filio tantorum meritorum non immemore, nunc reſumpto & glorificato corpore, ante omnes alias creaturas per præſentiam ſuam honoraretur, & totius humani generis digniſſima Advocata denominaretur; ita enim citatus S. Anſelmus Chriſtum Dominum tunc in conclavi ad Sacratiſſimam Matrem ſuam loquentem introducit: *O intemerata, & æternum Benedicta! quanta eſt tua charitas? Quanta eſt tua benignitas? Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi DEI: Eſto Mater miſericordiæ, & peccatorum Advocata, ut omnes gaudeant ad te, conſolentur per te, &c.*

Gen. 35. 18.

Pſalm. 117. 16.

3. Reg. 1. 26.

S. Anſelm. Ep. loc. cit.

O beatiſſima Virgo & Mater! verè Mater amoris & doloris, quis te non honoret? Quis non amet te? Quis, quæſo, Chriſtianorum, non te in ſuam dilectiſſimam Matrem, Dominam & Advocatam eligat? Et tu, anime mi, quid agis? Ad quid moras nectis? Gratulare cumprimis huic tali ac tantæ Matri, & venerare illam, atque exalta, quantùm potes, cùm tamen ſit major omni laude: Humilia te coram tanta Domina, cœli, terræque Regina, & de novo ipſi te in mancipium conſecra, perire enim non potes, ſi tanto Filio tam digna Mater pro tua ſalute ſupplicaverit: *Miſerebitur ejus, ſi fuerit pro eo Angelus loquens*; quanto magis ſi ipſa Regina Angelorum? Audi Melifluum: *MARIAM*, inquit, *Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit.* Audis: *Efficaciter.*

Job. 33. 24.

S. Bernhard. ſerm. 1. Aſſumpt. B. M. tol. 53.

Gen. 22. 2. 6. Memores vos hìc eſſe volo, animæ Chriſtianæ! illius glorioſiſſimi, Patriarchæ Abraham, cui quondam DEUS mandavit, ut Filium ſuum unigenitum Iſaac ſibi in holocauſtum immolaret, qui de nocte conſurgens ad illum

Digitized by Google

illum locum abiit, quem præceperat ei DEUS. Cæterùm inquirunt hic SS. Patres, utrùm Sara uxor Abrahami hujus filii ſui necis conſcia fuerit?

Reſpondet ad hanc quæſtionem Magnus ille Aurelius Auguſtinus: Matrem conſciam hujus futuræ necis fuiſſe, prout in Conſideratione de valedictione Doloroſæ Matris mentionem fecimus; proinde hunc unicum & unicè dilectum filium ſuum ægre à ſe dimiſit, eumque ad mortem properantem irremediabilibus lacrymis deploravit. Verùm ſiſte lacrymas tuas, ô Sara! non habes, quod adeò doleas: ecce, felicia nova tibi fero; Filius tuus unigenitus, quem diligis, Iſaac, vivit, & in gentem magnam conſurget, & benedicentur in ſemine illius omnes gentes terræ: O quis dicet, quantùm gaviſa ſit pia illa Mater, dum de novo Iſaacum Filium, quem jam triduo ab hinc immolatum eſſe credidit, redivivum in ſinum ſuum recepit: *Sara*, inquit Joſephus de Antiquitate Judæorum, *incredibili gaudio lætata fuit filium ſuum de Sacrificio vivum redeuntem videndo.* Quale igitur gaudium oportet fuiſſe in Sacratiſſima anima B. Virginis & Matris DEI MARIÆ, dum unicum ac unigenitum & ſuper omnia dilectiſſimum Filium ſuum JESUM poſt tam cruentam lanienam & amariſſimam crucis necem nunc denuo redivivum, non ut Iſaacum exiguæ poſſeſſionis hæredem, ſed ut ſupremum cœli terræque Dominum inter feſtivos & Angelorum & beatarum animarum applauſus intuita, atque complexa eſt? Hìc verificatum fuit illud Vatis Regii: *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.*

S. Aug. de Temp. ſerm. 73. Tom. 10.

Joſeph. 6. Antiq. Jud.

Pſal. 29. 6.

7. Hìc vidiſſes, anima Chriſtiana, quanto honore ſancti illi Patriarchæ, qui priùs in Veteri Teſtamento Chriſti typum geſſerunt, hanc Sanctiſſimam DEI Genitricem, tanquam progenitores illius, & qui ardentiſſimis hactenus votis ſalutem Iſrael expectarant, tunc in reſurrectione Chriſti venerati ſint, & quàm inſignibus elogiis atque encomiis eam deprædicârint: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & euntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Inter quos cumprimis fuit Adam generis humani parens; ô quantùm ſibi tunc congratulabatur, quando hanc Sacratiſſimam Deiparam de ſemine ſuo ortam, ſed tamen immaculatam, primâ vice conſpicatus eſt? Hæc, hæc, inquiebat, eſt illa Mulier fortis, quæ jam ab origine mundi callidi ſerpentis caput contrivit: *Ipſa conteret caput tuum.* Hæc, dicebat Abraham, eſt vera illa Sara, quæ peperit nos: *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis.* Hæc eſt illa Rebecca, ajebat Iſaac, quæ verum Jacobum enixa eſt, quem induit veſtibus valde bonis & odoriferis, dum de carne ſua virginea Chriſto Salvatori noſtro humanitatem ſubminiſtravit, per quam in cruce nos redemit. Hæc, ſubintrabat Jacob, eſt illa, gratioſa cœli ſcala, ad quam Dominum quondam innixum vidi, & Angelos DEI deſcendentes, & aſcendentes, per quam & peccatores oportet in cælum aſcendere. Hæc, dicebat

Matth. 27. 52.

Geneſ. 3. 15.

Iſa. 51. 1. Geneſ. 27. 17. Geneſ. 28. 12.



Digitized by Google

Exod. 3. 2. Moyſes, eſt ille rubus incombuſtus, & in medio ignis illæſus, quem quondam
Num. 17. 8. ad montem Horeb conſpicatus ſum. Hæc, reponebat Aaron, eſt illa Virga Amygdalina ſemper florens, & germinans, germinansque germinabit.
Jud. 6. 37. Hæc, dicebat Gedeon, eſt illud Vellus in area quondam mea expanſum, in
Pſalm. 44. 10. quod pleno ſinu ros de cœlo deſcendit: *Ros in ſolo vellere.* Hæc, ſucclama-
Iſa. 11. 1. bat David, eſt illa Regina, quam in umbra vidi adſtantem à dexteris DEI in veſtitu deaurato & circumdatam varietate. Hæc eſt illa *Virga de radice Jeſſe*, dicebat Iſaias, de qua flos aſcendit, qui de ſeipſo ait: *Ego ſum flos campi*, ſuper quem requievit Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectûs, &c.
Jerem. 31. 22. Hæc eſt illa ſancta Mulier ajebat Jeremias, de qua olim prophetavi: *Creavit Dominus novum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum.* Hæc eſt porta
Ezech. 44. 2. illa Sanctuarii, repoſuit Ezechiel, quâ ſolus DEUS ingreditur: *Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus DEUS*
Cant. 6. 8. *Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Hæc, denique, acclamabant omnes, ſupergreſſa eſt univerſas, viderunt eam filiæ Sion, beatiſſimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam, &c.

O verè beata Parens! nunc tandem adimpletum fuit illud tuum vatici-
Luc. 1. 48. nium: *Beatam me dicent omnes generationes;* Priùs in paſſione & morte Filii tui JESU mare fuiſti, heu nimis amarum! ſed nunc, pientiſſima! mare es omnium gratiarum, gaudiorum & miſericordiam; nunc tandem ſiluerunt fluctus, quos Dominus induxit ſuper te, & ſecundùm multitudinem dolorum tuorum in corde tuo, conſolationes Domini lætificaverunt animam
Pſalm. 93. 19. tuam; ah glorioſa Domina, fac & nos miſellos tuos clientes hujus tuæ conſolationis ac gaudii participes, ac tunc præſertim, quando anima noſtra de
2. Cor. 5. 10. hoc mortali corpore in ſumma amaritudine egreſſura eſt, *ut recipiat, prout ſe geſſit in corpore, ſive bonum, ſive malum.* Ah dulciſſima Mater! quomodo poteris ſubſcribere ſententiæ æternæ damnationis noſtræ? non poteris, non poteris, quia Mater miſericordiæ es, & miſericordiam nobis genuiſti; igitur miſericordias tuas in æternùm decantabimus.

CON-

# CONSIDERATIO LIV.

## B. Virgo Filium in monte Olivario (ubi priùs paſſioni initium datum) nunc ad cœlos aſcendentem contemplatur.




**Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus.** *Epheſ.* 4. 8.

1. SApientiſſimo Solymæorum Regi tria quondam videbantur intellectu difficilia, quartum autem penitus ſe ignorare ingenuè profitebatur: *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam navis in medio maris, & viam viri in adoleſcentia.* Proverb. 30. 18. Omnia hæc admiratione digna ſunt; & quis non miretur aquilam mole corporis gravem, ſolis ſuis ſuffultam alis, per auram ad altiſ-

ſi-

ſimam aëris regionem & ad nubes uſque penetrantem? Quis non obſtupeſcat columbrum pedibus & pennis carentem,per petras tamen altiſſimas ac ſaxa prærupta velociſſimè ſerpentem, ac lubricando currentem? Quis non ſuſpiciat navem mercibus grandiſſimisque oneratam ſarcinis,ad inſtar piſcis nullo ſui relicto veſtigio, maris fluctibus innatantem? Quartum autem, quòd ſapientiſſimi Regis ſuperabat intellectum,erat via viri in adoleſcentia, quæ vaga admodùm eſt & inſtabilis,& tamen adoleſcentem eſſe virum, qui in illa prima juventute virtute præcoci annos vincit, & ætatem præcurrit? Hoc equidem, licèt ſapientiſſimus, capere non poterat.

Jerem. 31. 22. Singula hæc voluint aliquid, attentas requiro aures. Per viam viri in adoleſcentia incarnatio Verbi adumbrata eſt; in qua *fœmina circumdedit virum.* ibi enim in utero illibatæ VirginisChriſtus vir erat à primo conceptionis inſtanti planè perfectus. Per viam navis in medio màris crux Dominica rectè intelligitur, quæ Chriſto in mari rubro paſſionis velut navis extitit, & nobis in hoc mari magno & ſpatioſo hujus mundi im̃undi etiamnum eſt, quâ mediante tuti ad ſalutis æternæ portum transvehimur. Per viam colubri ſuper petram idem Chriſtus præſignatus eſt, quiformam peccatoris quidem ſuſcepit, veneno tamen peccati caruit, imò peccata noſtra ſuo ſanguine expiavit, dum, ſicut olim ſerpens in deſerto, in cruce exaltatus pependit. Per viam denique aquilæ in cœlo admirabilis ejusdem pretioſiſſimi Redemptoris noſtri ad cœlos aſcenſio præſignata eſt: *Attende*, inquit B. Albertus Magnus, *quod per aquilam, de qua hic agitur, DEI Filius figuratur qui ad præceptum Patris elevatus eſt in aſcenſione, & in arduis cælorum poſuit nidum ſuum, &c.*

Joan. 3. 14. B. Alb. M. Serm. 1. de Aſcenſ. D.

Solet autem aquila aviumRegina viſum habere perſpicaciſſimum, quæ in ſum̃a aëris regione volitans, natantem in fundo maris piſciculum proſpicit, unde Lemma: *Profundiſſima quæque*, vel in infimis terræ vallibus ac ſcrobibus latitantem lepuſculum, ad quam invadendam prædam ingenti cum celeritate advolat, eamque in altum rapit, & inter pullos ſuos dividit; ita *Chriſtus*, ſubintrat hìc Apoſtolus, *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ*, hoc eſt, ad Juſtorum limbum, quos è carcere liberatos glorioſus Victor duxit in triumpho in cœlum, unde pro Lemmate huic myſticæ aquilæ inſcribere placuit illud Eccleſiæ, quòd in hymno S. Crucis decantat:

Epheſ. 4. 8.

## Tulit prædam tartari.

2. Quòd autemSS.Deipara glorioſiſſimamFilii ſui ad cœlos aſcenſionem præſens in monteOliveti cũApoſtolis ſpectàrit, interOrthodoxos extra controverſiã eſt,hoc enim exApoſtolorumActibus expreſſe deducitur, in quibus S. Lu-

L. Lucas comemorat: *Tunc reverſi ſunt Jeroſolymam à monte, qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Jeruſalem, ſabbati habens iter --- Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum Mulieribus & MARIA Mater JESU.* Si igitur Maria ab aſcenſionis loco ad montem & cœnaculum Sion cum Apoſtolis & SS. Mulieribus reverſa eſt, ergo præſens erat in aſcenſione chariſſimi Filii; & quomodo in hoc glorioſo triumpho abeſſe poterat, quæ priùs per omnem vitam, quantùm poterat, Filium ſecuta eſt, neque in paſſione & morte crucis ab eo ſeparari potuit? Obſervat hic Cornelius & alii, quàm ſuavia fuerint colloquia Chriſtum inter & SS. Matrem ejus inſtituta, qui ut majorem quoque fidem, ſpem, amorem ac reverentiam ſuis imprimeret Diſcipulis, Sacratiſſima & glorificata Vulnera in manibus ac pedibus eis præbuit exoſculanda, ex quibus ſuaviſſimus ac fragrans odor eos mirum in modum recreabat, *Matri verò ſuæ*, ait V. P. Ludovicus de Ponte, *obtulit etiam oſculandum latus, quæ in illud ſe abderæ, in eoque cum Chriſto aſcendere geſtiebat.* Juvat hic audire S. Anſelmum: *O bone JESU!* inquit, *tuæ dulciſſimæ Matris Filius, quomodo potuiſti pati, ut te in regnum gloriæ tuæ remeante, illam quaſi orbatam in miſeriis hujus mundi relinqueres, & non eam ſtatim tecum regnaturam aſſumeres?*

Actor. 1. 12.
Cornel. hic in Actus.
Ludovic. de Ponte meâ. de Aſcenſ. Dom.

Verùm alia ſunt DEI, alia hominum judicia: *Prudentiori ergo*, pergit idem S. Anſelmus, *& dignori conſilio uſus, præcedere illam volebas, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præparares, ac ſi comitatus totâ curiâ tuâ feſtivus ei occurreres, eamque ſublimiùs, ſicut decebat tuam Matrem, ad te ipſum exaltares.* Proin rectiùs & meliùs Chriſtus eam adhuc aliquo tempore in mundo relinquere voluit, ut tanquam firmiſſima columna Eccleſiam fulciret, Apoſtolos pleniùs inſtrueret, primos Chriſtianos in tot perſecutionibus ſolaretur, recens converſos, qui adhuc lacte Matris indigebant, enutriret, & perpetuâ virtutum exercitatione merita ſua ad altiſſimum gloriæ faſtigium augeret, atque ſic corona illius in cœlo, quæ debebat eſſe æterna, magis & in imenſum grandeſceret. Vide hic, anime mi! quàm prudenter Divina Sapientia omnia ordinet in ſuum finem. O quis dicet, vel mente aſſequi poterit, quàm peramanter valedixerit Filius tantus tantæ Matri, priuſquam ad Patrem aſcenderet? O dilecte Chriſti JESU Diſcipule! quare de hoc nullam feciſti mentionem?

S. Anſelm. de Excell. V. cap. 7.

3. De Jacob Patriarcha referunt Sacræ Paginæ, quòd exundantem & rapidum Jordanis fluvium ope baculi ſui feliciter tranſierit, atque cum duabus turmis in patriam ſuam poſt tam longam exantlatam apud Labanum ſervitutem regreſſus ſit: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Per hunc baculum Patres comuniſſimè, ac præſertim S. Auguſtinus, SS. Crucem ſubaudiunt, in qua Chriſtus Dominus Jordanem paſſionis feliciter tranſivit, & cum duabus turmis, velut alter Jacob, unâ Angelorum, alterâ hominum, in cœleſtem patriam, unde priùs exierat regreſſus eſt: *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.*

Geneſ. 32. 10.
S. Auguſtin. ſerm. 79. de Temp.

Placuit autem pretioſiſſimo Redemptori noſtro priùs prandium in Jeruſalem in cœnaculo Simonis cum Apoſtolis ſumere, quo finito, SS. Matrem & alias Marias ac Diſcipulos (numero viginti & centum) ad montem olivarium è Bethania eduxit, quem & cœleſtes Angelorum hierarchiæ, & beatæ illæ animæ, quas per paſſionem ſuam è lymbi carcere liberavit, velut duæ turmæ glorioſiſſimæ licet oculis humanis inviſibiles, comitatæ ſunt, ut hunc triumphum potentiſſimi de Orco, morte & peccato Triumphatóris redderent glorioſiorem: *Adeſt itaque*, inquit S. Bernhardinus, *dilectus JESUS medius inter has turmas, utraſque in ſeipſo invicem mirando amore connectens; in baculo namque ſuo ſanctiſſimæ Crucis pertranſiens Jordanem noſtræ mortalitatis: nunc cum his ſanctiſſimis turmis, unâ in ſe transformatâ per gratiam; quam ad tempus relinquebat in terris, alterâ in ſeipſo glorificatâ, vel beatificatâ per gloriam, quam ad ſuæ aſcenſionis ſocietatem adducebat, ad cœlos reverſus eſt.*

S. Bernhardin. Tom. 3. ſerm. 1 art. 1. cap. 3. de Aſcenſ.

Obſervat hîc Abulenſis, Chriſtum Dominum, antequam ad Patrem aſcenderet, cum SS. Matre ſua & aliis Diſcipulis tum in via versùs Bethaniam, tum in ipſo Oliveti monte longum diſſeruiſſe ſermonem, in quo eos ob diſceſſum ſuum mirè conſolatus eſt, proponens eis, quòd nunc ex hoc mundo ad Patrem & in cœlum iret, æternas ipſis præparaturus manſiones, Spiritum Sanctum proximè miſſurus, & perpetuus apud Patrem futurus advocatus, &c. Quo terminato dulci colloquio, & ſupremâ datâ benedictione, pergit idem Abulenſis: *Deſcendit de aërea regione quædam nubecula uſque ad pedes Salvatoris, factaque eſt in modum throni, aut geſtatoriæ ſedis, ut ſic Chriſtus in ea ſeſſurus videretur. Tollebatur autem illa nubes paulatim in excelſum; Chriſtus quoque in ea aſcendebat, ac ſi in ea ſederet, major tamen pars corporis Salvatoris noſtri nube velata non erat, ut ſic Diſcipulis vultus ille videndus concederetur*, &c.

Abulenſ. Paradiſ. 5. cap. 16.

4. Aſcendit autem mitiſſimus JESUS ab initio paulatim in aëra pro conſolatione amantiſſimæ Matris ſuæ & dilectorum Diſcipulorum, cum autem venit ad ſuperiorem aëris regionem, ex oculis eorum ſublatus in puncto & in ictu oculi per omnes cœlos uſque ad dexteram Patris penetravit. Nihil hîc raptus Enoch de terra in aëra, & per aëra in paradiſum ſublati: *Et non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Nihil raptus Eliæ in curru igneo ad paradiſum transvecti: *Ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Nihil raptus Habacuc, quem Angelus, ſubitò ex Judæa in Babylonem tranſtulit: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus; & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylone ſupra lacum in impetu Spiritûs ſui.* Nihil raptus Philippi Ap. ab Angelo ex via Gazenſi ſubitò in Azotum, quæ à Gaza quadraginta diſtat milliaribus, traducti: *Cùm autem aſcendiſſent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs non vidit eum Eunuchus.* Nihil raptus omnium Apoſtolorum ex variis

Geneſ. 5. 24

4. Reg. 2. 11.

Daniel. 14. 35.

Actor. 8. 39.

variis mundi partibus Hieroſolymam ad obdormitionem SS. Deiparæ in nube transvectorum: *Cùm jam*, inquit S. Damaſcenus, *adeſſet tempus exceſsûs, illa quidem vera vita Mater in Sion jacebat in grabato; per nubem autem congregat ſuos Filius Diſcipulos, ut venerandum ejus Corpus mandarent ſepulturæ.* Hi omnes Angelorum ope & miniſterio ſubitò alium in locum transmiſſi ſunt; verùm JESUS, DEI & MARIÆ Filius, propriâ ac Divinâ virtute ſuper omnes cœlos aſcendit, unde Pſaltes Regius: *Exaltare Domine in virtute tua: Cantabimus & pſallemus virtutes tuas.* S. Damaſc. in orat. de dormit. SS. Deip. Pſalm. 20. 14.

5. Hîc adimpletum fuit illud Eccleſiaſtis: *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur; ibique renaſcens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem, luſtrans univerſa in circuitu.* Sol iſte juſtitiæ & myſticus eſt Chriſtus DEUS noſter in ſtabulo Bethlemico ortus, de quo Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ.* Occidit autem in cruce, ubi *ſanitas in pennis eius*, hoc eſt: In extenſis in cruce & per modum crucis brachiis, quibus adumbravit nos. Ad locum autem ſuum reverſus eſt, ait S. Bernhardinus, *in aſcenſione, ibique renaſcens, ſcilicet effectivè, quia nos fecit renaſci per aquam & Spiritum Sanctum,* & qui priùs de torrente paſſionis in via biberat, nunc tandem *exaltavit caput.* Eccleſ. 1. 5. Mal. 4. 2. S. Bernhardin. Tom. 3. ſerm. 1. Pſalm. 109. 7.

Hîc verificatum fuit ſtupendum illud prodigium, ubi ſol in gratiam ægrotantis Ezechiæ Regis per novem gradus uſque ad decimum, hoc eſt, uſque ad crucem X. in horologio Achaz regreſſus eſt; & exinde rurſus viam ſuam & ſtationem priſtinam repetiit; quare lætus Rex, & nunc ab infirmitate ſanatus DEO ſoſpitatori ſuo O.M. carmen Euchariſticum cecinit, illudque publicis in tabulis exarari, & proponi fecit: *Hoc autem tibi erit ſignum a Domino, quia faciet Dominus verbum hoc, quod locutus eſt: Ecce, ego reverti faciam umbram linearum, & per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat.* Sol iſte Chriſtum præſignavit per novem gradus, hoc eſt, per novem Angelorum choros in incarnatione deſcendentem, ubi in occaſu ſuo orbi ægrotanti ſalutem tulit, & exinde majori cum ſplendore reſurgens iter ſuum per glorioſam & admirabilem aſcenſionem ſuam in cœlum relegit, ô quanta cum gloria & majeſtate, ac omnium cœlitum aggratulatione! *Repræſentabat*, ait Cornelius, *Chriſtum deſcenſurum decem lineis, id eſt, ſummè infra omnes Angelorum & hominum choros in paſſione; inde rurſum aſcenſurum ad Patrem.* Iſa. 38. 7. Cornel. hîc.

Hîc impletæ ſunt pulcherrimæ illæ figuræ, quæ glorioſiſſimam hanc pientiſſimi redemptoris noſtri aſcenſionem & exaltationem in umbra præſagiebant. Vide Joſephum priùs humiliatum, à fratribus afflictum, in ſervitutem divenditum, incarceratum, compedibus oneratum, ſed tandem ſuper omnes exaltatum: *Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum*, &c. Geneſ. 41. 43.

Eſth. 6. 11. Vide Mardochæum ab impio Amano deſpectum, ad crucem & ad mortem deſtinatum; ſed nunc ſubitò ad regios honores aſſumptum: *Hoc honore condignus eſt, quemcunque Rex voluerit honorare.*

Judic. 16. 3. Vide Samſonem, fortiſſimum, deluſum, & à Philiſtæis circumſeſſum; ſed nunc portas æreas in Gaza confringentem, & ad ſummum montis cacumen aſportantem: *Apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitasque humeris ſuis portavit ad verticem montis,* &c.

1. Reg. 17. 6. Vide Davidem olim contemptibilem atque deſpectum, ſed ubi ſtravit gigantem, nunc glorioſiſſimè de inimicis ſuis triumphantem: *Porrò cùm reverteretur percuſſo Philiſtæo David, egreſſæ ſunt mulieres de univerſis urbibus, cantantes, chorosque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris,* &c.

Job. 42. 10. Tirin. hic. in fine. Matth. 28. 18. Vide Jobum, virum quondam dolorum, ac noviſſimum virorum, à planta pedis uſque ad verticem plagâ peſſimâ percuſſum; ſed nunc reddidit ei Dominus omnia duplicia: *Et addidit Dominus omnia, quæcunque fuerant Job duplicia.* Subintrat hîc Tirinus: *Job omnia hæc mala ſuſtinuit incredibili patientiâ, humilitate & conſtantiâ, ſed excluſa morte: Chriſtus uſque ad mortem incluſam, mortem autem crucis; Jobo reddita omnia duplicia: Chriſto omnia centuplicia,* quia data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Adverte; huic data eſt omnis poteſtas, qui prius *humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum,* &c. O humilitas! tu ſola exaltas, qui non deſcendit, non aſcendit.

Phil. 2. 8.

Luc. 2. 19. Cant. 1. 3. 6. Et quid interim SS. Virgo, ubi cum tanta gloria & majeſtate dilectiſſimum Filium ſuum ad cœlos aſcendentem contemplata eſt? *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Credo eam cum dilecta illa Sponſa ſæpiùs illud animo ingeminâſſe; *Trahe me poſt te; in odorem curremus unguentorum tuorum.* O quæ lingua effari, quæ mens humana aſſequi, & quis intellectus capere poterit hujus SS. Deiparæ amoris affectus, deſideria, & lacrymas amoroſas, quibus Filium ſuum in cœlum abeuntem proſecuta, & comitata eſt? Si Iſraël quondam ingenti ac inſolito gaudio affectus eſt, ubi Pharaonem tyrannum & exercitum mari rubro obrutos, ſe autem ſalvum ac incolumem in littore ſpectavit: *Tunc cecinit Moyſes & Filii Iſraël carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino; glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare.* Quanto majore gaudio SS. Cor Virginis [per]fuſum eſt, ubi hoſtes tartareos modò rubro Filii ſanguinis pelago demerſ[o]s, SS. Patres ex obſcuro lymbi carcere liberatos, & æternæ beatitudinis ſto[la] veſtitos, Filium verò impaſſibilem, im̃ortalem, ſplendidiſſimaque luce [ci]rcumfuſum, velut potentiſſimum de morte, mundo, peccato & diabolo [t]riumphatorem, in veſte candicante & partim purpuraſcente (prout vult Cornelius) per dotem agilitatis ſeipſum in cœlum empyrcum librantem

Exod. 15. 1.

de

Digitized by Google

de longè intuita eſt? Si Abraham gaviſus eſt,ut videret diem hanc; *Cur non ineffabili gaudio*, ait S. Anſelmus, *hac Mater lætaretur,quando Filium ſuum unigenitum omnes cælos dominandi jure penetrare, ac in DEI Omnipotentis vidit Conſeſſum aſcendendo pertingere*? Joan 8.56. S. Anſelm. de Excell.V. cap 6.


7. Cùm Alexander Magnus ſuperato & cæſo Dario ultimo Perſarum Rege, ut glorioſus Triumphator Babylonem ingreſſus eſt,in honorem tanti orbis domitoris cives vias omnes odoriferis floribus ac coronis conſtravêre, erectis ex utraque platearum parte argenteis altaribus,quæ thure & thymiamate aliiſque pretioſis erant cumulata odoribus,populo interim applaudente & ſucclamante: *Vivat Rex.* LeBlanc. in Pſalm. 67. 5.

Faceſſant umbræ: *Attollite portas principes veſtras: Et elevamini portæ æternales,& introibit Rex gloriæ.* Et ſi quæritis,ô cœli Principes,ô Angeli & Archangeli! quiſnam ſit ille Rex gloriæ? In promptu reſponſum eſt: *Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio*, in quo hoſtes omnes vicit,fregit,contrivit. Et ſi moras trahitis bis interrogando; *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Rex ille im̃enſâ nunc affulgens gloriâ & majeſtate, atque ſuper omnes cœleſtes orbes cum illuſtri Juſtorum comitatu ſe inferens, veſtrorum quoque agminum Princeps eſt: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* O im̃enſam & Angelorum & Beatarum mentium lætitiam! quis dicet, quis effabitur, quo honore & amore æternus Pater hunc ſuum dilectiſſimum Filium exceperit; *Surge* ergo,Domine JESU,Fili DEI & MARIÆ! *ſurge in requiem tuam, tu & arca Sanctificationis tuæ*; hoc eſt: Sanctiſſima humanitas tua paulò antè in ligno crucis ſuſpenſa,ſed modò ſuper omnes Angelorum choros exaltata. O quàm diverſus eſt modò ille comitatus in cœlum glorioſè aſcendentis, & paulò antè in montem Calvarium inter carnifices & latrones crucem bajulantis! Pſalm.23.7. Pſal.131. 8.

O Mater amoris & doloris! quid tu ad iſta, quando Sanguinem tuum ex tuis SS. viſceribus Spiritûs S. virtute quondam deſumptum,nunc ad tam im̃enſam gloriam elevatum conſpicata es? Si Reginæ Auſtri non erat ampliùs Spiritus,ubi Regem Sapientiſſimum in tanta gloria intuita,atque contemplata eſt: *Non habebat ultrà Spiritum*; quid dicam de te, ô Domina mundi & totius univerſi! quæ juxta probabilem Theologorum opinionem in incarnatione Verbi,& in reſurrectione ac aſcenſione ejuſdem eſſentiam DEI vidiſti,ita enim *decens & æquum erat*, ait Paulus de Barry, *eam,quæ Filii ſui cruciatus acerbiſſimos contemplata dolorum Oceano mergebatur, viciſſim ejuſdem Nati ſui mortem triumphantis de torrente Divinæ voluptatis ac intuitûs abſorberi.* O animæ mi! humilia te coram tanto Filio ac tanta Matre; gratulare eis, venerare & exalta, quantùm potes, &c. 3 Reg 10. 5. Paulus de Barry c. 5. in anno Mar.

# CONSIDERATIO LV.

## Secundùm multitudinem dolorum conſolationes Spiritûs Sancti lætificant animam B. V. MARIÆ in die Pentecoſtes.




**Ego, ego ipſe conſolabor te.**
*Iſa.* 51. 12.

1. CUm pientiſſimus orbis melioris Reparator & Eccleſiæ ſuæ providentiſſimus Paterfamilias Chriſtus nunc in cœlum abiiſſet, dilectiſſimã Matrem ſuam hujus ſacri cœtus & familiæ ſuæ velut Matremfamilias adhuc aliquo tempore relinquere voluit, ut loco ſui & Apoſtolorum & cunctorum Mater eſſet fidelium. Proinde B. Virgo à monte Oliveti ad montem Sion revertens decem ibidem dies cum primis Chriſtianis numero centũ & viginti in oratione aſſidua tum mentali, tum vocali perſeveravit, & adventum

Digitized by Google

tum Spiritûs Sancti ferventiſſimâ oratione ſuâ quàm maximè acceleravit, quid enim non poterat impetrare Filia à Patre, Mater à Filio, & Sponſa à Sponſo? *DEUS*, ait S. Vincentius Ferrarienſis, *orationi, precibusque B. Virginis adventum Spiritûs ſui alligavit*; ad quod pariter alluſiſſe videtur Evangeliſta, dum ſcribit, quòd Apoſtoli unà cum SS. Deipara ad Spiritûs Sancti miſſionem ac receptionem ſeſe per unanimem & ferventem orationem præparârint: *Erant perſeverantes in oratione cum MARIA Matre JESU*, quibus mitiſſima Virgo ſine dubio admirabiles Spiritûs S. virtutes, quas per experientiam optimè noverat, interim explicavit, ut ſic eos ad ardentiùs orandum, Divinumque hunc Spiritum poſtulandum excitaret. Et ecce ubi tandem læta illa dies affulſit, quo DEus æſtuantiſſimo piarum harum mentium ſatisfaceret deſiderio, deſcendit Spiritus S. de cœlo ſub ſpecie ignis, coronans Virgineum Caput MARIÆ, ſeditque ſuper ſingulos: *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto*, &c. S. Vincent. Ferr. ſerm. de Pentecoſte. Actor. 1. 14. Actor. 2. 4.

Nos pro Emblemate rorem matutinum ſtatuimus, tranquillo ac ſereno tempore de cœlo cadentem, & languentes hortorum floſculos, ſicca prata & exuſtos ſolis calore agros mirum in modum recreantem, unde Lemme: *Toleratæ præmia noctis*; vel ſi mavis:

## Dulce refrigerium.

Languebat procul dubio pretioſiſſima Virgo & cum ea Eccleſia primitiva ex abſentia dulciſſimi Sponſi ſui nunc in cœlo ad Patris dexteram in ſede majeſtatis collocati, ſed ubi S. Spiritus Paracletus horâ diei tertiâ illis apparuit, non eos duntaxat in amore DEI ac proximi vehementer accendit, ſed & languentes eorum animos quaſi dulciſſimo conſolationis rore perfudit: *Ero quaſi ros Iſrael.* Oſe. 14. 6.

2. Noëmum quondam poſt tot exantlatos labores, ſuperatosque decumanos marium fluctus columba, olivam pacis roſtro ei ferens, mirè conſolata eſt: *At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Geneſ. 8. 11.

Agar filii ſui Iſmaëlis miſeram ſortem & imminentem mortem in ſolitudine amaris deplorans lacrymis ab Angelo Solatore confortata eſt: *Vocavitque Angelus DEI Agar de cœlo, dicens: Quid agis Agar? Noli timere, exaudivit enim DEUS vocem pueri*, &c. Geneſ. 21. 17.

Joſeph fratres ſuos ob comiſſum olim ſcelus pavidos paternè ſolabatur: *Nolite timere, ego paſcam vos, & parvulos veſtros, conſolatusque eſt eos, & blandè ac leniter eſt locutus*, &c. Geneſ. 50. 21.

Ruth fame preſſæ, & ſpicas in agro affinis ſui colligenti Booz ingenti ſolatio extitit: *Quæ ait: Inveni gratiam apud oculos tuos Domine mi, qui conſolatus es me*, &c. Ruth. 2. 13.

Tobias

Digitized by Google

Tobias in captivitate conſtitutus, quia apud Regem Salmanaſar gratiam invenit, mœrentia confratrum ſuorum concaptivorum corda miro

Tob. 1. 19. ſolatio mulcebat: *Quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eos.*

Job. 29. 25. Job de ſe ipſo ait: *Cumque ſederem quaſi Rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* O benigniſſime JESU, qui nunc ſuper omnes

Apocal. 19. 16 Angelorum choros in cœlo elevatus ad dexteram Patris ſedes, velut *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, circumſtante univerſo Angelorum exercitu,

Dan. 7. 10. quia *millia millium miniſtrant tibi, & decies millies centena millia aſſiſtunt tibi*, mœrentis tamen ac lugentis Matris tuæ Conſolator eſſe non deſiiſti, ſed eam per Spiritum S. Conſolatorem optimum maximum, benignè conſolatus

Iſa. 51. 12. es: *Ego, ego ipſe conſolabor te*: Non Angelus, aut Legatus, non homo, aut alia creatura, ſed *ego, ego ipſe conſolabor te*, omnemque mœrorem tuum in gau-

Sophron. ſerm. de Aſſumpt. dium inexplicabile convertam. Juvat hîc audire Sophronium: *Cogitate*, inquit, *& perpendite, quantis afficiebatur B. Virgo doloribus poſt Chriſti ad cœlos aſcenſum: conſiderate, quo cruciabatur amore, quove deſiderio æſtuabat hæc Virgo, dum revolveret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognoverat: Quanto indeſinenter cremabatur ardore pii amoris; quantis movebatur repleta Spiritu S. cœleſtium Secretorum incitamentis; quia etſi diligebat Chriſtum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, novis tamen quotidie inflammabatur præſentia abſens deſideriorum affectibus: tanto ſiquidem validiùs, quantò Divinis illuſtrabatur intus viſitationibus, quam totam repleverat Spiritûs Sancti gratia, quam totam incanduerat Divus amor, ita ut in ea nihil eſſet, mundanus quod violaret affectus, ſed ardor continuus, & ebrietas perfuſi amoris ejus.*

3. In hac Spiritûs S. Paracleti miſſione verificatum fuit illud Sponſæ;

Cant. 2. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.* Cella iſta vinaria rectè dici poterit domus illa, in qua ſanctiſſima Virgo cum Diſcipulis Domini erat in oratione congregata, ubi omnes à torrente voluptatis erant quodam̄odo abſorpti, & Spiritus S. gratiâ ac amore Divino inebriati; & quæ paulò antè ſub umbra crucis ſteterat dolorum pelago immerſa Mater, nunc ſub umbra Spiritûs S. qui Chriſti umbra appellari ſolet, cœleſti con-

Cant. 2. 3. ſolatione plena quieſcit, ubi cum Sponſa dicere poterat: *Et fructus ejus dulcis*

Pſalm. 93. 16. *gutturi meo*, & cum Pſalte Regio: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* En fructum exantlatæ paſ-

2. Cor. 7 4. ſionis & tribulationis toleratæ: *Repletus ſum conſolatione*, ait Gentium Doctor, *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*, quia Spiritus S. erat illi quaſi arrha ſalutis. O ſi tanta, tamque ſuavis arrha iſta eſt, quam DEUS ſervis ſuis elargiri aſſolet, quanta erit hæreditas ipſa, quam ſuo tempore dilectis ſuis præſtabit?

Hîc

Digitized by Google

Hîc adimpletum fuit illud Regii Vatis: *Fluminis impetus lætificat civitatem DEI.* Pſal. 45. 5.
Civitas DEI animata, ait Os Aureum, erat SS. Deipara, civitas ſancta, pulcherrima, firma, munita, omniqueſvirtutum & gratiarum genere ornata, in qua novem menſibus ipſe Dei Filius inhabitavit: Nunc, conſumatâ paſſione, fluminis impetus, hoc eſt, Spiritus S. hanc civitatem Dei mirum in modum lætificavit, ac gratiis ſuis, charismatumque donis replevit: *Spiritus Sanctus*, ait D. Athanaſius, *deſcendit in Virginem cum omnibus ſuis eſſentialibus virtutibus, quæ illi per rationem principatûs Divini adſunt, imbuens eam in gratia, ut in omnibus gratioſa eſſet, eò quòd adimpletione Spiritûs S. omnibus gratiis abundaret.* S. Chryſoſt. in orat. de Annunt. S. Athanaſ. hom. de SS. Deipara.

O anima Chriſtiana! ſi Maria omnibus Spiritûs S. gratiis abundat; ſi in illa eſt *gratia omnis viæ & veritatis*; ſi *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, quare in tentationibus, tribulationibus ac neceſſitatibus noſtris non ad hanc gratiarum Matrem accedimus, ut gratiam efficacem à Spiritu S. nobis impetret? Solent mundani gratiam ſuorum principum anxiè inquirere, Amanum & alios conſule, in qua tamen principum gratia non eſt ſalus, hæc autem Mater eſt cunctorum viventium, gratiâ Spiritûs S. plena, quæ nec peccatores à ſe rejicit, ſed benignè complectitur; ita ipſa ad S. Birgittam: *Nedum juſtorum, ſed etiam peccatorum, qui ad bonam frugem recipere ſe volunt, Mater ſum, eisque opem fero.* Eja anima, erige te: *Quicunque*, ſubintrat hîc Doctor Seraphicus, *ſeptiformem Spiritûs S. gratiam adipiſci deſideras, ipſum florem Spiritûs S. in Virga quærat, per Virginem enim ad Florem, per florem ad Spiritum in ipſo requieſcentem pervenimus; per MARIAM ad Chriſtum accedimus; & per Chriſtum gratiam Spiritûs S. invenimus.* Eccl. 24. 25. Joan. 1. 16. Eſth. 3. 2. In Revel. lib. 14. c. 138. S. Bonav. in Spec. cap. 6.

4. Olim in umbra legis ſanxit Deus, qua ratione & modo vitulus tener pro peccatis expiandis à Sacerdote eſſet im̄olandus, ubi voluit, ut in ſanguine ejuſmodi vituli Pontifex digito ſuo intincto ſepties altare propitiatorii, quod erat in tabernaculo, aſpergeret, ut per hoc accedentes ad tabernaculum delictorū ſuorom invenirent remiſſionem: *Cumque intinxerit digitum in ſanguine, aſperget eo ſepties coram Domino contra velum Sanctuarii*, &c. Hæc illis quondam facta ſunt in figura, nobis autem ſcripta ſunt ad correptionem & inſtructionem. Levit. 4. 6.

Per Sacerdotem Chriſtum ſubaudi, qui non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. Per vitulum tenerum pro delictis hominum im̄olatum ejus humanitatem intellige, per altare SS. Cor Virginis ac Matris doloroſæ, ſepties Sacroſancto Redemptoris ac Filii ſui pretioſo cruore reſperſum primò in circumciſione; ſecundò in agonia in horto, cujus non ignara fuit; tertiò in flagellatione; quartò in coronatione; quintò in veſtium detractione; ſextò in crucifixione; ſeptimò in cordis apertione; unde rectè S. Hieronymus in quodam ſermone: *Quot læſiones in Corpore Chriſti, tot vulnera in Corde Matris, quot ſpinæ pungentes, tot clavi perforantes; quot ictus carnem rumpentes, tot ſagittæ* Hebr. 9. 12. S. Hieron. cit. ab Ant. Rampelogo Theol. in fig. Bib.

*per oculos intrantes, & tot Cor & animam MARIÆ Virginis vulnerantes, ut ipſa dicat: Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus*, &c.

Sed quæres, prudens Lector! quare Sacerdos digitum ſuum in ſanguine jugulatæ victimæ intinxerit, eoque ſepties altare, tabernaculum & velum, quo Divina ſecreta in templo contegebantur, aſperſerit? Adverte, digitus Spiritum S. deſignat, per quem dantur chariſmata, unde Eccleſia in hymno: *Dextera DEI tu digitus*; & Rupertus Abbas: *Illum autem in ſanguine intingere, eſt Spiritum S. per ſanguinem ſuum dare, nam digitus DEI dicitur Spiritus Sanctus.* Et ecce immenſam Spiritûs S. bonitatem, quia priùs altare animatum, hoc eſt, SS. Cor doloroſæ Virginis ſeptem SS. Sanguinis JESU Chriſti effuſionibus aſperſum fuit, nunc in die Pentecoſtes viciſſim Spiritus S. ſeptem donis ſuis idem immaculatum Cor pretioſiſſimæ Matris DEI de novo abundantiſſimè cumulavit, & auxit, in tantùm, ut de ea S. Bernhardus ſcribat: *Maria DEI Genitrix, quæ ſola totam Spiritûs S. gratiam poſſediſti*; & S. Hieronymus: *Cæteris per partes præſtantur, Mariæ verò ſimul ſe tota infudit plenitudo gratiæ.* O pientiſſima Domina! unicam ſtillulam de hac tua gratiæ plenitudine etiam nobis miſellis, & ſufficit nobis: *Dulce refrigerium.*

Rup. Abb. lib. 1. in Levit.

S. Bernhard. ſerm. 4. in Salve Reg.

S. Hieron. in quodam Hymno.

5. Recordor hîc illius aquæ ſtillæ, quam quondam dives ille Epulo inter flam̃as tartareas conſtitutus, cùm ſumis & ineffabilibus tormentis, tum ardoribus incendii, tum ſitis ardentiſſimæ torqueretur, ab Abrahamo petiit: *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linquam meam, quia crucior in hac flamma.* Vide hîc, & admirare, anime mi! ſingularem humanitatem & humilitatem divitis illius, ſed nunc miſerrimi Epulonis, qui non maria, aut flumina, ſed unicam duntaxat aquæ guttulam pro mitigandis gehennæ ardoribus poſtulavit, & quidem ab extremo digiti defluentem. O impie & execrande! quid te unica juvabit guttula? omnes aquarum abyſſi, vel ipſe Oceanus nec unicam inferni ſcintillam poſſunt extinguere.

Luc. 16. 24.

Subintrat hîc S. Auguſtinus, qui ait, quòd per aquam illam viventem gratia Spiritûs Sancti ſubaudiri debeat, cujus vel unica guttula per extremum digiti Epuloni in flam̃is allata, non tantùm ei ad mitigandum inferni ardorem, ſed & omnem damnatorum gehennam extinguendam ſuffeciſſet: *Per extremum digiti,* inquit citatus Antiſtes Hipponenſis, *vel minimam operationem ſignificat, quâ per Spiritum S. ſubvenitur*, &c.

S. Auguſt. de quæſtion. Evangel. l. 2. c. 38.

Collige nunc, anima Chriſtiana, quàm inenarrabili dulcedine SS. COR Virginis ac Matris DEI Mariæ fuerit perfuſum, cùm in eam non una duntaxat guttula, ſed ſe tota ſimul infudit gratiæ Spiritûs S. plenitudo: *Beata MARIA,* ait D. Antoninus, *fuit plena gratiâ quadrupliciter, primò, quia omnes gratias generales & ſpeciales omnium creaturarum habuit in ſummo. Secundò, quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertiò, quia ſua gra-*

S. Antonin. 4. part. tit. 15. c. 2. §. 11.

Digitized by Google

*gratia tanta fuit, quòd pura creatura majoris gratiæ capax non fuit. Quartò, quia etiam gratiam increatam, id eſt, DEUM in ſe tota continuit, & ſic per omnem modum gratiâ plena fuit.* O miſeri mortales! quare diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Cur tantoperè principum gratiis inhiatis? Quouſque mundanas delicias, opes fugaces, & ſenſuales veſtras quæretis voluptates? Porrò unum eſt neceſſarium, ut gratiam Spiritûs S. quæratis, ſine qua, inquit S. Paulinus, eſtis viva cadavera. Ficulneam illam reſpicite à Chriſto olim maledictam & necatam: *Et areſacta eſt continuò ficulnea.* Sic vos eſtis ſine gratia Spiritûs S. ſubtracto enim illius gratiæ humore, areſcatis, & pereatis neceſſe eſt. Proinde omni labore & ſtudio gratiam Spiritûs S. quærite, & per Mariam ac Matrem doloroſam quærite: *Quicunque*, ait Philotheus Patriarcha, *radios à gratia Spiritûs S. projectos haurire oculis cupimus, illud, inquam, inoccìduum Divini Luminis jubar; omnes ad gratiæ fontem, id eſt, ad Genitricem Creatoris accurramus oportet, ad ipſius enim votum ſumma quæque dona fidelibus communicat DEUS.*

Matth. 21. 19.

Philotheus Patr. ex Menol. 16. Junii ode. 3.

6. Placuit autem Spiritui S. ſub diverſis umbris & figuris mundo ſe manifeſtare. Ab orbis primordio, dum terra adhuc erat inanis & vacua, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Hebraicè adinſtar volucris, indens eis potentiâ ſuâ vim prolificam, ut volatilia, reptilia, piſces & germina, imò cœli omnes ex aquis producerentur.

Geneſ. 1. 2.

Ubi primus homo jacebat in agro inſtar ſtatuæ è luto formatæ, ſine omni ſenſu, motu, vita & ratione, ſupremus rerum omnium plaſmator DEUS *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Obſerva Tò *inſpiravit*, non ſolùm videlicet animam viventem, ſed & (prout hîc advertunt plures SS. Patrum) Spiritum S. velut ſpiraculum vitæ cum omnibus donis, chariſmatibus, innocentia & juſtitia originali.

Geneſ. 2. 7.

Cùm populus Iſraeliticus è duriſſima Pharaonis ſervitute per Moyſem educeretur, Spiritus S. eorum Dux & Comes in columna nubis & ignis eſſe voluit: *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut Dux eſſet itineris utroque tempore.*

Exod. 13. 21.

Angelus ille, qui Gedeonem in Ducem contra Madianitas deſignavit, in Sacrificio ſummitatem virgæ contra petram extendiſſe perhibetur: *Aſcenditque ignis de petra, & carnes azymoſque panes conſumpſit.* Petra illa Chriſtum denotabat: *Petra autem erat Chriſtus*; per ignem à petra aſcendentem Spiritus S. præſignatus fuit: *Lapis ergo*, inquit Rupertus Abbas, *quem percutientes ignem elicimus, Chriſtum ſignificat, qui percuſſus verbere crucis Spiritum Sanctum nobis effudit.*

Judic. 6. 21.

1. Cor. 10. 4.

Rup. Abb. lib. 5. de Div. Offic. cap. 28.

Balthaſari Regi ſacrilego, regali aſſidenti convivio, *apparuerunt digiti quaſi manus hominis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: Et Rex aſpiciebat articulos manus ſcribentis.* &c. Per hunc digitum, damnationis ſententiam temulento Regi in pariete ſcribentem, ait Gloſſa, Spiritus S. denotatus

Dan. 5. 5.



eſt,

Digitized by Google

Luc. 11. 20. Epheſ. 4. 30. S. Th. Vill. ſerm. 8. S. Bernhard. in Feſt. Pentecoſtes. eſt, qui eſt *dextera DEI digitus*, de quo & Veritas Chriſtus: *In digito DEI ejicio dæmonia.* O mortales omnes! *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum*; ſupra quod S. Thomas Villanovanus: *Id eſt, eum fugare, vel expellere per peccatum.* Et S. Bernhardus: *Spiritus iſte odit ſordes, nec habitare poteſt in corpore ſubdito peccatis.* Proinde non miror, quod tota plenitudo gratiæ Spiritûs S. ſeſe in Cor Virginis Mariæ infuderit, quia nulli unquam ſubdita erat peccato; hinc in puriſſimo Corde illius inhabitabat, tanquam Numen in ſuo templo, tanquam Rex in ſuo palatio, tanquam gubernator in ſua navi, tanquam hortulanus in ſuo horto, Prov. 9. 1. B. Damian. ſerm. de Nat. B. V. tanquam Dominus in ſua domo; & hæc erat domus illa, quam *Sapientia ædificavit ſibi, in qua excidit columnas ſeptem; immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* Per quam domum B. Petrus Damianus rectè B. Virginem ſubaudit, quam appellat *domum columnis ſeptem ſuffultam ſeptem ſcilicet donis Spiritûs S. dotatam, &c.*

7. Et hoc eſt, ad quod alluſit Prophetarum Princeps Iſaias, ubi de Chriſto in Iſa. 11. 2. carne venturo vaticinatus eſt: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini*; quæ dona ac chariſmata etiam SS. Deiparæ in primo inſtanti, quo gratiam juſtificantem accepit, fuerunt cōmunicata, quæ exinde in die Pentecoſtes ab eodem Divino Spiritu mirum in modum ac maximo cum incremento fuerunt adaucta, quod cœleſtis ille paranymphus & humanæ ſalutis nuntius Archangelus Gabriel non obſcurè per illa verba in- Luc. 1. 35. ſinuavit, quibus Virginem in ſermone ſuo conturbatam conſolatus eſt: *Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Ubi obſerva Tò *ſuper-* Liran. hic. *veniet*, quod ſupponit, priùs jam Spiritum S. ſuper Virginem veniſſe: *Et bene dixit*, ait Liranus, *ſupurveniet in te, quia priùs venerat Spiritus S. ſuper Virginem adhuc in utero Matris exiſtentem, illam ab originali præſervando.* Venit inſuper in incarnatione Verbi, ubi virtus Altiſſimi ei obumbravit, formando in illa perfectiſſimam Chriſti humanitatem, eamque perſonæ Verbi modo quodam ineffabili uniendo; & deniq; in die Pentecoſtes ſupervenit; ex cujus adventu, teſte S. S. Ildephonſ. ſerm. 4. de Aſſumpt. Ildephonſo, Cor Virginis totum amore Divino adinſtar ferri igniti & accenſi incanduerat. O pientiſſima Domina, Spiritûs S. gratiâ plena & ſuperplena, accende etiā in cordibus noſtris, heu quàm tepidis, quàm frigidis, hujus Divi- Luc. 12. 49. ni amoris ignem: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.*

Coronidē huic conſiderationi imponat Filius ille prodigus, cui pœniten- Luc. 15. 22. ti pater añulum in manus dari voluit: *Date annulum in manum ejus.* O pater! non añulū ſed panem affectat famelicus, & vix oſſibus hærens. Reſp. S. Au- S. Auguſtin. quæſt. l. v. q. 33. guſtinus: Rectè ante omnia añulum in digitum ejus fuiſſe miſſum: *Annulus*, inquit, *in manu pignus eſt Spiritus S. propter gratiæ participationem.* O SS. Virgo! ô Mater! filius prodigus & ego ſum, peccavi enim in cœlum & coram te, ſed doleo ſuper omnia ob offenſum Deum; ah impetra & mihi miſello hunc añulū, Spiritûs S. gratiam, & miſericordias tuas in æternū cantabo.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO LVI.

## Matris Doloroſæ exemplo docemur, quomodo rectè & cum fructu ad DEUM orare debeamus.




### Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum MARIA Matre JESU. *Actor.* 1. 14.

1. VEnerat aliquando ad pretioſiſſimum orbis Redemptorem Salome Vidua & Mater filiorum Zebedæi, humiliter ſupplicans, quatenus benignus Dominus dilectis filiis ſuis Jacobo & Joanni in regno ſuo dexteram & ſiniſtram præ cæteris Candidatis dignaretur concedere: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Matth. 20. 21. Quid ad hanc orationem mitiſſimus Salvator? Non Matri, ſed filiis reſpondet: *Neſcitis, quid petatis.* Et quare hoc, mi Domine? Cur hos ſuppli-

Luc. 11. 9. plicantes dimittis inanes? Nunquid ipſe dixiſti: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis: Pulſate, & aperietur vobis?* Et ecce petit Vidua hæc paupercula, & nihil ei datur: Quærit, & nihil invenit: Pulſat, & non ei aperitur; ô Domine! ubi ſunt promiſſiones tuæ antiquæ?

Reſpondet D. Joannes Chryſoſtomus, ideò Matrem repulſam, quia non rectè, & contra propriam filiorum ſalutem orabat, dum pro uno cœlum & pro altero infernum poſtulavit; & quomodo hoc? Obſerva, Lector prudens, per partem dexteram in regno Chriſti Electorum & Salvandorum pars indicatur, & per ſiniſtram pars reproborum & damnandorum deſignatur: Matth. 25. 33. *Et ſtatuet oves quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* Petiit ergo Mater illa pro uno filio cœlum, & pro altero infernum; hinc meritò & Mater & filii cum hac oratione fuerunt repulſi, quia ignorabant, quidnam orarent: *Neſcitis, quid petatis, quaſi diceret,* ait Orator aureus: *Ego vos vocavi ad partem dexteram, & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram,* &c. (S. Chryſoſt. hic apud Cornel.) Vide hîc, anima Chriſtiana, quomodo & qualiter ſubinde noſtra ſit conſtituta oratio: *Petitis,* inquit S. Jacobus, *& non accipitis, eò quòd male petatis.* (Jacob. 4. 3.)

Non ſic Mater Filii DEI, ſicut Mater filiorum Zebedæi, neque dexteram, neque ſiniſtram in regno DEI obtinendam unquam petiit, ſed ut in omnibus fieret ſanctiſſima Voluntas DEI, ad quod unicè reſpiciebat, hinc ſemper à DEO obtinuit, quod in oratione ſua poſtulavit, cujus etiam totum vivere, ſi attentiore mentis oculo inſpicis, non aliud erat quàm precari, & agere familiariſſimè cum DEO, quem jam à primo vitæ momento adorare, colere & magnificare cœpit: *Tanto lumine,* ait S. Bernhardinus Senenſis, *illuſtrata fuit beatiſſima Virgo, etiam cùm adhuc eſſet in ventre Matris, ut non tantùm plena fuerit lumine rationis, ſed etiam altiſſimæ contemplationis, eò ſublimata, ut DEUM perfectiùs contemplaretur in utero materno, quàm alius in ætate perfecta, magiſque deinde exceſſit in contemplatione dormiendo, quàm alius vigilando;* (S. Bernhardin. Senenſ. Tom. 1. ſer. 61. cap. 3.) in qua oratione & laude Divina per omnem vitam perrexit, & quantùm potuit, alios quoque ad orationis ſtudium induxit: *Ipſa benedicta DEI Mater,* ait alius Bernhardinus (cui cognomentum Buſti) *alios inducebat ad orandum, & ideò Actor. 1. de Apoſtolis dicitur, quòd ſtabant in oratione cum Maria, ſcilicet, ut colligamus orationis perſeverantiam ex MARIÆ præſentia & hortatione maximè provenisse.* (Bernhardin. à Buſt. ſerm. de fervent. orat. M.) Proinde SS. COR hujus devotiſſimæ ac doloroſæ Matris DEI non incongruè aſſimilabis cuidam regulæ ſeu amuſſi, quam architecti, ut citra vitium laborent, aſſiduò manibus verſant, cujus beneficio fabrica recta & non diſtorta in altum conſurgit, addito ſuper oculum Domini hocce Lemmate:

**Recta à recto.**

2. Ita

2. Ita eſt: *Oculi ejus erant columbarum*, ſemper intenti ad Dominum, abſque eo, quod intrinſecus latebat, optima nimirum cordis ejus ad DEUM ubique præſentē directa intentio, in cujus conſpectu ſemper ambulabat: *Unum*, ait S. Antoninus, *pro certo ſcimus, quia omnis Mariæ actio & intentio ſemper fuit intenta in DEO*, ſive trimulæ in templo, in quo uſque ad annum ætatis decimum quintum, quo Verbum concepit, diu noctuque in oratione tum vocali, tum mentali, DEO deſerviebat; ſive per triginta illos & quatuor annos, quos cum Filio à puncto incarnationis uſque ad paſſionem ejus & crucis mortem exegit; ſive poſt ejus aſcenſionem in cœlum, ubi adhuc duos & viginti circiter annos in ſolamen primorum fidelium ex voluntate pientiſſimi Numinis in terris tranſegerat, ſemper in devotione & meritis creſcens, ad perfectionem conſumatam & ſummum ſanctitatis apicem aſcendit, de cujus plenitudine nunc omnes accipimus. Cant. 4. 1. S. Antonin. 4. part. tit. 15. c. 44. §. 2.

De Judith Matrona nobiliſſima, cujus eximia forma cum pari certabat virtute, quam proinde DEUS ad tam heroicum facinus & Iſraelis liberationem elegit; de hac, inquam, vidua, ut tota DEO & orationi vacaret, habet Scriptura: *In ſuperioribus Domûs ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur; & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ.* Judith. 8. 5.

En typum perelegantem pretioſiſſimæ Virginis ac Matris DEI Mariæ nunc viduæ, poſt Filii aſcenſionem in monte Sion ſimile ſecretum ſibi eligentis cubiculum, in quo in aſſidua meditatione, jejunio, corporis mortificatione, ſilentii ſtudio, caſtitate plùs quàm Angelica, ac præſertim in ferventiſſima oratione DEO ſuo pro viribus ſervire ſatagebat; unde Dionyſius Carthuſianus in illa verba Canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, ita de hac SS. Deipara loquitur: *Hoc*, ait, *ſanctiſſima Virgo præeminenter dicere potuit, quia contemplatiſſimam vitam duxit, & ab exteriori tumultu, omni inordinato ſtrepitu & cura ſuperflua atque inequitudine culpæ penitus abſtinens, & ſoſpita vigilantiſſima mente DEO vacavit, pro Eccleſia exoravit, actibusque virtutum termino excellentiæ perfectiſſimis jugiter fuit intenta. Denique in ſomno corporali cor ejus pervigil fuit; & ex aſſidua aſſuefactione perfecta inſiſtendi Divinis, exardentiſſima & exercitatiſſima charitate, ex ſplendidiſſima & exuberantiſſima ſapientia ſibi infuſa, & contemplatione in vigiliis, penè aut prorſus continuè, etiam tempore ſomni, vigili corde fuit DEO conjuncta, & pro commiſſa ſibi Eccleſia vigilare non ceſſat.* Et ſi Anna illa Prophetiſſa non diſcebat de templo, jejuniis & obſecrationibus DEO ſerviens die ac nocte; quantò magis in SS. DEI Genitrice admirare poſſumus orationis ſedulitatem, mentis fervorē & animi aſſiduò ad DEUM aſcendentis intentionem? hinc non immeritò à SS. Patribus *Thuribulum aureum* & *Altare Thymiamatis* nuncupata eſt, in quo ſuaviſſimi quondam aromatum odores DEO T.O.M. in templo præſentaban- Cant. 5. 2. Carthuſ. in Cant. 6. 5. Luc. 2. 37. Hebr. 9. 7. Exod. 30. 1.

S. Bernh. in medit. c. 8. tabantur. O quàm tepida eſt econtrariò oratio noſtra: *Magnam injuriam*, inquit Mellifluus, *DEO facio, cùm illum precor, ut meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio; deprecor illum, ut mihi intendat, ego verò nec mihi nec illi intendo*, &c. Eccl. 18. 23. Imitare proinde, ſaltem quantùm vales, SS. Virginem, & *ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tendat DEUM.* Audi pro conſilio ipſam loquentem Veritatem: Matth. 6. 6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora ad Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

3. Reminiſcor hîc Divini illius Sponſi, qui in ſacro epithalamio chariſſimam Sponſam ſuam peramicè invitavit, ut è domo & civitate in agros egrediens, ibi in umbroſis tabernaculis, in petra exciſis, ſuam inquireret & captaret quietem: Cant. 2. 14. *Columba mea in foraminibus petræ: in caverna maceriæ.* Ad quid, oro, Sponſa dilecta, & columba illa immaculata in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ?

Sponſus ille Chriſtus eſt, incarnatus in caverna maceriæ, hoc eſt, ait Cornelius, Cornel. hîc. in abſcondito ventris virginalis, & natus in foramine petræ, id eſt, in ſpelunca Bethlehem, quæ ex petra extra urbis portam erat exciſa; mortuus eſt in rupe Calvariæ, ubi Crux Dominica petræ infixa fuit; ſepultus denique eſt, ſed nonniſi in foramine petræ, ex quo glorioſus reſurrexit. Ad hæc ergo ſacra loca invitabat dilectus ſanguinum Sponſus chariſſimam Sponſam ac Matrem ſuam pretioſiſſimam, *quæ loca B. Virgo*, addit Cornelius, *crebrò devotè viſitabat, & obibat, ut in eis penè habitare videretur.* O quàm ardentes ibi preces ad DEUM & Filium fudit! ô quot ardentia in cœlum miſit *ſuſpiria*! ô quot lacrymis hæc ſacra loca Divini Agni ſanguine purpurata rigavit! hîc Cant. 2. 3. ſedebat ſponſa illa *ſub umbra illius, quem deſideraverat*, revolvens animo omnia, quæ & quanta pro genere humano ſit perpeſſus, & fructus ejus videbatur dulcis gutturi ejus; hoc enim habet pia & attenta Dominicæ paſſionis S. Auguſtin. in Manual. meditatio & oratio. Auguſtinum audite: *Quantùm flevi, bone JESU, in acerbiſſima mortis tuæ meditatione, tanto miſericordiæ tuæ prodigio commotus acriter! eliquabatur ſcilicet miſericordiæ tuæ dulcedo in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ; & bene mihi erat cum eis.* En quomodo ex amaro dulce.

Et vis ſcire, anime mi, quidnam SS. Deipara circumiens hæc ſacra loca Hadr. Lyr. de Chriſt. Pat. apud me fol. 595. oraverit, atque meditata ſit? planè non aliud, quàm quod ipſa proprio ore Venerabili Catharinæ Ricciæ inſinuavit & edocuit, voluitque, ut ſingulis feriis quintis, ſole ad veſperum vergente, cum Sororibus oraret, & devotè decantaret. En epitomam paſſionis Dominicæ, quam ſibi ipſi doloroſa Mater ex diverſis Sacræ Scripturæ locis ſelegit, & aliis imitandam propoſuit.

Amici

*Amici mei & proximi mei adversùm me appropinquaverunt, & ſteterunt.*
*Traditus ſum, & non egrediebar; Oculi mei languerunt præ inopia.*
*Et factus eſt ſudor meus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*
*Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me.*
*Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.*
*Faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*
*Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*
*Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.*
*Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.*
*Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput.*
*Ipſi verò conſideraverunt, & inſpexerunt me; diviſerunt ſibi veſtimenta, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.*
*In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me, Domine DEUS veritatis.*
*Memento famulorum tuorum, Domine, cùm veneris in regnum tuum.*
*JESUS autem emiſſa voce magnâ tradidit ſpiritum.*
*Miſericordias Domini in æternum cantabo.*
*Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.*
*Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelerá noſtra.*
*Omnes nos quaſi oves erravimus; unusquisque in viam ſuam declinavit.*
*Et poſuit in eo Dominus iniquitates omnium noſtrum.*
*Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, & ne repellas in finem.*
*Ecce DEUS Salvator meus: Fiducialiter agam, & non timebo.*
*Te ergo quæſumus, Domine JESU, famulis tuis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.*

℣. *Miſerere noſtri, JESU benigne.*

℟. *Qui paſſus es clementer pro nobis.*

## ORATIO.

*Reſpice, quæſumus, Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus JESUS Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum.*

Lector Mariane, ſi ſalutem tuam amas, fac hanc orationem, ab ipſa doloroſa Matre ſubminiſtratam, tibi familiarem, quia, prout B. Albertus Magnus aſſerit, talem Chriſti paſſionis memoriam etiam ſimplicem, ſed devotam, plùs animæ tuæ prodeſſe ſaluti, Deoque multò eſſe gratiorem, quam ſi quotidie Suquet. l. 3. cap. 10.

tidie te uſque ad ſanguinem flagellares, aut anno integro in aqua & pane jejunares, aut quotidie Davidis Pſalterium recitares. En quàm facilem orandi & meditandi modum tibi ſubminiſtrat doloroſa Mater, ſi eam amas, imitare.

4. Plura requiris? & rectam orandi formam? Chriſtum cumprimis conſule in monte Olivario tibi orandi exemplar præbentem. Oravit avulſus, quantum eſt ictus lapidis, à diſcipulis: Diſce, & quære ſolitudinem in oratione. Oravit poſitis genibus, procidens in faciem ſuam: Diſce in oratione coram DEO tuo te humiliare, terra & cinis. Oravit ſe totum in ſanctiſſimam Patris voluntatem reſignans: Fac tu ſimiliter. Oravit in agonia prolixiùs: Obſerva in orando fervorem & conſtantiam. Oravit uſque ad ſudorem ſanguineum: Nota mortificationem ad rectam orationem neceſſariam. Oravit cum lacrymis: *Non enim ſolis oculis*, ait Mellifluus, *ſed quaſi omnibus membris fleviſſe videtur, ut totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, totius lacrymis corporis purgaretur*: Ubi tuæ ſunt lacrymæ inter orandum? En normam & formam hîc habes, Cliens Mariane! qualiter juxta exemplum Chriſti & SS. Matris ejus doloroſæ te oporteat orare. Oravit & illa, ſed ut plurimùm ſola, amans unicè ſolitudinem: *Sola*, inquit S. Ambroſius, *in penetrabilibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret, ſola ſine comite, ſine teſte, ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo ſalutatur.* Oravit poſitis genibus, prout patet in illo lapide, in quo pro perſeverantia Stephani deprecatura, genuum formam reliquit. Oravit ſemper Divinæ voluntati ſe penitiſſimæ reſignans: *Intemerata Virgo*, ait S. Bernardinus, *ſemper habuit continuum aſpectum ad DEI beneplacitum, promptúmque conſenſum.* Oravit prolixiùs & conſtanter, quod patet ex illo Lucæ: *Hi omnes erant perſeverantes in oratione unanimiter cum MARIA Matre JESU.* Oravit cum lacrymis: *Et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Imò oravit uſque ad ſanguinem præſertim in paſſione & morte Filii, ita ipſa ad S. Brigittam atteſtante: *Ex oculis meis erumpebant lacrymæ ſicut ſanguis è venis.* Et quis dubitat, quòd talis oratio non penetraverit cœlos, & uſque ad conſpectum Altiſſimi pervenerit? *Oratio humiliantis ſe*, ait Siracides, *Nubes penetrabit, & non diſcedet, donec altiſſimus aſpiciat.*

Luc. 22. 41.
S. Bernard. ſerm. 3. in Ram. Pal.
S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam.
Adrichom. in deſcript. Terræ ſanct.
S. Bernhard. Tom. 2. 51.
Actor. 1. 14.
Thren. 1. 2.
Lib. 1. Revel. cap. 10.
Eccl. 35. 21.

5. Heu qualis è contrario eſt noſtra oratio! quàm diſtracta quàm tepida, quàm indevota, quàm arida, jejuna, & ſine ulla facta præparatione! *Unde tanta tepiditas in orando? quærit S. Thomas de Villanova, tanta negligentia in operando?* & reſpondet ſibi: *Ex oblivione DEI, quia non propoſuerunt DEUM ante conſpectum ſuum.* Abraham in monte oraturus, & ſacrificaturus, omnia priùs impedimenta, quæ diſtractionem cauſare poterant, à ſe amovit: *Exſpectate hic cum aſino --- poſtquam adoraverimus, revertemur ad*

S. Thom. Villan. ſerm. de S. Mich.
Pſal. 53. 5.
Geneſ. 22. 5.

Digitized by Google

*ad vos*; quare tu non facis ſimiliter, homo Chriſtiane, cùm templum intras ad DEUM oraturus, aut ſacrificaturus? Cur non aſinum tuum & inutiles curas domi relinquis? Salomon talis ac tantus Rex *orans utrumque genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum*, &c. Qualis eſt tuus in orando habitus? Bethſamitæ illi quia curioſiùs Arcam DEI inſpexerant, ſubitaneâ morte à DEO caſtigati ſunt: Et tu quid agis? An non curioſè ad omnem motum circumſpicis? rides, fabularis? & hoccine orare eſt? *Tu*, exclamat os aureum, *cum Rege Regum colloquens, cui cum horrore ſerviunt Angeli, omiſſo cum illo cœpto ſermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris?* An non talis oratio tibi meritò fiet in peccatum? Si *oratio eſt mentis elevatio in DEUM*, quomodo mens tua erit in cœlo, ſi mores jacent in cœno? Si *oratio juſti*, juxta mentem S. Auguſtini, *clavis eſt cœli*: *Aſcendit precatio, & deſcendit DEI miſeratio*; quomodo tibi patebunt cœli januæ, ſi tam luridè, tam frigidè tuas ad DEUM preces fundis? An ignoras, quòd *maledictus* ſit ille, *qui opus DEI facit fraudulenter?* Alii legunt: *Negligenter*? Et quid eſt, dic, obſecro, ſodes, hæc tua oratio (non licet mihi dicere, tua Breviarii recitatio) quid, inquam, eſt? An non lampas ſine oleo, nux ſine nucleo, palea ſine grano, mola ſine farina, flos ſine fructu, corpus ſine anima? Proinde ſi ſanus es, & æternam tuam perpendis animæ ſalutem, ſequere conſilium Sapientis; *Ante orationem præpara animam tuam.* Præmitte ſemper actum contritionis, præfige tibi bonam intentionem, pete gratiam ad piè, attentè ac utiliter orandum, in ipſo rationis decurſu ſæpiùs recollige mentem ad præſentem DEUM ad paſſionem Chriſti & infinita ejus merita, eliciendo actum fidei, ſpei, charitatis, gratitudinis, humilitatis, &c. Denique offer preces tuas optimo Numini per manus doloroſæ Virginis MARIÆ, in eadem intentione, ſicut illa quondam ſtans ad crucis radices Patri æterno dilectiſſimum Filium ſuum obtulit; ſic non poterit eſſe repulſa, ubi hæc pro te loquuntur amoris inſignia & utriusque merita.

3. Reg. 8. 54.
1. Reg. 6. 19.
S. Chryſoſt. hom. 1. de verb. Iſaiæ.
S. Aug. ſerm 1. Dom. in Oct. Paſch.
Iſa. 48. 10.
Eccleſ. 18. 23.

6. Et dic, quæſo, an efficaciter aut utilior orandi, ac meditandi modus eſſe poteſt, quàm ſi juxta exemplar doloroſæ Matris inter orandum cogitationes tuas in ſanguine Agni intingas, atque utriusque exemplum, quod tibi monſtratum eſt, in oratione ſequaris? Audi Seraphicum Doctorem: *Sit ergo*, inquit *regula vivendi paſſio Salvatoris, & tantò ampliùs in hoc conſolemur, quantò amplius Chriſto conformamur: & tantò ampliùs deſolemur quantò ab hoc exemplari ac regula ampliùs elongamur.* Unde Eccleſiaſtes monet: *Sapientis oculi in capite ejus*, caput autem noſtrum eſt Chriſtus JESUS & hic crucifixus, in quem aſſiduò cum doloroſa Matre mentis noſtræ oculos in oratione & in omni operatione figamus; ita ipſe Chriſtus S.

S Bonavent. p. 1. Serm. cap. 4.
Eccl. lib. 2. 14.

Bloſ. in Monil. Spirit. cap. 1. Gertrudem allocutus eſt: *Filia, qui cum devotione me Crucifixum aſpicit in vita, ego illum benigno oculo aſpiciam in morte.* Siſte proinde te, quando cum fructu aut vocaliter aut mentaliter orare deſideras, coram Amore tuo Crucifixo & SS. Matre ejus doloroſa, velut filium prodigum, nunc denuò ad Patrem & frugem revertentem: *Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus.* (Luc. 15. 21.) Vel juxta exemplum publicani, qui non auſus erat oculos ſuos levare in cœlum, ſed ſtans à longè percutiebat pectus ſuum, dicens: *DEUS propitius eſto mihi peccatori.* (Luc. 18. 13.) Aut imitare leproſum illum à longè ſtantem, & rogantem, quatenus à benigniſſimo JESU à lepra ſua mundaretur: *Et cecidit in faciem ante pedes ejus.* (Luc. 17, 16.) Vel ſectare ſervum illum, qui Domino ſuo decem millia debebat talenta, rogans cum eo: *Patientiam habe in me*, &c. (Matth. 18. 26.) Aut denique cum Muliere illa peccatrice ad pedes JESU te projice, amoris lacrymis tua deflens delicta: *Cœpit lacrymis rigare pedes ejus.* (Luc. 7. 38.) Converte exinde oculos tuos ad doloroſam Matrem JESU, eamque impenſiùs per SS. Vulnera ac dulciſſimum COR JESU exora, quatenus tibi in hac oratione & in omni actione velut pia Mater, à JESU moriente in cruce tibi commendata, benignè adeſſe dignetur; ſic fieri non poteſt, ut preces tuæ non exaudiantur: *Exaudiet Matrem Filius*, ait Mellifluus, *& exaudet Filium Pater: Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? poteſtne Filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non audire, aut non audiri Filius poteſt? neutrum plane: Inveniſti, ait Angelus, gratiam apud DEUM, & ſola eſt gratia; qua egemus.* (S. Bernhard. ſerm Nat. B. V. fol. 59.)

Hadr. Lyr. de pat. Jeſu. l. 7. c. 9. Et Quareſm. Tom. 5. fol. 176. exempl. 7. — 7. Pro dictorum coronide audiamus, quid Bononiæ in Italia juveni Tyroni ex ſacra Divi Dominici familia acciderit. Erat is ex proſapia nobili natus, in deliciis enutritus, & ſui amantiſſimus; ſed quia, uti perſpicacis erat ingenii, ſatis luculenter viderat, neminem duobus Dominis, Chriſto & mundo poſſe ſervire, idcirco habita ſuper hâc re maturâ deliberatione, mundo valedicere, & ſacrum PP. Dominicanorum ordinem ingredi ſtatuit, in quo Bononiæ in percelebri S. Dominici Conventu per aliquot menſes, ut Novitius, prima fundamenta jecit. Verùm quia rigor ille monaſticus & diſciplina admodùm dura, ac præſertim panis niger & durus per civitatem emendicatus, tam delicato ſtomacho non ampliùs placere, imò & tædio eſſe cœperunt, ſtatuit unicum ſuum perfugium apud doloroſam Virginem quærere, hinc lacrymis abundè manantibus ad ejusdem doloroſæ Matris imaginem, Filium de cruce depoſitum gremio ſuo excipientem, venit, eamque ſic precatus eſt: *Regina maxima & pia afflictorum Conſolatrix, rudis lana, de qua camiſiam porto, continua flagella, quibus in capitulo excrucior, nocturnæ vigiliæ, frequentatio chori, perpetuum ſilentium, me nimis affligunt, quodque magis me urit, nec ſuperare queo, eſt panis, quo veſcor, quem*

Digitized by Google


*quem domi non pinſimus, ſed per urbem vicatim emendicamus, non integrum, ſed partes, non à nobilibus, ſed plebeis nigrum, durum, pinguem, adeò-ut non tantùm non mandere, ſed ne olfacere queam: quare te rogo, non ægre ferre, ſi ad pedes tuos hanc veſtem exuo, quam ferre quidem maximè deſidero, ſed viribus deſtituor.* Quid ad hæc doloroſa Virgo? O verè Mater amoris & doloris! quæ materno ac blandiſſimo affectu hunc Novitium ſolata eſt: *Quomodo ſi cui Mater blandiatur, ita ego conſolabor te;* proinde brachium in hac ſua icone Iſa. 66. 13.
extendit, panem illum nigrum à juvene ſibi porrigi petiit, quem mox Sacris vulneribus & lateri in ſinu jacentis Filii intinxit, juſſitque, ut bono animo eſſet, panemque illum rurſus guſtaret, maſticaret, ac comederet. Obſequitur juvenis, & panem hianti ore contrectans, totum cum aviditate manducat, ex cujus guſtu tantam dulcedinem & conſolationem percepit, ut mutato propoſito, non duntaxat in S. Religione usque in finem fortiter perſeveraret, ſed & omnia quæcunque dura, aſpera & adverſa poterant accidere, alacri ſemper animo perferret, donec tandem hanc moralem cum æterna commutârit vitam. Tantùm profuit huic Religioſo juveni, ad doloroſam Matrem in tentatione & oratione ſua confugiſſe. Fac tu ſimiliter, Cliens & Sodalis Mariane, ſi tentatio apprehendit te, ito ad Matrem doloroſam, & dic ei: *Monſtra te eſſe Matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus tulit eſſe tuus.*



Digitized by Google

# CONSIDERATIO LVII.

## B. Virgo & Mater Doloroſa aſſiduâ virtutum exercitatione ſingulare nobis præbuit ſpecimen temporis optimè locandi.




**Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.**
*Galat.* 6. 10.

S.Bernhard. I. in declamat. poſt medit. tol. 313.

RECtè mellifluus: *Nihil*, inquit, *pretioſius tempore, ſed eheu nihil hodie viliùs æſtimatur: Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat, nemo ſibi non reditura momenta periiſſe cauſatur.* Conſidera ſolem, quomodo ſpatio unius horæ quadrantis centum viginti milliarium millia juxta ſententiam Philoſophorum & Aſtronomorum in ſuo curſu conficiat. Perpende ordinem lunæ, ſtellarum ac reliquorum orbium cœleſtium, quomodo

Digitized by Google

do ſemper currant, ac per gyrum revolvantur, & ſi aliquando quieſcerent; agerentque ferias, omnia ruerent in peſſum, imò & in interitum; proinde neceſſe eſt, ut perpetuo uſque ad finem ſæculi ſerventur in motu, quibus nonnemo Academicus pro Lemmate inſcripſit: *Aſſiduo in motu.*

Homo Chriſtiane & Mariophile, attende, & vel ex his creaturis ratione carentibus rationem ſtatûs ac finis tui collige; ſi enim in hoc ſtadio non curris, nec in virtute proficis, nec tempus ſalutis tuæ benè locas, deficias, ac tandem pereas, neceſſe eſt: *Oportet*, ait Veritas, *ſemper orare*, Luc. 18. 1. hoc eſt: Oportet ſemper bene facere, *& nunquam deficere*, cùm hic non tempus quietis, ſed certaminis & aſſiduæ exercitationis; *Poſui vos*, ait Joan. 15. 16. rurſum Veritas, *Ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*: Non poſui vos, ut tempus ſalutis malè impendatis, velut infructuoſa illa ficulnea, quam poſt magnam & plurium annorum patientiam, cùm nullum prorsùs daret fructum, tandem vineæ Dominus exſcindi, & in ignem Luc. 13. 7. mitti juſſit: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?*

O quàm inſigni & aſſidua virtutum exercitatione per omnem vitæ curſum, ac tunc præſertim, cùm Filius in cœlum abiit, nobis præluxit beatiſſima Virgo & Mater amoris & doloris, quæ in omnibus actibus ſuis à vitæ aurora ſingulis momentis in omni ſanctitate & juſtitia ulteriùs progreſſa eſt uſque ad clariſſimum æternæ gloriæ diem, juxta illud Salomo- Prov. 4. 18. nis: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.* Rup. lib. 6. Cant. ab initio. Proinde rectè Rupertus Abbas aſſerit: *Virginem in ſua prima ſanctificatione fuiſſe ut auroram, in Filii conceptione ut lunam, in morte ut ſolem.* Ex quibus, Lector Mariane, facile conjicies, quomodo hæc SS. Virgo ſingulare nobis omnibus præbuerit ſpecimen temporis optimè locandi, & pro ſalute noſtra fructuoſè impendendi, dum enim ferrum calet, tundendum, poſtea occaſio calva, unde Lemma:

## Dum calet.

2. Bene dixiſti, Regum prudentiſſime: *Sapiens Mulier ædificat domum ſuam.* Prov. 14. 1. Talis fuit Ruth Moabitis, quæ ædificavit domum & familiam Booz, de qua ipſe Booz: *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, Mulierem te eſſe virtutis.* Ruth. 3. 11. Talis fuit & illa Mulier ſapiens, quæ Joabo, civitatem Abela obſidenti, pro ſalute patriæ & civium locuta eſt, urbemque ſuâ blandiloquentia, ne vaſtaretur, conſervavit: *Et exclamavit Mulier* 2. Reg. 20. 16. *ſapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, & loquar tecum,* &c. Talis fuit & Rebecca, argumentoſa illa & prudens Materfamilias, quæ Jacobo Filio non tam paternam benedictionem procuravit, ſed & Geneſ. 27. 42. eum cautè fecit iram fratris ſui Eſau declinare: *Quæ mittens, & vocans*



Digitized by Google

*Jacob filium ſuum, dixit ad eum: Ecce, Eſau frater tuus minatur, ut occidat te.* Talis quoque extitit Abigail, quæ ſuâ munificentiâ ac prudentiâ iratum Davidem placavit, familiámque ſuam, ne extingueretur, ſervavit im-
1. Reg. 25. 35. munem: *Suſcepit ergo David de manu ejus omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in Domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam*, &c.

Prov. 14, 1. Mittamus figuras & umbras: *Sapiens Mulier ædificans domum ſuam* cumprimis extitit beatiſſima Virgo & Mater DEI, quæ per Chriſtum Filium ſuum ædificavit Eccleſiam DEI, & cùm is aſcendiſſet in cœlum, tanquam ſolicita Materfamilias omnium Chriſtianorum curam peculiarem geſſit:
Vinc. Bruni S. J. Medit. 2. de B. V. *Sicut Mater communis*, ait Bruni, *familiæ novæ & ſanctæ, ad lucrifaciendos omnes, ſe accommodabat omnibus, verbisque & ſcriptis, operibus & orationibus continuis, immenſam charitatem ſuam & ardentem zelum de uniuscujusque ſalute demonſtrabat: Affligebatur cum afflictis, erigebat lapſos, confirmabat ſtantes, ſuſtentabat debiles, curabat peccatores, animabat puſillanimes, infirmis & pauperibus præſidium ſuum offerebat. Et quia certò ſciebat, in charitate conſiſtere plenitudinem Legis, omnisque perfectionis vinculum, non dedignabatur cum humilibus & infimæ conditionis hominibus converſari, veſci communibus eorum cibis, eandemque vivendi rationem cum eis tenere. Denique conſiliis & reſponſis ſuis Divinâ Sapientiâ plenis, primitivæ illi Eccleſiæ magno adjumento & ornamento erat.* Et ſi Paulus quondam ſuos neophytos Chriſtianos, quos in Chriſto genuerat, admirabili diligebat charitate, eosque aſſiduò
Phil. 1. 7. 2. Cor. 7. 3. in corde ſuo gerebat: *Eò quòd habeam vos in corde*; & in alio loco: *In cordibus noſtris eſtis ad commoriendum & convivendum*; quanto majori amore in omnes
Dion. Carthuſ. in Cantica. art. 27. ſpirituales filios ſuos flagrabat COR MARIÆ, erat enim omnium Mater: *Sicut Chriſtus*, ait Dionyſius Carthuſianus, *eſt DEUS noſter, & miſericordia noſtra, ſic Virgo eſt Mater, & domina noſtra, miſericordiæ janua.* Et quemadmodum Mater filios illos teneriori proſequitur amore, ob quorum ſalutem majores in partu perpeſſa eſt dolores: Ita & B. Virgo ac Mater doloroſa, quia in ſummo dolore nos ſub cruce parturiit, ideò plùs & indicibili amore nos diligit, & jam tunc in vita ſua primos illos diligebat Chri-
Actor. 4, 32. ſtianos, *quorum omnia erant communia*, quibus bono exemplo, labore & ſanctitate vitæ, velut quondam illa columna nubis & ignis Iſraelitis per deſertum & mare rubrum ad promiſſionis terram proficiſcentibus, præluce-
Exod. 13. 21. bat, *ut Dux eſſet itineris utroque tempore.*

3. Hanc quoque gnavam ac induſtriam Virginem in ſpiritu quondam prævidit Regum ſapientiſſimus, unde eam navi mercatoris à longe panem
Proverb. 31. 14. ſuum advehenti aſſimilavit: *Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum.* Enimverò in domum ſuam, hoc eſt, in Eccleſiam beatiſſima Virgo invexit panem ſuum, id eſt, Chriſtum Dominum qui de ſeipſo ait:

*Ego*

Digitized by Google

*Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi*, ut illo in SS. Euchariſtia quotidie paſcamur, nutriamur, & reficiamur; unde quotidie & ipſa poſt aſcenſionem Filii hunc Euchariſticum Panem ſumpſit, & in naſcente illa Eccleſia, quia ardentiore erga Filium æſtuabat charitate, pro viribus allaboravit, ut pariter à cunctis fidelibus frequenter ſumeretur, hoc enim indicant Actus: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*, &c. In quem finem & primi fideles, cùm inciperent perſecutiones in Eccleſia DEI, ut ſe ad martyrium forti animo tolerandum armarent, Euchariſtiam collo appenſam & pectori applicatam, domum deferebant, quæ cauſa illis fuit tantæ fortitudinis, ſanctitatis & perfectionis, quorum omnium dux & anteſignata extitit Regina Martyrum. O felix & argumentoſa apicula de qua Ariſtoteles: *Apis eſt animal mundiſſimum*; quid caſtius DEI Matre? Apis in labore eſt aſſidua; de B. Virgine dicit Sapiens: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Apis mel parat & conficit; B. Virgo *paravit nobis menſam* Euchariſticam, omni melle & ſaccharo dulciorem, *adverſus omnes, qui tribulant nos.* Mulier illa Evangelica *acceptum fermentum abſcondit in farina ſatis tribus.* O pientiſſima Domina! tu per illam præſignata es Mulierem, quæ quondam in utero tuo juxta mentem Mellifluí, tria ſata, hoc eſt, tres Chriſti Filii tui naturas videlicet animam corpus & divinitatem, uni verbi hypoſtaſi admirabili quodam modo junxiſti, & univiſti: *Procurat autem*, ſubintrat hîc S. Chryſologus, *domi mulier fermentum, & panes præparat, quia virum foris expectat labor, intus Mulierem domeſtica cura conſtringit.* Vir iſte Chriſtus erat, qui foris extra civitatem *in medio terræ* omnium noſtrûm *ſalutem* in cruce *operatus eſt*, Mulier autem, hoc eſt, SS. Deipara poſt Chriſti in cœlum aſcenſum domi laboravit, hoc eſt, in domo DEI recentis Eccleſiæ, ſtrenuè propagando fidem, curam habens Apoſtolorum, Diſcipulorum, aliorúmque, qui recenter Chriſtianæ ſe adjungebant religioni, quorum omnium ſolicita Mater extitit; unde iterum de illa Sapiens: *Conſideravit agrum, & emit eum: De fructu manuum ſuarum plantavit vineam.* Supra quod pereleganter Cornelius: *Ipſa*, inquit, *agrum & vineam primitivæ Eccleſiæ ſuâ ſapientiâ, providentiâ, meritis & exemplis plantavit, adeoque fertilem effecit, ut in omni ſanctitate effloreſceret, ac viros Apoſtolicos, Martyres & Virgines proferret, imò ut omnes fideles viverent vitam non tantùm Chriſtianam, ſed & Religioſam, in paupertate, caſtitate, & obedientia.* Et pergit Sapiens: *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*; tunc videlicet, quando in omni paſſione, ac præſertim in cruce pendenti Filio adſtitit, ubi omnia tormentorum genera, quæ Chriſtus perpeſſus eſt, ipſa compatiendo pertulit; ubi autem induta eſt virtute ex alto, ac Spiritum S. recepit, *in ſumma fortitudinis plenitudine*, pergit idem Cornelius, *omnes Apoſtolorum dolores, omnes fidelium cruces, totúmque Eccleſiæ pondus ſuſtinuit: Fuit ergo ipſa quaſi Atlas Eccleſiæ primitivæ, uti & modernæ.*

Joan. 6. 51. Actor. 2. 42. Ariſt. lib. 9. Prov. 31. 13. Pſalm. 22. 5. Matth. 13. 33. S. Bernhard. lib. 5. de Conſid. S. Chryſol. ſerm. 99. Pſalm. 73. 12. Prov. 31. 10. Cornel. hîc. Prov. 31. 16. Cornel. hîc.



Digitized by Google

4. Ex quibus hactenus enarratis, prudens Lector, collige, quantùm pientiſſima Virgo & Mater doloroſa per omnem vitam ſuam pro ſalute Eccleſiæ DEI laboraverit, nullamque horam etiam in ſomno niſi pro
Joan. 9. 4. DEO & hominum promovenda ſalute impenderit. Diſce hîc operari, diſce laborare, diſce tempus bene impendere, quia *venit nox, quando nemo poteſt operari.* De Sponſo referunt Cantica, quòd vice quadam dignatus
Cant. 5. 2. ſit viſitare Sponſam officioſè pulſans oſtium: *Aperi mihi, Soror mea, Sponſa.* Verùm cùm hæc pigra Sponſa aliquantiſper in aperiendo moraretur, tardiùs de lecto conſurgeret, interim Sponſus aliò declinavit: *Et ecce declinaverat, atque tranſierat.* Ah quoties & te, anima Chriſtiana, pientiſſimus Re-
Apoc. 3. 20 demptor ac Sponſus tuus ſanctis ſuis inſpirationibus hactenus viſitavit? Quoties, inquam, ad oſtium cordis tui ſtetit pulſans: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum;* & tu ſurda aure pertranſis Deum tuum toties te monentem? toties te vocantem? toties ad cordis tui intima loquentem? interim tranſeunt dies ſalutis, & cum illis gratia Divina, toties à te ſpreta & abjecta, magniſque paſſibus etiam otiando ac dormiendo ad longam longiſſimam properas æternitatem? Heu
Apoc. 10. 5. quid erit in morte, *cùm tempus non erit ampliùs?* Malè timeo, ah malè timeo, ne tibi id contingat, quod olim Eſau venatori accidit. Audi rem tua dignam conſideratione.

Cùm Iſaac ſenio confectus, mortique nunc proximus ſupremam filiis ſuis diſcuperet impertiri benedictionem, primò Eſau Filium primogenitum
Geneſ. 27. 3. ad ſe vocavit, quem artis venatoriæ apprimè peritum in ſylvam ablegavit: *Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras,* &c. Verumenimverò cùm Eſau iter nonnihil retarderet, ac ſeriùs ad Patrem rediret, interim prævenit Jacob frater ejus, paternam ei benedictionem & jus primogenituræ præripiens; Eſau verò, quia tempus ſaluti ſuæ accomodum neglexit, licet exinde multis cum lacrymis ſimilem gratiam ac benedictionem à mo-
Hebr. 12. 17. ribundo genitore poſtulâſſet, nihil tamen impetravit: *Non enim,* ſubintrat hîc S. Paulus, *invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquiſiſſet eam.*

Ite nunc, O miſeri! & tempus ſalutis cum Eſau venando, jaculando, ludendo, jocando, epulando, compotando, luxuriando conſumite, &
Matth. 12. 36. ſcitote: *Quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Dicite, ubi ſunt anni iſti, quibus hactenus vixiſtis?
Sap. 5. 9. *Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus, cùm præterierit, non eſt veſtigium invenire.* O Deum im̄ortalem! ſiccine volat irrevocabile tempus? Siccine *tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis?* O quàm benè S. Gregorius Magnus
S. Greg. M. lib. 6. ep. ad Andream. & Doctor Eccleſiæ Moralis: *Vita noſtra,* inquit, *naviganti eſt ſimilis, is namque qui navigat, ſtat, ſedet, jacet, vadit, quia impulſu navis ducitur. Ita ergo & nos ſumus, qui ſive vigilantes, ſive dormientes, ſive tacentes, ſive loquentes, per momenta temporum ad finem quotidie tendimus.*

5. De

Digitized by Google

5. De S. Joanne referunt SS. Paginæ, quòd Angelum viderit pede dextero in mari & ſiniſtro in terra ſtantem, qui unâ manu librum tenuit, alteram verò ſicut jurantes ſolent, in cœlum levavit, DEUM T.O.M. in teſtem ſuorum invocans verborum: *Et Angelus, quem vidi ſtantem, ſuper mare & ſuper terram, levavit manum ſuam ad cœlum, juravit per viventem in ſæcula ſæculorum.* Ad quid juravit ille Angelus, & quare indice in cœlum intento ipſum DEUM invocavit in teſtem? Magnum hîc latitat myſterium. Audi Scripturam: *Juravit, quia tempus non erit ampliùs*; nunc videlicet, quando vitæ curſus aliquando erit conſumatus. O immenſum temporis pretium: *Omne tempus*, ait S. Bonaventura, *tibi impenſum requirit DEUS, qualiter ſit expenſum*; & S. Joannes Chryſoſtomus: *Omnia potiùs ſunt amittenda, quàm tempus: aurum amittis? Poterit recuperari, amiſſum autem tempus nunquam.* Quinque illas fatuas Virgines conſule, quæ ubi tempus acceptabile, tempus ſalutis perdiderunt, interim ipſis ſecure dormitantibus Sponſus venit: *Et clauſa eſt janua.* Apoc. 10. 5. S. Bonavent. ſer. 1. Dom. 1. Quadr. S. Jo. Chryſoſt hom. 37. ſuper Joan. Matth. 25. 10.

Eheu! quot etiam ſunt, qui turpi otio, vel inani negotio tempus æternæ perdunt ſalutis, non abſimiles pueris, qui dum luteis componendis caſulis occupantur, aut in arundine equitant, aut alias tractant nugas, ſibi occupatiſſimi videntur, cùm tamen in fine nonniſi inanem ſtomachum & laſſatos referant pedes. Sic pleraque ſunt mortalium negotia, curæ, labores ac ſudores, quos niſi ad DEUM velut ad finem ſuum referant, tandem in fine dicent: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis*, & ambulavimus vias difficiles, viam *autem Domini ignoravimus: Quid nobis profuit ſuperbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra.* En quàm pretioſa res ſit tempus, quod ergo de illo perdis momentum, per omnem æternitatem non ampliùs recuperabis. O quot comptuli & delicatuli, quot vani & mundani in fine vitæ ſuæ ſuſpirabunt: *O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos!* Audi Poëtam: Sap. 5. 5.

*Non eſt fur major, quàm temporis: omnia reddi*
*Poſſunt; hoc ſolum reddere nemo poteſt.*

6. De Petro recenſet Marcus, quòd in monte Olivetano, quia in profundum delapſus erat ſomnum, à Chriſto præ cæteris dormientibus Diſcipulis fuerit increpatus: *Simon dormis? non potuiſti unâ horâ vigilare?* Domine! & nunquid alii dormitabant Diſcipuli? Quare ergo ſolus Petrus inculpatus eſt? Si dicere fas ſit, puto hanc increpationem præ reliquis aliis fuiſſe commeritum Joannem, utpote qui paulò antè in cœna ultima ſuper pectus Dominicum recumbens dulcem capiebat ſomnum? Cur ergo ille ſeniculus perſtringitur ſolus, cui magis aliquid quietis propter ſenium erat indulgendum? An fortaſſe, quia ſuperior & princeps erat cæterorum, quibus bono oportuiſſet præire exemplo? Ita quidem exiſtimat S. Petrus Chryſologus; verùm alia hîc latet cauſa ac myſterium. Lucam conſulamus, qui capitulo quinto, verſu Marc. 14. 37.

 quin-

Digitized by Google

quinto aſſerit, quòd Petrus aliquando noctem integram piſcando impende-
Luc. 5. 5. rit, & nec nullum reti concluſerit piſciculum: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Ecce Petrus per totam noctem potuit inſudare temporalibus, pro vili pretio in mari periculoſo vigilias ducere inſomnes, ubi tempus non nimis longum aut moleſtum ipſi videbatur; & tamen per cunctos hos labores & ſudores nihil cepit, nec carpionem, nec lupum, nec trutam, nec naſum, nec anguillam, nec apuam, nec ſardam, nec aſellum marinum, &c. Jam cùm agitur de æterna ſalute, de oratione & meditatione, de paſſione & generis humani redemptione, una hora ipſi gravis videtur? O Petre! an ignoras, quòd nulla pœna ſit amarior, quàm amiſſi temporis recordatio?

Matth. 25. 13. O quoties eadem Veritas Chriſtus nos adhortatur: *Vigilate, quia neſcitis*
Proverb. 8. 34. *neque diem neque horam.* Quoties nos monet beatiſſima Virgo: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei.* Quoties Angelus, cui ſalutis noſtræ cura à DEO demandata eſt, nos excitat:
Gal. 6. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Quoties è pulpito à Verbi DEI præco-
Iſa. 55. 6. nibus aut conſcientiæ noſtræ arbitris audimus: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.* Quoties & ipſa conſcientia noſtra, quæ eſt fidelis monitrix, &
Eccleſ. 5. 8. agendorum aut omittendorum ratio, nobis in via ſalutis dormitantibus inculcat, ac improperat: *Ne tardes converti ad Dominum,* &c. Et nos miſeri ad hæc omnia ſurdi ſtamus, ac toto proflamus pectore ſomnum?

Prov. 6. 6. 7. De formica refert Salomon, quòd in tempore & in æſtate paret cibum
S. Cyrillus Catech. 6. ſibi, & congreget in Meſſe, quod in hyeme comedat: *Imitare,* inquit S. Cyrillus, *formicam in æſtate ſibi theſaurizantem cibos, theſauriza tibi ipſi fructus bonorum operum in futura ſæcula.* Nunc, nunc meſſis eſt & tempus colligendi, dum adhuc juvenis ſanus, vegetus & incolumis es; noli differre in hyemem,
Matth. 24. 20. *ut non fiat fuga tua in hyeme,* hoc eſt, tempore mortis, ubi cunctæ corporis vires, ſanitas, opes, cupiditates, concupiſcentiæ, cōmoditates, voluptates, amici & ipſa vita te deſerent, & tu ſolus ibis ſine comite ad DEI tribunal, ſupremam illam auditurus ſententiam, à qua ad aliam non ampliùs poteris appellare. O quàm horrendum erit incidere in manus DEI viventis!

Luc. 7. 37. Magdalenam imitare, opportunè & importunè in domum Simonis leproſi ad convivium irruentem: *ut cognovit,* ait Lucas, *quòd Jeſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retro ſecus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Quæ obſecro, hæc inurbanitas in illuſtri damicella? Ad quid in conclavi irrupit non vocata? Quid planctus & gemitus ad convivium? Noli, O Mulier, noli moleſta eſſe tot convivantibus, ſed aliam, ma-
S. Aug. lib. 50. hom. 23. tom. 10. giſque accōmodam ſelige occaſionem cum Jeſu animæ tuæ medico loquendi. Magdalenam excuſat S. Auguſtinus: Valde, inquit, prudenter egit, quia tempus ſalutis ſuæ benè impendit, quæ licet inopportuna convivio, opportuna tamen beneficio venit, noverat enim, quanto morbo laboraret, proinde

nec

nec momentum cunctari voluit, ſed *ut cognovit*, quòd JESUS accubuiſſet, ſe itineri accinxit, ut veniam delictorum & gratiam impetraret Divinam. Hoc illuſtre exemplum & tu imitare, anima Chriſtiana, & noli in negotio ſalutis tuæ vel ad momentum cunctari, vigilantibus enim jura, & mora ſua cuilibet nociva eſt: *Juſtum eſt igitur*, dicebat quondam Jacob ad Labanum, poſtquam jam viginti annis ei inſervierat, *ut aliquando provideam domui meæ*, Gen. 30. 30. Supra quod pereleganter S. Chryſoſtomus: *Vivamus*, ait, *DEO paululùm, qui ſæculo viximus totum; Demus animæ paucos dies; tempus eſt, ut domui noſtræ provideamus: Quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt dies.* S. Chryſoſt. ſerm. 12.

Pro dictorum coronide nobis inſerviant duo illi cœci, qui extra urbem Jericho ſedentes, cùm audiſſent, quòd JESUS per viam illam tranſiret, vocem ſuam elevarunt: *Et clamaverunt dicentes: Domine miſerere noſtri.* Non poterat turba, quia ab auditione Verbi Divini impediebatur, ulteriùs audire Matth. 20. 30. hanc inconditam cœcorum vociferationem. idcirco, *increpat eos, ut taceerent.* Quid ad hoc duo iſti cœci? *At illi magis clamabant.* O mendici importuni! O cœci moleſti! ad quid hic clamor inſanus? *An qui plantavit aurem, non* Pſ. 93. 9. *audiet*? Reſpondet S. Auguſtinus: Benè & rectè prædictos cœcos clamâſſe, S. Auguſtin. *quia Chriſtum timebant tranſeuntem*; & Lucas Burgenſ. *Clamaverunt, ne fortè elaberetur JESUS, & ipſi interim illius ope deſtituerentur*, hinc non curabant hominum dicta & improperia: *Et increpabant eos.* Sic & tu age, anima Chriſtiana, nunc cùm JESUS apud te tranſit; nunc cùm gratiam ſuam offert; nunc cùm vocat te ſanctis ſuis inſpirationibus; nunc cùm ad oſtium cordis tui pulſat: *Aperi mihi Soror mea, Sponſa*; nunc cùm & ſanctiſſimam ejus Matrem propitiam habes, de qua S. Anſelmus: *O MARIA! peccatores non abhorres, ſine quibus nunquam fores tanto digna Filio:* Nunc, inquam, dum tempus eſt, in rem & ſalutem tuam vigila. Ah anima miſera, noli ne ad momentum quidem tardare, noli obdurare cor tuum. Imitare pro fine apiculam, quæ, ubi ventum validum providet, ſibi de lapillo proſpicit, quem geſtans gravior contra ventos efficitur, & ſic ſecura ad alveare ſuum remeat, unde lemma: *Dat vires pondus.* Hoc fac & tu, anime mi, imminet & tibi ventus in agonia validus, migrandum erit, ah quo? ne ergo à turbine iſto diſpergaris in tartarum, provide tibi de lapillo ſine manibus de monte abſciſſo, qui eſt Chriſtus DEUS noſter & SS. Mater ejus.

& Luc. Burgenſ. in hunc locum

Cant. 5. 2. S. Anſelm. in Proloq. d. 1. p. q. 25. art. 6.

Dan. 2. 34.

# CONSIDERATIO LVIII.

## B. Virgo etiam poſt Filii in cœlum aſcenſionem ſedulò amariſſimam ejus paſſionem meditabatur.




**Meditabor ut columba.**

*Iſa.* 38. 14.

1. TUrtur avis notiſſima, ubi per immaturam mortem dilectum ſuum Conſortem amiſit, non duntaxat impoſterum vitam cœlibem degit, ſed & ſolitudinem petens reliquos vitæ dies in gemitu & planctu conſumit: *Nihil*, ait S. Au-
S. Aug. in guſtinus, *tam amicum gemitibus, quàm columba; diu noctuque*
Pſalm. 54. *gemit.* Ad quod pariter alluſit Prophetarum Princeps Iſaias, dum ſuſpiria, gemitus & fletus ſanctarum animarum, in hac mortali vita &
Iſ. 59. 11. lacrymarum valle degentium, columbæ gementi atque meditanti aſſi-
Virg. Ecl. 1. milavit: *Quaſi columba meditantes gememus;* & Virgilius: *Nec gemere aëria ceſſabis*

*ſabit turtur ab ulmo;* hinc pro Lemmate noſtræ myſticæ columbæ, vel turturi ſolitariæ in deſerto ſedenti, inſcribere placuit: *Nec plangere ceſſat;* vel ſi fortaſſe magis tibi arridet ad propoſitum:

## Gemit Dilectum ſuum.

Per hanc columbam gementem, ſeu turturem, ſolitariam rectè doloroſam Chriſti Matrem, nunc Filio ac Sponſo orbatam intelligimus, quæ dilectiſſimum animæ Sponſum ac Filium ſuum etiam poſt glorioſam in cœlos aſcenſionem, cùm de amariſſima ejus paſſione, cruce & indigniſſima morte recordaretur, inenarrabilibus gemitibus, quoad vixit, deploravit; proinde ſæpiùs, ut ipſa B. Birgittæ dixit, Calvarium montem, aliáque ſacra Palæſtinæ loca, in quibus amantiſſimus Filius paſſionis ſuæ veſtigia reliquit, piâ ac conſtanti devotione per ſuperſtitem vitæ curſum viſitavit: *Omni tempore*, inquit ipſa ad B. Birgittam, *quo poſt aſcenſionem Filii mei vixi, loca viſitavi, in quibus ipſe paſſus eſt, & mirabilia ſua oſtendit; ſic quoque paſſio ſua in Corde meo fixa erat, quòd ſive comedebam, ſive laborabam, quaſi recens erat in memoria mea.* Lib. 6. Revel. Cap. 56.

Et hoc eſt, de quo Sanguinum Sponſus in ſuo Epithalamio teſtatur: *Columba mea in foraminibus petræ; in caverna maceriæ;* Petra autem erat Chriſtus & hic Crucifixus, per foramina autem petræ SS. ejus manuum, pedumque Vulnera intelliguntur, & per cavernam maceriæ ſuaviſſimum COR JESU immiti lancea perforatum; in his ergo SS. plagis B. Virgo & Mater, quamdiu in vita fuit, per devotiſſimam meditationem, contemplationem & compaſſionem habitavit: *B. Virgo*, ait Cornelius, *ſepulchrum Chriſti, quod exciſum erat ex petra, æquè ac montem Calvariæ, ubi petra infixa erat Crux Chriſti, reliquaque loca, in quibus paſſus fuerat Chriſtus, crebro & devotè viſitabat, & obibat, ut in eis penè habitare videretur.* O anima Chriſtiana! imitare & tu hanc SS. Deiparam: *Eſto quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis*, hoc eſt, in SS. CORDE JESU? & quid dulcius, quàm meditari in mandatis Domini, ac præſertim juxta exemplum afflictiſſimæ Matris de vita & paſſione JESU? Cant. 2. 14. Cornel. in Cant. 2. 14. Jerem. 48. 28.

2. De Muliere Sareptana referunt Regum faſti, quòd in viduitate ſua ſupremo animæ ſuæ ſolatio duo ſibi ligna extra portam civitatis Sareptæ collegerit, quibus inopiam ac calamitatem ſuam ante obitum ſolari expetebat. *En colligo duo ligna*, &c. Subintrat hîc Rupertus Abbas, derelictam illam & inopem Viduam bene in extrema ſua neceſſitate duo ligna expetiiſſe, & collegiſſe, quia per illa Crux Dominica adumbrata eſt, quæ ex duobus lignis, uno erecto, & altero transverſo, eſt compoſita, atque unicum miſeris mortalibus in vita & in morte ſolet eſſe ſolatium: *En* inquit dictus Rupertus in perſona hujus deſolatæ Viduæ, *Colligo duo ligna, & meam conſolor inopiam amplectens duo ligna crucis*, &c. Obſer- 3. Reg. 17. 12. Rup. Abb. de Trinitat. l. 5. cap. 7.

Digitized by Google

Obſerva hîc, anima Chriſtiana, perelegantem typum in Sacratiſſima Deipara, Vidua Hieroſolymitana & derelicta expletum, quæ poſt abitum Filii in cœlum non majus ſolamen habuit, quàm ut iteratò ſacra loca viſitaret, & duo ligna crucis meditando colligeret, hic erat quotidianus cibus

Luc. 2. 19. & potus doloroſæ Matri, uſque dum in cœlum aſſumpta eſt: *MARIA autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.*

Ita Ruth, nota illa Moabitis, in agrum divitis Booz tempore meſſis ſe contulit, ut ibidem relictas metentium ſpicas colligeret, quam ubi Booz aliquando conſpicatus eſt, eam ad panem in aceto intingendum peramicè

Ruth. 2. 14. invitavit: *Quando hora veſcendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge bucellam tuam in aceto,* &c.

Plùs quàm Ruth innocentiſſima & inops Vidua Sacratiſſima Deipara, quæ non in agro Booz, ſed in agro Golgothæo relictas paſſionis ſpicas, & verum frumenti granum, à Judæis in cruce contritum, & mortificatum, per reliquos vitæ dies, quantùm potuit, per devotiſſimam meditationem ac contemplationem collegit, quem panem myſticum in aceto amariſſimæ paſſionis intinctum, quotidie manducavit, non immemor illorum

Jerem. 11. 19. improperiorum: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur ampliùs.* O anima Christiana & Religioſa, habes hîc exemplar, quod tibi à doloroſa Virgine & Matre tua

S. Bernhard. cit. à le Blanc Tom. 6. in Pſalm. 150. v. 5. monſtratum eſt, qualis eſſe debeat quotidianus cibus tuus; audi, & imitare Mellifluum: *Sit tibi, inquit, JESUS ſemper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & deſiderium tuum, oratio & contemplatio tua; vita & mors & reſurrectio tua.* Hæc. S. Bernardus.

3. Recordor hîc Divini illius Sponſi, qui ut dilectam ſuam Sponſam ad jugem ſui amorem excitaret, ab ea petiit, ut effigiem ſui ſemper in corde & mente, atque etiam in brachio & operatione geſtaret, eoque quaſi

Cant. 8. 6. ſignaculo cor & brachium obſignaret: *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum.*

O beatiſſima Virgo! tu per illam Sponſam deſignata es, quæ hunc dilectum ſanguinum Sponſum ac filium tuum ſemper ut ſignaculum ſuper Cor tuum non ſolùm ethicè per amorem pluſquam maternum, ſed etiam phyſicè ſuper brachium tuum portâſti; & neque in infantia tantùm, dum eum virgineis ſtrinxiſti ulnis, toties poctori admoviſti, in Ægyptum portâſti, &c. Sed etiam cùm de cruce deponeretur, illum materno ſinu excepiſti, & ut ſignaculum ſuper cor tuum & brachium tuum poſuiſti, quod ſigna-

Alanus ap. Cornel. in hunc loc. culum nunquam per omnem vitam in te deletum, ſed novis ſemper quotidie incrementis renovatum eſt: *Virgo MARIA*, ait Alanus, *Chriſtum poſuit ſuper Cor ſuum, ut ſignaculum, quia ipſi per imitationem conformata eſt,*

*ejusque*

*ejuſque gratiâ conſignata. Hoc autem incognitum fuit diabolo, & cognitum Angelo: ſuper brachium tuum, id eſt, in omnibus operibus tuis memor eris mei. Super Cor Virginis, & ſuper brachium Dilectus ponitur ut ſignaculum, quia in cogitationibus, quæ notantur per cor, & in actionibus, quæ per brachium, Virgo Filium imitatur.* Hæc Alanus.

Ex quibus facilè colliges, prudens Lector, dolores Sacratiſſimi Cordis MARIÆ uſque ad finem vitæ ſemper duráſſe, proinde haud immeritò cùm Vate Threnologo dicere poterat: *Memoriâ memor ero; & tabeſcet in me anima mea.* Juvat hîc audire S. Ildephonſum: *Si ſcire volumus*, inquit, *quid DEI genitrix poſt reſurrectionem Domini, antequam ipſa cœlos aſcenderet, agebat, ſine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Paſſionis, Sepulturæ, & Reſurrectionis frequenter circumiens, inviſere cupiebat, in iisque etiam locis lacrymas fundebat, & Sanctiſſimi Oris ſui oſcula dulciſſima imprimebat:* & quidem tanto cum amore ac dolore, tantâ cum pietate & animi ſenſu, ut, beato Alberto Magno atteſtante, hæc Sacratiſſima Deipara ſæpiùs in ejuſmodi contemplationibus, ac ſacris peregrinationibus, præ animi teneritudine & vivâ Dominicæ paſſionis apprehenſione & compaſſione erga Filium mortua fuiſſet, niſi eam Deus miraculo in ſummum primorum fidelium ſolatium ſuſtentâſſet. Itò nunc, tepide Chriſtiane, qui immemor Paſſionis Dominicæ vivis; ad quid, obſecro, ſodes, Chriſtianus es, ſi Chriſtum & Sacratiſſimam Matrem ejus imitari non ſatagis? *Sine cauſa*, ait Mellifluus, *ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor;* & nunquid Gentium Doctor Paulus monet: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſùs ſemetipſum contradictionem, ne fatigemini animis veſtris deficientes; nondum enim ad ſanguinem reſtitiſtis adverſùs peccatum repugnantes?* Obſerva hîc, tepide Chriſtiane, τὸ *Recogitate*, quaſi diceret Apoſtolus; Iterum, iterumque cogitate, ac revolvite juxta exemplum doloroſæ Matris ac primorum Chriſtianorum Chriſtum JEſum & hunc Crucifixum, quem Angelus Dominicæ Reſurrectionis prænuntius non alio nomine, quàm Crucifixi decoravit: *JESUM quæritis Nazarenum Crucifixum?* Non dixit Dominum, Regem gloriæ, Judicem univerſorum, &c. Sed Crucifixum NB. etiam poſt glorioſam ejus reſurrectionem: *Non erubeſcit*, ſunt verba Victoris Antiocheni, *Crucifixi nomen, hoc uno enim nomine, & re omnium bonorum noſtrorum ſumma continetur.*

Threnor. 3. 20. | S. Ildephonſ. ſerm. 5. de Aſſumpt. B. V. | B. Albert. M. ſuper Miſſus. | Hebr. 12. 3. | Marc. 16. 6. | Vict. Antioch. in c. 16. S. Marc.

4. S. Paulus inſignis amator & imitator Crucifixi JESU de ſeipſo teſtatur: *Chriſto confixus ſum cruci: Vivo autem non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Si Diſcipulus hoc de ſuo Magiſtro, quid penſamus de Sacratiſſima Matre Crucifixi JESU, cujus tota vita cum Filio crux fuit & Martyrium? Proinde meritò à S. Epiphanio appellata eſt *Cruciformis*, quia ſemper unà cum Chriſto Crucifixo per omnem vitam unita fuit, de quo aſſiduò cogitavit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* O anime mi! ubi noſtræ ſubinde inter orandum & meditandum ſunt cogitationes? Ah quoties dicimus: O DEUS, ego amo te:

Gal. 6. 10. | S. Epiph. de Laud. B. V. | Cant. 2. 16.



Digitized by Google

Amor meus crucifixus eſt: Vivat JESUS amor meus, & MARIA Mater
Geneſ. 27. 22. ejus; & interim mentem ad creaturas convertimus? Sic *vox quidem eſt Jacob, manus autem manus ſunt Eſau*, dum aliud loquimur, aliud operamur. O nos deſides, & miſeros! quoties aſpicimus, vel tranſimus imaginem Crucifixi Redemptoris noſtri, ac Sacratiſſimæ doloroſæ Matris ad pedem crucis ſtantis,
Rom. 8. 17. & ridemus? Et nulla commiſeratione erga illos tangimur? *Si compatimur, & conglorificabimur*, ubi noſtra compaſſio eſt? S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, cùm aliquando in pictura obſervâſſet, & conſiderâſſet, ſeveram Abrahami pietatem, quâ Iſaacum filium ſuum ſuper ſtruem lignorum DEO
Cornel. in Geneſ. 22. 14. in holocauſtum offerre intendit, mox in largiſſimas profuſus eſt *lacrymas*: *Vidi*, ait ipſe, *ſæpius deſcriptionem ejus* (immolationis Iſaac imaginem) *& ſine lacrymis tranſire non potui, cùm tam efficaciter, & ad vivum ob oculos hiſtoriam rei poneret.* Eheu ubi noſtræ ſunt lacrymæ? Vel ſaltem digna commiſeratio, & amor reciprocus, dum effigiem Crucifixi DEI Filii & afflictiſſimæ Matris ejus intuemur, vel comtemplamur? Si quis amicorum tali ac tanto ſanguinis pretio te, O Chriſtiane, à morte liberâſſet, quanto, obſecro, te illi obſtrictum profitereris beneficio? Et DEUM non curas?

Martin. in Proloq. de Paſſ. Dom. Hanc veritatem cùm aliquando S. Eliſabetha Regis Ungariæ Filia attentiore mente conſiderâſſet, ſimulque luctuoſam Crucifixi JEſu effigiem in templo aſpiceret, inter manus Gynæcei, deficiente animo, in deliquium lapſa eſt, ubi tandem ad ſe rediens exclamavit: Ubi eram hactenus, O mi JEſu! O amor crucifixe? Tu cœli terræque Dominus in ligno nudus, & abjectus pendes, & ego ſuperbiam terra & cinis? Tu cruentis ſpinis coronatus es, & ego aureâ gemmisque diſtinctâ coronâ? Tu ſponſus meus purpureo natas in ſanguine, & ego purpurâ regiâ & aureâ telâ veſtiar? Tu diriſſimis clavis perforatas geſtas manus, & ego pretioſis chirothecis eas tegam? Sacratiſſimum Cor & Latus tuum crudeliſſimâ lanceâ perforatum eſt, & ego cor durum erga te & pauperes geram? Tu in ſum̃a & extrema pauperie, & ego in opulentia? Tu noviſſimus virorum, & ego cupiam magnifieri? Tu in fame & ſiti, & ego in exquiſitis epulis? Tu in ſum̃is doloribus, & ego in regalibus delitiis? O amantiſſime Jeſu! quomodo hactenus tam benignè poteras tolerare tam inutile terræ pondus? Aut poſthac alia ero, aut nulla aut tibi vivam, aut non ampliùs vivam. Dixit, habitum regium cum plebejo com̃utavit, vitamque ſanctiſſimam, prout rei eventus poſtea declarâvit, conſtantiſſimè uſque ad beatum obitum duxit. Tantùm huic Reginæ profuit, vel ſemel Crucifixum JESUM pio mentis oculo conſiderâſſe. Et tu, O anime mi, quid agis, qui toties Crucifixum in via, in templo, in conclavi conſpicaris? Et nullo amoris affectu & ſenſu in illum moveris?

5. Refert Æneas Sylvius, poſtea Pontifex Maximus, Pius II. dictus, quòd Pachorus nobilis juvenis Lucretiæ amaſiæ ſuæ æquè nobili in ſinceri amo-

Digitized by Google

amoris ſignum perelegantem florum faſciculum transmiſerit, cum ſchedula amatoria in faſciculo inſerta: *Cogita de me, & ego de te.* Apagite mundani & inſani amores; Chriſtus nobiliſſimus ſanguinum Sponſus, etiam poſtquam in cœlum abiit, Sacratiſſimæ tamen Sponſæ ac Virginis Matris ſuæ oblivi- ſci non potuit, ſed ei in ſummi amoris theſſeram ſimilem florum faſciculum reliquit, cum epigraphe: *Cogita de me, & ego de te.* Audi ipſam hanc Divinam Sponſam loquentem: *Faſciculus myrrha Dilectus meus mihi*; & in alio loco: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* O quoties in hac lacrymarum valle poſtglorioſam Filii aſcenſionem caſtiſſima illa turtur & derelicta Vidua has in cœlum ad dulciſſimum Natum ſuum ingeminavit voces: *Cogita de me, & ego de te.* Æneas Sylv. cit. ab Engelgr. Dom. Quinquageſ. Cant. 1. 12. Canti. 7. 10.

Dum ſpeluncam Bethlemicam ſubinde inviſit, ubi orbi peperit Salvatorem, eumque ubere de cœlo pleno lactavit, jam tunc præcognoſcens, illas virginei lactis guttas in ſanguinem convertendas, pro ſalute univerſorum aliquando in cruce effundendum, ſuſpirabat Dilecta illa: O mi JESU, *cogita de me, & ego de te.* Si interdum viſebat patrium ſolum, in quo ad Angeli nuntium VERBUM caſtis concepit viſceribus, ubi & ipſum educavit, ac pluribus annis cum illo in laboribus & mirabili paupertate vixit; ah quis dicet, quis effari poterit amoris illius exceſſum & maternum affectum, quo in dilectum & floridum ſuum ferebatur Nazaræum? Credo, & firmiter mihi perſuadeo, quòd ſe convertens ad Angelos, qui aſſiduò Reginam ſuam, tanquam ſupremi Principis ſui Matrem, velut Aulici officioſè ſtipabant, ſæpiùs dixerit: *Adjuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Si ad montem digreſſa eſt Olivarium, ubi dilectus animæ Sponſus Sanguinem ſuum tam copioſè pro orbis ſalute profudit, ut omnium elueret noxarum maculas; in quo loco illo quoque glorioſus de morte, inferno & diabolo Triumphator ad cœlos aſcendit, ineffabili pietatis affectu ſacra ejus exoſculabatur veſtigia, miraculoſè in viva illa petra epreſſa, cum Paulo millies ingeminans: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Si alia loca ſacra miraculis illuſtrata, aut ſanguine Filii rigata, & peculiariter Calvariæ montem inviſebat, in quo Dominus univerſorum cruci affixus eſt, & vita cum morte duello conflixit mirando, quis fando dicere valebit, quàm amaris lacrymis terram illam ſanctam irrigârit? Si ad Domini ac Filii ſui ſepulchrum perrexit, credo, hanc Sponſam totam amore in DEUM emollitam ad cœleſtes aulæ Spiritus illud geminâſſe: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 5. 8. Phil. 1. 23. Cant. 2. 5.

O doloroſiſſima Mater! verè erat *faſciculus myrrhæ Dilectus tuus: Inter ubera* (imò & in corde tuo) *commorabitur*; & ſi in corde B. Claræ V. de monte Falcone faſciculus ex variis Dominicæ Paſſionis inſtrumentis collectus, cum effigie Crucifixi JESU poſt ejus felicem ex hac vita diſceſſum in-

Cant. 1. 12. Quareſm. Tom. 1. de SS. Vul.

ventus fuit; quantò magis in Sacratiſſimo Corde tuo, ô Beatiſſima! tota Chriſti JEſu vita, crux & paſſio inſcripta, & digito DEI inſculpta poterat reperiri! O ſi aliquando Chriſtus JEſus & hic Crucifixus ſculperetur in Corde meo, ut nihil præter illum cogitarem & amarem! ô Domine! hîc opus eſt ſtylo ferreo.

Rho Hiſt. Virt. lib. 3. c. 2. §. 10.

6. De Venerabili Urſula Benincaſa Virgine Neapolitana, cujus ſpiritum juſſu ſummi Pontificis S. Philippus Nerius diverſimodè probavit, & approbavit, recenſet Rho, quòd, cùm effigiem Chriſti in cruce patientis, vivis expreſſam coloribus pro ſuo genio & devotione vehementer deſideraret, nec ullus pictorum, quantumvis artis peritus, illius mentem aſſequi, aut ei ſatisfacere poſſet, ipſa, quæ hactenus nunquam penicillum attigit, aut colores tractavit, auſa eſt Crucifixum pingere, in qua affigie ad vivum dolores patientis JEſu, ejusque amorem arte prorſus miranda expreſſit: *Ita effinxit imaginem*, inquit Rho, *ut in mediis doloribus Divinam illam charitatis alacritatem, qua hominibus ſalutem afferebat, incorrupta dolorum ſignificatione repræſentaret. Amoris ſcholam unam omnibus parem artibus quis neget?*

O ſi beatiſſima Virgo & Mater doloris & amoris penicillos attigiſſet, & in tabula dilectiſſimum Filium ſuum in cruce amore noſtri vulneratum, & morientem pinxiſſet, quis mortalium hanc potuiſſet æſtimare picturam? Hæc una imago præ reliquis omnibus omnium ſibi vendicâſſet amorem. O doloroſiſſima Virgo! pinge, ah pinge in tabula cordis mei ſimilem luctuoſam patientis & crucifixi Filii tui effigiem, ut nihil impoſterum aliud memoria mea cogitet, quam Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum; de nihilo alio diſcurrat intellectus, quàm de Chriſto Jeſu, & hoc Crucifixo; nihil aliud voluntas velit, quàm Chriſtum Jeſum, & hunc Crucifixum, ut ſic ſemper *Vita mea ſit quaſi pendens ante me*, imò in me, ut cum Apoſtolo dicere poſſim: *Chriſto confixus ſum cruci: Vivo autem non ego; vivit verò in me Chriſtus.* Ah utinam in hac meditatione exardeſcat ignis doloris, ignis amoris in me, ut verè dicere poſſim: *O beatum incendium, amare DEI Filium, & Sacratiſſimam Matrem ejus doloroſam.*

Deuter. 28. 66. Gal. 6. 19.

CON-

# CONSIDERATIO LIX.

## Beata Virgo & Mater Doloroſa docet modum qualiter nos oporteat Chriſti Filii paſſionem meditari.




**Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in Auctorem fidei, & Conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, &c.**
*Hebr. 12. 1.*

1. REctè monet Siracides: *Gratiam fidejuſſoris ne oblivifcaris, dedit enim pro te animam ſuam.* Talis quondam fidejuſſor Eccleſ. 29. 20.
erat Judas pro Benjamin, Patri ſpondens: *Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illum* Genef. 43. 9.
Plùs Chriſtus, qui Novi Teſtamenti Sponſor apud Patrem pro omnibus peccatorum noſtrorum debitis fidejuſſit; & quia nos non eramus ſolvendo, ipſe noſtra debita in ſe tranſcripſit, & pro eis copioſâ redemptio-

 ne

Digitized by Google

ne non in ære, ſed in cute ſatisfecit, ſufferendo nimirum omnes pœnas ac tandem amariſſimam crucis mortem: O fidelem Fidejuſſorem! ô Chriſtiane! *Gratiam* hujus *Fidejuſſoris ne obliviſcaris; dedit enim pro te animam ſuam*, & qui primâ cruoris ſui ſtillâ te & millenos poterat mundos ab interitu redimere, ex abundantia infinitæ charitatis dedit ultimam. Hinc Divi Pauli monitum

Hebr. 12. 3. eſt: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adversùm ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes: Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis adversùs peccatum repugnantes*; ubi nos peculiariter monet per illud *recogitate*, ut ſeriò cogitemus, conſideremus & expendamus, quæ, & qualia pro noſtra, omniumque ſalute Chriſtus perpeſſus ſit tormenta, ac contradictionem ab omnibus Judæis, Gentilibus & impiis peccatoribus, ut illius exemplo animati pro Chriſto non tantùm bona, ſed & ſanguinem, vitamque profundere cupiamus, & illius paſſionem jugiter in cordibus feramus,

1. Petr. 2. 21 ac moribus imitari ſtudeamus; unde S. Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*, &c. Et D. Paulus: *Aſpicientes*

Hebr. 12. 2. *in Auctorem fidei, & Conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ.*

Inter omnes autem, qui Chriſti patientis veſtigia inſecuti ſunt, ejusque paſſionem ac diriſſimam crucis necem gratâ recolebant memoriâ, prima & princeps fuit pretioſiſſima Virgo & Mater doloroſa, quæ per omnem vitam, etiam poſt glorioſam Filii ſui in cœlum aſcenſionem, quotidie huic devotiſſimæ meditationi incubuit: *MARIA*, ait Juſtinus Miechovienſis,

Juſtin. Miechov. O.P. diſc. 302. in Lit. B.V. *omnia vitæ, paſſioniſque Chriſti myſteria aſſiduè mente revolvebat; omnia verba ejus Chriſtum reſonabant, cogitata & ſuſpiria Chriſtum expetebant. Cùm ambularet, non ſine Chriſto ambulabat: Quoties illa flebat, toties propter Chriſti dolores, vel certè ob Chriſtum plorabat? Si gaudebat, de Chriſto, vel propter Chriſtum gaudebat. Denique nihil erat in illa, quo Chriſtum non redoleret, ac repræſentaret. Tota DEO unita, tota Chriſto devota erat.* Et poſt pauca interjecta: *Non potuit*, inquit, *certè ullo momento vitæ, paſſioniſque Filii obliviſci, cùm Cor ejus clariſſimum vitæ, paſſionis ac mortis Chriſti fuerit ſpeculum.* Cujus Divinæ Matris exemplo & cæteri Apoſtoli accenſi, & SS. Martyres animati, quia ſimili piâ meditatione aſpiciebant in Auctorem fidei & Conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, & ipſi alacri ac forti animo, velut generoſi elephantes, ſanguinem uvæ preſſæ intuentes, in cruenta ruebant certamina: *Elephantis*, inquit primus Machabæorum Liber, *oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad accendendos eos in prælium.* Juvat hîc audire S. Antoninum: *In hujus figuram*, inquit, *mandavit Antiochus Rex elephantibus, qui erant in bello, ut oſtenderetur ſanguis uvæ & mori, ut acriùs accenderentur ad prælium: Similiter ad aſpectum & conſiderationem ſanguinis Chriſti, qui ad modum uvæ dicitur calcatus in torculari crucis, bellantes*

1. Mach. 6. 34.

S. Antonin. p. 4. Tit. 3. cap. 7. §. 4.

*con-*

*contra adverſitates & mundi tentationes, carnis & diaboli, accenduntur ad reſiſtendum & bellandum.* Unde Lemma: *Sanguis robur adauget.* Vel ſi mavis illud Piccinelli:

## Acuitur in prælium.

2. Et hoc eſt, ad quod alluſit quondam Sponſus, dum dilectæ ſuæ capillos in amoris Cantico purpuræ Regis comparavit: *Coma capitis tui ſicut purpura Regis.* Et bene Regis purpuræ Reginæ comæ aſſimilatæ ſunt; rubebat nimirum caro Sponſi ſanguinum ſanguine paſſionis, rubebant & maternæ cogitationes, ut ita loquar, velut regalis purpura, ſanguine compaſſionis: *Senſus eſt*, ſubintrat hic Guilielmus Cardinalis, *cogitationes tuæ*, O B. Virgo! *tinctæ in ſanguine Dominicæ Paſſionis, ſic affectæ ſemper fuerunt, quaſi recenter viderent ſanguinem de Vulneribus fluentem.* Et ſi de S. Birgitta Eccleſia dicit, quòd, cùm decennis JESUM in cruce recenti ſanguine perfuſum vidiſſet, nunquam hujus ſui crucifixi Amoris ſine lacrymis meminerit: *quo ex tempore in ejuſdem meditatione ita efficiebatur, ut de ea ſine lacrymis cogitare deinceps nunquam poſſet.* Quid dicemus de doloroſa Matre, quæ ipſa præſens cruentiſſimam Filii ſui ſpectavit paſſionem, eique in cruce morienti adſtitit, depoſitum de ligno corpus gremio excepit, lacrymis rigavit, ac ſepelivit? Hæc, inquam, paſſio Filii, prout ipſa S. Birgittæ inſinuavit, *Quotidie quaſi recens erat in memoria mea.*

Cant. 7. 5. — Guil. hic. — Brev. Rom. 8. Octobr. — S. Birgitt. lib. 1. c. 77.

De Iſaac referunt SS. Litteræ, quòd ſolitus fuerit circa veſperam ſolus in agro meditari: *Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro inclinatâ jam die*; ubi juxta Cornelium tum res naturales, uti ſunt aſtrorum motus & curſus ſiderum, tum etiam, & quàm maximè eorum Authorem & motorem Deum meditabatur. Alcuinus docet, Iſaacum hic extitiſſe typum Chriſti Domini, qui plerumque veſperè & noctę oraturus & meditaturus ſeceſſit in montem. Utriuſque exemplum ſecuta eſt doloroſa Virgo, quæ omni illo tempore, quo Jeroſolymis poſt Filii ad cœlos aſcenſionem morabatur, ut dolori vel amori ſuo ſive levamen, ſive pabulum quæreret, frequentiſſimè loca, ſanguine & paſſione Filii ſui conſecrata, inviſebat, conferens in corde ſuo, quæ in tam horrendo crucis ſupplicio ipſa vidit, audivit, & experta eſt. O quis dicet, quo animi fervore, zelo ac devotione, quibusque amoris, admirationis, gratitudinis, compaſſionis, & imitationis affectibus hæc SS. Virgo Paſſionem Dominicam meditata ſit! *B. Virgo*, inquit memoratus Juſtinus Miechovienſis, *montem Calvariæ, quem Chriſtus ſanguine ſuo pretioſo irrigaverat, aſcendebat, eumque locum lacrymis irrogabat*, &c. O benedicta terra, quæ ſanguine JEſu Crucifixi, & lacrymis doloroſæ Matris toties conſecrata es! Quoties hæc pientiſſima Mater, cùm vel de longè hunc Calvarium montem aſpexit, in cœlum ingeminavit: *Ecce odor Filii mei, ſicut odor agri*

Geneſ. 24. 63. — Cornel. hic. — Juſtin. Miechov. loc. cit. — Geneſ. 27. 27.

*pleni* omnium virtutum floribus & gratiarum fructibus vernantis; olim terra eras maledicta nunc benedicta tu à Domino, quia in te occiſus eſt, Geneſ. 4. 8. qui ſalvum faciebat populum Iſrael. Verè innocens *Abel*, ô Fili mi! qui non Hebr. 13. 12. in civitate, ſed in agro mori voluiſti; ut omnes ad te liberum haberent acCant. 2. 1. ceſſum, & *ut ſanctificares per tuum ſanguinem populum, extra portam paſſus es.* Verè *Flos campi* non horti, quia flos horti delicioſè ſeritur, rigatur & clauditur, ſed flos campi patet omnibus, & contritus mirum fragrat odorem. *O Be-*Pſalm. 67. 28. *noni*! non ampliùs, id eſt, Filius doloris, ſed dulcis *Benjamin in mentis exceſſu*! Verè hîc eras, ô JESU! in mentis exceſſu, dum talia ac tam indigna in crucis ligno pro homine indigno voluiſti perpeti. O Sionidæ! ô *Filiæ* Jeruſalem! ô Angeli! nuntiate Dilecto meo, quia ejus amore langueo. O Hebr. 13. 13. Chriſtiani! *Exeamus* & nos cum doloroſa Matre *extra caſtra improperium ejus portantes*, & paſſionem Filii ejus gratâ & devotâ mente conſiderantes.

3 Placet, anime mi, videre modum, qualiter doloroſa Virgo patientem Filium & Amorem ſuum crucifixum meditata ſit? Obſerva, & audi vocem ejus. De fide eſt, hanc afflictiſſimam Matrem pendenti & morienti Lyr. de Chr. Pat. f. 269. in cruce Filio adfuiſſe; ſtabat autem juxta crucem JESU, ait Hadrianus Lyræus, non, ùt pingitur, ad latus, ſed ante, ut Chriſti patientis & morientis faciem commodiùs poſſet intueri, eumque contemplari uberiùs. Conſiderabat cumprimis hæc pientiſſima Virgo, *quis* pateretur, DEUS nimirum ſummæ & infinitæ Majeſtatis, cui omnia inſerviunt, & ad cujus nutum pendent univerſa. *Quid* pateretur: ignominias, contumelias, opprobria infinita, flagra, ſpinas, clavôs, crucem, mortem, &c. *Ubi*: in loco abjectiſſimo, fœtore cadaverum, pœnis & morte nocentum infami. *Pro quibus*: ingratiſſimis videlicet ac viliſſimis homuncionibus, qui tam immenſam charitatem ne quidem unquam agnoſcent. *Cur*: ut à perpetuis gehennæ incendiis animam hominis miſeram per mortem ſuam non tam liberaret, quàm & perpetuum ſalvaret. *Quomodo*: maximo videlicet amoris affectu & animo cordatiſſimo, licet ab omnibus & ab ipſo patre Cœleſti *deſertus*, factus opprobrium hominum & abjectio plebis. *In quem finem*: ut exemplar præberet omnibus, Apoſtolis, Martyribus ac Chriſticolis univerſis qualiter & quomodo & ipſi impoſterum facerent ſecundùm hoc exemplar, quod ipſis in Calvariæ monte monſtratum eſt, &c.

Cui meditationi, quæ tunc à meridie uſque ad veſperam duraverat, doloroſiſſima Mater ſine dubio & hos addebat animi affectus: *Fidei* cumprimis, firmiſſimè tenens ac credens, cùm omnes in fide deficerent, hunc ipſum hominem, velut excoriatum pecus inter latrones in infami ligno pendentem DEUM eſſe infinitæ Majeſtatis, omniumque Conditorem ac Judicem. *Admirationis*, quòd tanta ac tam immenſa Majeſtas eò ſeſe potuerit dimittere, ut tam horrenda, tam indigna, tam inaudita, pro tam ingratis, tantillis & impiis

pate-

Digitized by Google

pateretur capitibus. *Charitatis*; non ignorans, quod poſtea Apoſtolus mortalitati humanæ calamo conſignavit: *Charitas Chriſti urget nos*: ubi alii legunt cum Fernandio: *Paſſio Chriſti urget nos*, ut illum ex toto corde, omniúmque viſcerum latitudine diligamus. *Gratitudinis*, quid econtrariò digni tanto benefactori, perpetuâ charitate nos diligenti, poſſimus rependere. *Zeli animarum*, quo omnium animarum diſcupiebat promoveri ſalutem, & quàm maximè per merita & paſſionem Unigeniti, ac unicè dilecti Filii ſui. *Commiſerationis*, ex intimo, ac penitiſſimo cordis materni affectu tantis condolens, & compatiens dulciſſimi Nati miſeriis. Et *imitationis*, quia non aliud deſiderabat, quàm cum Chriſto pati, affligi, contemni, crucifigi, mori. Juvat hîc audire S. Ephrem, qui pleroſque hujus Marianæ meditationis affectus in unum collegit faſciculum: *Stans*, inquit, *apud crucem puriſſima Virgo Salvatorem, quem in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, plagas reputans, intuens & clavos, querelas, colaphos, ac flagellationem cum gravibus ſuſpiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis doloroſiſſimis exclamavit dicens: Mi Fili dulciſſime, dilectiſſime, Fili, quomodo crucem ſuſtines? Mi Fili ac mi Deus, quomodo ſputa, clavos & lanceam? Quomodo pateris alapas, riſus, injurias, ſpineam coronam, purpuream veſtem, ſpongiam, arundinem, fel & acetum? Quomodo pendes in cruce denudatus, mi Fili, qui cœlum nubibus contegis? Quomodo ſitim fers, qui es opifex, quique mare & omnes aquas creaſti? Quomodo moreris inſons in medio ſceleſtorum? Quidnam commiſiſti? Quæ in re, Fili mi, Hebræos offendiſti? Et cur ergo iſti te ſimul iniqui, ingrati cruci affigunt, quorum claudos & multos valetudinarios ſanaſti? Tu verò quomodo interis, Fili mi dulciſſime, magnanime DEUS? Deficio te ſuſpiciens in ligno ſuſpenſum, conclavatum, plagiſque plenum; mi Fili, ubi nunc pulchritudo tua? Ubi tuus modò decor? Sed lumen ſuum obſcuravit, & alius factus eſt. Splendida luna in tenebras evanuit, petræ ſunt perfracta & monumenta aperta, templique velum in duo eſt diſciſſum, creatura Creatorem ſuum & Opificem cognoverunt, & hi perverſi ac miſeri Hebræi aures obſtruxerunt, oculos clauſerunt, ne ſolem unquam occidentem ſuſpectarent. Fili mi, ô Simeon admirande, en nunc gladium, quem mihi prædixiſti, Cor meum trajicientem. Ecce gladius, ecce vulnus, Fili & DEUS mi! Tua mors Cor meum ſubiit, viſcera mea ſunt diſrupta, meum lumen obtenebratum eſt, & pectus meum gravis pertranſiit gladius. Horrendam cerno paſſionem tuam, mi Fili & DEUS meus, video immeritam cædem tuam, nec opem ferre poſſum. Lugete mecum omnes Diſcipuli Domini, dolorem meum & vulnus profundum Cordis mei intuentes.* Hucusque S. Ephrem, quem licet prolixius loquentem, attentâ tamen aure & mente oportet audire. Adde tu, ô mi Lector, his Marianis affectibus & affectum perfectæ contritionis. Siſte te coram Crucifixo vel Euchariſtico Amore tuo, & interroga eum: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Quid Cor apertum, pedes cla-

2. Cor. 5. 14.

S. Ephrem, cum S. Bernhardo in Lament. V.

Zach. 13. 6.



Digitized by Google

vis ferreis terebrati, & innumera, quibus toto corpore plagatus es, vulnera? Et reſpondebit tibi: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*, ac præſertim, à te, qui dicis quidem, quòd diligas me, ſed cor tuum longè eſt à me: introſpice pectus tuum, an non magis ſenſuali ac propio diligas te amore quàm me DEUM ac Dominum tuum? O crucifixe JESU! habes confitentem reum, ego ſum reus mortis, reus judicii, reus gehennæ, non tamen deſpero, quàm diu Cor tuum ac Sacratiſſima Vulnera tua erunt aperta; proinde ex animo doleo, quòd te, omne Bonum meum, hactenus tam indignè offendi, ideoque ſolùm, quia tu omni amore es digniſſimus, &c. O Mater amoris & doloris, per charitatem illam, qua dilectiſſimum Filium in cruce morientem complexa es, exora mihi veniam & gratiam.

S. Auguſt. Manu. cap. 18. 4. En quales fructus pariat ſeria Crucifixi JESU meditatio, unde S. Auguſtinus affirmat, in omnibus ſe non inveniſſe tam efficax remedium, quàm Vulnera Chriſti. Talis meditatio manna eſt, quo anima noſtra cibatur eſuriens: *Cibavi de manna in ſolitudine.* (Deut. 8. 16.) Ros eſt, quo anima noſtra languida mirum in modum reficitur: *Ero quaſi ros: Iſraël germinabit.* (Oſe. 14. 6.) Mel de petra eſt, oleúmque de ſaxo duriſſimo, electo DEI populo in ſalutem promanans: *Petra autem erat Chriſtus.* (1. Cor. 10. 4.) Fons vitæ eſt, quem Chriſtus ex itinere feſſus Samaritanæ promiſit: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* (Joan. 4. 14.) Mare rubrum eſt, cujus aquæ ſunt amariſſimæ, ſed ſi ex illo exeunt redduntur dulces atque potabiles; ita hæc meditatio de patiente JEſu & doloroſa Matre ejus ab initio quidem amara tibi videbitur, ſed confide, anime mi, ex hoc ipſo mari amaro mera tibi profluet dulcedo, *in adverſis* conſolatio, & poſt obitum æterna ſalus: *Secura*, ait S. Leo, *eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis*; (S. Leo de Paſſ. ſerm. 9.) & non eſt illuſtrius prædeſtinationis noſtræ indicium, quàm aſſidua & grata Dominicæ Paſſionis memoria, reprobationis verò ejuſdem oblivio.

Ezechielem conſule, qui quondam Angelum in veſte linea & candida, è cujus renibus pendebat atramentarium, Hieroſolymæ vidit per plateas & compita celeri pede ambulantem, & ſigno *Thau* eos notantem, quos DEUS in communi illius urbis excidio volebat ſervare incolumes: *Tranſi per mediam civitatem in medio Hieruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* (Ezech. 9. 4.) Ubi S. Hieronymus loco *ſigna Thau* ex Syris codicibus legit, *ſigna crucem*, utpote quæ jam tunc vitæ teſſera & electionis ad vitam æternam ſignum extitit; quod & S. Joannes in Novo Teſtamento vidit, dum quatuor illi Angeli, quibus tanquam Divinæ Juſtitiæ miniſtris datum eſt nocere terræ & mari, non poterant illis nocere hominibus, qui ſigno DEI vivi, hoc eſt, ſalutiferæ crucis ſigno erant conſignati: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos DEI in frontibus eorum.* (Apoc. 7. 3.) O quàm beati ſunt ergo illi, quos,

cùm

cùm venerit Dominus, hoc electionis ſigno invenerit notatos, felices, inquam, qui ſæpiùs cum doloroſa Matre in hac meditatione crucifixi JESU ſeſe in hac vita exercuerit. Audite pro veſtro ſolatio verba pientiſſimi Redemptoris, quæ ad B. Angelam Fulginatem aliquando locutus eſt: *Benedicti vos à Patre meo, qui meæ Paſſionis, quæ ſæculorum omnium miraculum eſt, vita & ſalus peccatorum, memores & devoti eritis & compatientes, quoniam verè & regni & gloriæ & reſurrectionis, quæ per ipſam acquiſivi, mecum eritis participes & hæredes, audituri in illa terribili hora: Venite Benedicti, percipite regnum.* Arnaldus in vita B. Angelæ.

5. Memini hìc illius pincernæ regii cum Joſeph quondam incarcerati, & ideò à morte præſervati, quia, prout aſſerit Scriptura, videbat coram ſe vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere, calicémque Pharaonis in manu ſua; ubi ſubdit Scriptura: *Tuli ergo uvas, & expreſſi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Econtra piſtori regio ſomnium ſuum, in quo ſibi videbatur tria ſuper caput ſuum portare farinæ caniſtra, varióſque cibos arte piſtoria coctos, & ab avibus devoratos, in ſummam cedebat perniciem: *Tria caniſtra tres adhuc dies ſunt, poſt quos auferet Pharao caput tuum.* Et quare dices, piſtor ille ad mortem damnatus, & econtrariò pincerna ſalvatus: priſtinóque honori & officio reſtitutus eſt: *Tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te?* Quid ergo hi duo Regii Miniſtri in Regem peccârunt? Geneſ. 40. 9.

Quodnam admiſerint crimen, Scriptura non exprimit, probabile tamen eſt, eos de annona tanquam præfectos nonnihil eſſe furatos, & ideò cuſtodiæ mancipatos. Alii autumant, veniſſe eos in ſuſpicionem, quaſi Pharaoni venenum, hic in poculo, alter in pane parâſſet. Quidquid in hac de re: Pincerna ſalvatur, & alter damnatur, & quare hoc? Obſerva prudens Lector, omnia hæc in veteri Lege illis contigiſſe in figura, prout Gentium Doctor inſinuat, ſcripta autem eſſe propter nos & correptionem noſtram. Subintrat hìc Rupertus Abbas, qui aſſerit per duos iſtos captivos aulæ Miniſtros duos hominum ordines debere intelligi, electorum videlicet & damnandorum, inter quos medius eſt Joſeph: id eſt, Chriſtus uni latroni promittens cœlum, & alterum æternùm reprobans, unum ſalvans ex gratia, & alterum damnans & inferno relinguens ex juſtitia. Quòd autem pincerna præ altero fuerit ſalvatus, addit Eminentiſſimus Hugo Cardinalis, quia totam ſuam ſpem ac fiduciam, licet tum adhuc in umbra, in vite, uva & calice Domini ſui collocaverat, calix autem Domini eſt calix Paſſionis Dominicæ, uva Chriſtus in torculari crucis, velut verus Cypri botrus expreſſus, & vitis doloroſa Mater ejus, quæ de ſe ipſa ait: *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris.* Supra quod Cornelius: *Vitis eſt Deipara, quæ uvam pretioſiſſimam protulit, puta Chriſtum, ex quo in torculari crucis preſſo, expreſſum eſt vinum rubrum, quod inebriat omnes fideles.* 1. Cor. 10. 11. Rup. Abb. hìc in Gen. Hugo Card. hìc. Eccl. 24. 23. Cornel. hìc.

O Clientes Mariani! imitemur hunc pincernam,& totam noſtram fiduciam in hoc calice paſſionis Domini, & in potentiſſimo doloroſæ Virginis patrocinio, ſi tamen eos ſedulo imitari conabimur, collocemus: *Beatus homo*, inquit Sapientia æterna, *qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei.* Per quas fores S. Bonaventura rectè Sacratiſſima Chriſti Vulnera intelligit, ad quæ ſalutis oſtia aſſiduò nos oportet cum Matre doloroſa nunc in vita per ſedulam ac devotam meditationem invigilare; & qui JESUM crucifixum & ſacratiſſimam Matrem ejus invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: *O cæcitas filiorum Adæ*, exclamat memoratus Doctor Seraphicus, *qui per hæc Vulnera in Chriſtum neſciunt introire! ſupra ſuas vires laborant in vanum, & aperta ſunt oſtia ad quietem. An ignoratis, quòd Chriſtus eſt gaudium Beatorum? Cur tardatis per ſui Corporis foramina in illud gaudium introire? Beatitudo Angelorum patet, paries ejus confractus eſt, & vos introire negligitis?*

Proverb. 8. 34.

S Bonavent. Tom. 7. Stim. amor. c. 1.

6. De reliquo inquirunt Sacri Doctores cauſam & rationem, quare Princeps ille Huſſæus quotidie pro ſalute filiorum Sacrificia obtulerit: *Conſurgensque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis?* Reſpondet Origenes ideò factum, ut ex aſpectu ejusmodi holocauſtorum filii paventes ſibi à peccatis omnibus caverent, quæ animam perdunt & occidunt. Ah quantò magis ex aſpectu & meditatione crucifixi JESU, cruentæ illius in ara crucis pro ſalute noſtra immolatæ victimæ, & ex conſideratione innocentiſſimæ ac doloroſiſſimæ Matris ejus ſub cruce ſtantis, omnes ſenſus noſtros refrænare debemus, ne in peccata ruamus, quæ non animam duntaxat occidunt, ſed & de novo, juxta mentem Apoſtoli, Chriſtum (quantùm in ipſis eſt) cruci affigunt: *Rurſus crucifigentes ſibimet ipſis Filium DEI, & oſtentui habentes.* Et ſi canes ulcera pauperis lingebant Lazari: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Quæſo, non ſimus canibus ingratiores, quibus ſi os aridum projicis, amabunt te: Lingamus ergo, tanquam canes Domini SS. Vulnera & ulcera JESU, & compatiamur SS. Matri ejus, ſic *ſi compatimur, & cum illis conglorificabimur.*

Job. 1. 5. Orig. lib. 1. in Job.

Hebr. 6. 6.


Luc. 16. 21.

Rom. 8. 17.

CON-

# CONSIDERATIO LX.

## Mater amoris & doloris inſtruit nos, quomodo ſemper in præſentia DEI ambulare debeamus.




## Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper *Pſal.* 15. 8.

1. VIs ſcire, anima Chriſtiana, compendioſiſſimam ad cœlum viam, fontemque omnis perfectionis? Audi monitum, quod DEUS quondam ſervo ſuo Abrahamo dedit: *Ego DEUS Omnipotens: Ambula coram me, & eſto perfectus*; ſupra quod Lyranus: *Ambula coram me, id eſt, ac ſi præſentialiter ſemper videris me; & eſto perfectus.* O beata illa anima, quæ ubique locorum DEUM præſentem veneratur, in hoc enim unico ac ſolo bono conſiſtit ſumma perfectionis, vera mentis requies, Geneſ. 17. 1. Lyran. hic.

Clem. Alex. lib. 3. de Pædag. cap. 5. centrúmque cordis noſtri: *Hâc ſolùm ratione fit*, ait Clemens Alexandrinus, *ut quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ipſi ſemper adeſſe exiſtimet.* Neque ad ſuperandas tentationes aliquid melius eſſe poteſt, quàm ejusmodi præſentis
Prov. 3. 6. ac videntis DEI memoria, unde Sapiens: *In omnibus viis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos.*

Et hoc eſt, quod pretioſiſſima Virgo & Mater amoris ac doloris ſuo exemplo nos docuit, cùm inter mortales mortalis in hoc mundo verſaretur, quæ ſemper etiam in ſomnis præſentiæ Dei memor fuit, unde ad tantam perfectionem pervenit, ut omnes creaturas ſanctitate longiſſimè ſuperaret:
Proverb. 31. 29. *Tu ſupergreſſa es univerſas.* Hinc paſſim à SS. Patribus & Theologis illa verba ex Canticis illi applicantur: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, dum etiam
Cant. 5. 2. ſopitis inter dormiendum ſenſibus ſemper mentem ad Deum præſentem ſervavit, illúmque ſuper omnia levavit. Imò tota illius vita jugis & aſſidua Dei præſentis meditatio fuit, ſi enim Angeli boni à primo creationis ſuæ inſtanti nunquam ab actuali amore Dei ceſsârunt, multò magis hoc dici & credi poteſt de SS. Deipara Angelorum Domina & Regina. Hinc, prout obſervant S. Bonaventura, divus Bernhardinus & alii, integras ferè noctes orando & meditando traduxit, & quemadmodum Filius ut plurimum
Luc. 22. 39. pernoctare ſolebat in oratione DEI, idque *ſecundùm conſuetudinem*, ita & Mater minimi ſomni exiſtens jugiter DEUM præſentem laudabat, cui ſummo & unico Bono unicè vacabat, & intendebat; quapropter non incongruè SS. COR hujus pretioſiſſimæ Virginis puriſſimo adamanti comparabis, quem acutiſſimi ſolis radii intimè penetrant, & pervadunt, cum Lemmate:

## Intima luſtrat.

2. Videtur mihi hæc pleniſſima Virgo poſt Chriſti Filii ad cœlos aſcenſionem ſicut heliotropium flos, qui non ſolùm cœlo ſereno ad motum *ſolis* ſeſe gyrat, ſed etiam, quod maximè admirandum, cœlo nubilo *cum ſuo ſole* circumagitur; hinc rectè pro Lemmate huic flori inſcribes illud ex Can-
Cant. 7. 10. ticis Canticorum mutuatum: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Talis, inquam flos & beatiſſima Virgo in hac terra inter mortales vivens extitit, unicè DEUM, ſolémq; Juſtitiæ, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, in omnibus reſpiciens, in cujus conſpectu ſemper ambulat, cujus gloriam unicè quæ-
Guilielm. hic ſup. Cant. rebat. Guilielmus Abbas prædicta Sponſæ verba: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus*, pereleganter Matri doloroſæ adaptat; juvat hìc audire propria illius verba: *Plane*, inquit, „ego dilecto meo per maternũ commoriebar affe-„ctũ, ita ut ejus in me martyriũ redundaret, & quaſi Commartyrẽ faceret. Ego „tunc Dilecto meo ad declarandam mei in ipſum amoris quantitatẽ, & ejus

ad

„ad me tunc converſio facta eſt ad declarandã filialẽ ejus charitatem. Quan„tùm enim me diligeret, in ipſo paſſionis articulo præclarè oſtendit,cùm vi„dens me piam Matrẽ & diſcipulum ſtantem,quem diligebat,ad me de cru„ce converſus dixit mihi: Mulier ecce Filius tuus; Diſcupulo autem: Ecce, „Mater tua. Planè illius ad me in tanta non falſorũ acerbitate dolorũ tam fi„lialis converſio,quã filialẽ in me animũ gereret,inſigniter declarabat.

O triſtis converſio & ſanguinum Sponſi & Sponſæ ſanguinum: *Ego Dilecto meo, & ad me converſio ejus.* Sed neque poſt Filii ſui in cœlum aſcenſionem hujus ſui crucifixi Amoris Mater amoris & doloris oblivіſci poterat, ſed ſemper eum quaſi recens pendentem in cruce, vel in ſepulchro jacentem contemplata eſt: unde docet Sophronius Author antiquus: *Eam præ nimio amore in loco, quo ſepultus eſt, habitâſſe credimus, quatenus piis paſceretur internus amor obtutibus, non quod jam viventem quæreret cum mortuis, ſed ut ſuis conſolaretur aſpectibus, & quem genuerat, mentis complectebatur amplexibus. Amor Chriſti deſiderium pariebat, deſiderium verò gliſcens quaſi novis reparabatur ardoribus.* O ſi ita verſaretur in memoria noſtra DEus ubique præſens, & Chriſtus JEſus & hic crucifixus, quemadmodum fuit in aſſidua contemplatione & in conſpectu doloroſæ Matris, quàm citò perfecti eſſemus. Sed nos miſelli ſimiles ſumus ſtruthioni ſublime non ſapienti,qui,cùm grandis ſit corpore & capite parvo,ac quaſi anſerino,cùm imminet ipſi vitæ periculum, caput ſolùm in arena,aut in gramine abſcondere aſſolet, putans ſic à nemine ſe conſpici,cùm ipſe neminem videat; cujus ſtolidam naturam etiam perdix imitatur,in adventu aucupis caput in cæſpite òccultans; ita & pueri ac infantes ludere conſueſcunt,caput velo,aut oculos manu obvolventes, ſic à nullo ſe deprehendendos autumant. O peſſimus ludus: *Nemo nos videt*! ergo *qui plantavit aurum, non audiet, aut qui finxit oculum, non conſiderat*?

Sophron. ſerm. de Aſſumpt.

Dan.13. 20. Pſalm. 93.9.

3. Recordor hîc glorioſiſſimi,juxta ac pientiſſimi Imperatoris Leopoldi Primi,qui pro ſuo Symbolo aquilam elegit ad cœlum volantem, oculíſque irretortis radiantem ſolem contemplantem,cui hanc ex VateRegio mutuatam inſcripſit epigraphen: *Oculi mei ſemper ad Dominum.* Alludebat prudentiſſimus Imperator ad varios illos caſus,rerúmque diſcrimina, quibus, dum imperabat, erat obnoxius,ex quibus tamen omnibus periculis, quia DEO ſuo unicè confitebat,eúmque præſentem ubique veneratus eſt,miſericorditer erutus eſt; unde meritò cum Davide cantare poterat: *Oculi mei ſemper ad Dominum,quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos*; & in alio loco: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dexteris eſt mihi, ne commovear.*

Pſalm.24.15.

Pſal.15. 8.

O pientiſſima Virgo! non à veritatis tramite aberrabo,ſi te ſimili aquilæ, immotis oculis DEUM & Juſtitiæ Solem in hac terra contemplanti, com-

Digitized by Google

S. Bernhard. ſerm. 2. in Salv. Reg. S. Antonin. c. 45. §. 8. 3. Reg. 10. 4. comparavero. Ita ante me fecit Melliſluus tuus Bernhardus, qui te *aquila grandi magnarum alarum* aſſimilavit, quæ licet corpore in terra degebas, mente tamen ſemper in cœlo apud Dilectum tuum hærebas: *Omnis Maria actio*, ait S. Antoninus, *& intentio ſemper fuit intenta in DEO*. Proinde rectè cum Pſalte dicere poteras: *Oculi mei ſemper ad Dominum*; longè felicior illâ Sabâ Reginâ, quæ ſe beatam exiſtimabat, eò quòd Salomonis Regis ſapientiſſimi præſentiâ, aſpectu & familiari colloquio frui potuit. O quantò felicior es, pretioſiſſima Mater, quæ quotidie per annos triginta & ampliùs ſpecioſum formâ præ filiis hominum, qui infinities plus eſt quàm Salomon, præſens videre, contemplari, & cum eo, tanquam Mater, converſari poteras: S. Bernhard. ſerm. Sig. Magnum. *Toties*, ait Melliſluus, *MARIA Filium audivit non modò turbis loquentem in parabolis, ſed & Diſcipulis ſeorſim Regni DEI myſteria revelantem: Vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem: Vidit expirantem, vidit reſurgentem, vidit aſcendentem*, &c. Et licet nunc ille in cœlum abiiſſet, & attamen cum Vate Jeſſæo Pſal. 62. 8. ei peculiari modo Virgo dicere poterat: *Adhæſit anima mea poſt te*. O ſi tali modo & anima noſtra adhæreret præſenti ubique DEO, qui nobis juxta S. Thomas Aquin. 1. p. q. 8. a. 4. Doctorem Angelicum præſens eſt per eſſentiam intimè nobis coëxiſtendo, & omnia penetrando. Per potentiam, omnia in nobis operando: Actor. 7. 27. *In ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*. Et per præſentiam, omnia etiam minutiſſima perſpiciendo, & perluſtrando; ita Apoſtolus: Hebr. 4. 13. *Non eſt enim ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Supra quod præclarè Doctorum Phœnix S. Auguſtinus: S. Auguſtin. ep. 2. ad Fortualianum. *DEUS*, inquit, *totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia operatur; totus pes eſt, quia ubique eſt.*

4. O ſi ita Petrus DEUM ubique locorum præſentem conſideràſſet, & Chriſti lateri fidelis ſemper comes adhæſiſſet, nunquam amantiſſimum Dominum ac DEUM ſuum negàſſet: Matth. 26. 70. *At ille negavit coram omnibus dicens: Neſcio, quid dicis*. Rationem eruit Divus Ambroſius ex illis Evangeliſtæ verbis: Matth. 26. 58. *Petrus autem ſequebatur eum à longè*. Supra quod ſanctus ille Eccleſiæ Doctor ita commentatur: S. Ambroſ. in c. 96. *Benè à longè ſequebatur, eum proximè negaturus, neque enim negaviſſet, ſi Chriſto proximè adhæſiſſet; & ecce quamprimùm præſentem Chriſtum iterum habuit, flevit amarè*. En quàm neceſſaria ſit nobis DEI ubique præſentis memoria: S. Hieron. lib. 3. ſup. Ezech. c. 3. *Certè*, ſubintrat hîc S. Hieronymus, *ſi cogitaremus DEUM videre, & eſſe præſentem, nunquam, quod ei diſplicet, faceremus*. Et paulò poſt: *Memoria DEI excludit cuncta flagitia*.

O ſi filius ille prodigus ſemper in conſpectu Patris ſui ambulàſſet, nunquam ad tantam miſeriam deveniſſet, ut inter porcos de ſiliquis maleſuadam famem cuperet extinguere: Luc. 15. 16. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*. Rationem aſſignat Magnus Aurelius Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus: Adverte, inquit, *profectus eſt in regionem longinquam*; & quænam illa regio longinqua? *Regio longinqua*, pergit idem ſanctiſſimus Pater, *oblivio DEI eſt, fames verò in regione illa eſt indigentia verbi veritatis.* En hîc miſerandum peccatoris ſtatum, qui dum præſentiæ DEI obliviſcitur, & peccando Patrem ſuum Cœleſtem deſerit, in regionem longinquam abit, dum à regno DEI ad regnum diaboli, & à cœlo ad gehennam tranſit, ubi in æternum famem patietur ut canis: *O quàm profunda cæcitas*, exclamat Caſſiodorus, *DEUM ante oculos non habere.* S. Auguſtin. l. 2. quæſt. Ev. q. 33. Caſſiod. ſuper pſal. 9. v. 26.

O ſi illi Judæi execrandi ac impii Deicidæ Diviniſſimum JEſu faciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere, in domo Caiphæ meliùs conſiderâſſent, & non tam turpi abduxiſſent velo, fortè nunquam Regem gloriæ crucifixiſſent: *Et velaverunt eum*, ait S. Lucas, *& cœperunt quidam*, ait S. Marcus, *conſpuere eum, & velare faciem ejus.* Ad quid, oro, ſcelerati illi Divinam Chriſti faciem obſcæno velo obduxerunt? Reſpondet S. Hieronymus, *quia majeſtas Chriſti radiabat in vultu*, & Janſenius apud Cornelium, *ut ſic eum liberiùs verberarent, & vexarent, ne Divino vultu ejus & oculis abſterrerentur, & coërcerentur.* Luc. 22. 64. Marc. 14. 65. Cornel. in Matth. 26. 68.

Ita quoque, ſubintrat hîc S. Auguſtinus, faciunt mali, tepidi, & impii Chriſtiani, qui liberiori ſe vitæ dedunt, vellentque DEUM cœcum eſſe: *Dixerunt enim in corde ſuo: Oblitus eſt DEUS, avertit faciem ſuam, ne videat in finem.* Tales perverſi Chriſtiani ipſis Paganis, Gentilibus pejores de novo exſpuunt in faciem JESU, & colaphis eum cædunt, *tanquam præſentiam ejus exterminantes, & repellentes.* Ita citatus ſanctus Auguſtinus. Pſal. 9. 11.

5. De Ophni & Phinees duobus filiis Heli ſummi quondam in Lege Sacerdotis & Judicis habet Scriptura: *Porrò filii Heli, filii Belial, neſcientes Dominum.* Et quomodo, dices, poterant neſcire Dominum, qui Gentiles non erant, nec in fide Conditoris errabant, imò qui & alios tanquam Legis Doctores debebant inſtruere; quomodo poterant neſcire Dominum; Obſervat hîc Mendoza, quòd duplex DEI ſit notitia, ſpeculativa & practica; ſpeculativè ergo DEUM hi duo nequam filii Heli cognoſcebant, ſed non practicè, dum vivebant, quaſi non eſſet DEUS, qui ſacra ejus prophanabant, Legem proculcabant, Sacrificia violabant: *Sic agebant*, ait Mendoza, *ut agunt illi, qui neſciunt Dominum.* 1. Reg. 2. 12. Mendoza in 1. Reg. 2.

Heu! quot etiamnum in hoc infelici ſæculo reperies Chriſtianos, qui quidem ſpeculativam DEI habent notitiam, eumque ubique præſentem, & intima cordis luſtrantem profitentur, ſed non practicam, dum in praxi ejus præcepta iniquâ contemnunt præſumptione, hinc ad omnem impietatem ſibi laxant habenas; cauſa omnium horum malorum prima eſt: *Quia non propoſuerunt DEUM ante conſpectum ſuum*; & inde fit, *ut abundet iniquitas, quia refrigeſcit charitas*, & DEI oblivio. Et dic, obſecro, ſodes, unde tot perverſi Libertini? tot Catholici, qui nec frigidi nec calidi ſunt, digni, ut ab ore Pſal. 53. 5. Matth. 24. 12. Apoc. 3. 16.

Chriſti evomantur? Unde tot fraudes politicorum, injuſtitiæ tribunalium, libidines in omni ſexu? Horret animus, dum conſiderat, quòd hæc lues peſtilentiſſima orbem penè inficiat univerſum, & repleat infernum. Quot laborant craſsâ ignorantiâ articulorum fidei, quos explicitè ſcire & credere tenentur? Quot incurii ſuæ vivunt ſalutis, toti intenti captandis vanis honoribus, fabricandis ædibus, colendis agris, vineis, hortis, colligendis divitiis: Quot in continuis ſordeſcunt rixis, litibus & odiis imortalibus, ut raro de DEO ubique locorum præſente & de vita æterna cogitent? O Chriſtiani! ſi tamen hoc nomine digni eſtis, de quibus juſtè conqueritur DEUS: *Populus meus oblitus eſt mei, diebus innumeris.* Ah miſeri! evigilate aliquando.

Jerem. 2. 32.

6. Adam generis humani Proto-Parens, ubi peccatum admiſcit, inter denſas arborum umbras in paradiſo ſe occultavit: *Abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini.* In quem Scripturæ locum Divus Chryſoſtomus: *Vide*, inquit, *quàm inſipientes faciat peccatum, abſcondere ſe tentat à DEO, qui ubique præſens eſt.* Heu quoties miſeri nepotes, hujus noſtri Proto-Parentis imitamur inſaniam.

Geneſ. 3. 8. S. Chryſoſt. hom. 17. in Gen.

Cain domi in conſpectu parentum non auſus eſt illud immane patrare fratricidium, ſed egreſſus eſt, ubi neminem videbat præſentem: *Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain adversùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* O impie & execrande! quò ibis, ut DEUS te non videat? En alius ſpeculator adſtat deſuper: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* Ito nunc, peccator, & quære locum, ubi DEUS te non poſſit cernere peccantem: *Si peccare vis,* ait S. Auguſtinus, *quære, ubi te non videat DEUS, & fac, quod vis.*

Geneſ. 4. 8. S. Auguſtin. ſerm. 46. de Verb. Dom.

Deambulabat quondam David poſt meridiem cibo & ſomno paſtus ſuper ſolarium, ubi ex adverſo palatii ſui Bethſabeam Uriæ uxorem pulchram ac formoſam, in horto ſe lavantem conſpicatus eſt; & qui oculi ſunt in amore duces, mox cogitationes laſcivæ otioſi Regis feriebant animum. O David, *averte oculos, ne videant vanitatem*; fuge, fuge ab hoc incurſu & dæmonio meridiano, ſi vis obtinere victoriam, apprehende fugam. Quid multis? ait David intra ſe: *Nemo nos videt*: Ito, ito citò, Ephebe, & dic huic & huic in aurem, Regem illius deſiderare præſentiam. Dictum factum: *Et miſſis nuntiis tulit eam.* O caſum miſerandum in Rege tam ſancto! & quæ cauſa hujus tam probroſi lapsûs? Dixi: *Vidit Mulierem*, & dum illius ſpeciem contemplatur, mentem à Deo ubique locorum præſente avertit; hinc illæ poſtea Davidis lacrymæ: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, &c. O quàm benè Doctor Angelicus: *Si Dominum*, inquit, *præſentem, & omnia videntem, & judicantem cogitaremus, aut vix aut nunquam peccaremus.*

2. Reg. 11. 4. Pſalm. 118. 136. S. Thom. Opuſc. 58. cap. 2.

Cur Joſeph inter medias aulæ Putipharis illecebras toties ab hera ſolicitatus nullis concupiſcentiæ fluctibus ſuccubuit, ſed relictâ chlamide aufugiens,

giens, potiùs vitam, quàm caſtitatem perdere elegit, cauſa eſt, quia ubique
DEUM præſentem habuit, ac reveritus eſt: *Quomodo ergo*, inquiebat, *poſſum* Geneſ. 39. 9.
*hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Ubi Septuaginta legunt: *Coram*
*DEO?* Ecce quomodo hæc unica præſentis DEI memoria victoriam in om-
nibus tentationibus pariat: *Memento DEI*, ſolebat dicere S. Ignatius Mar- S. Ignat. M.
tyr, *& non peccabis*; & S. Ephrem: *Continuâ DEI recordatione turpes animi paſſio* ep. 7. ad
*nes recedunt, inſtar maleficorum prætore accedente.* Hexonem. S. Ephrem.

7. Revertor ad Matrem amoris & doloris, quæ adamuſſim adimplevit Tractat. de
illud Veritatis & Filii ſui effatum: *Quoniam oportet ſemper orare, & non defice-* virtut.
*re.* Et quomodo, dices, SS. Deipara ſemper poterat orare, & nunquam in Luc. 18. 1.
oratione deficere? Nunquid vitam contemplativam cum activa conjunxit?
Nunquid tenuem victum & amictum manu & arte quærebat: *Parca erat*,
ait S. Ambroſius, *ad loquendum, ſtudioſa ad legendum, intenta ad operandum*, nun- S. Ambroſ.
quam otio dedita: *Summo manè*, ait Hieremias Drexelius, *ad ſanctiſſimas occu-* lib. 2. de Vir-
*pationes rediit. Primus omnium labor precari, in templo & Divino cultui adeſſe uſque* ginibus.
*ad horam nonam (noſtratium horarum methodo) inde labor & opus, nere, ſarcire la-* Drexel. de
*nam facere, linea & ſerica templo parare, atque hoc uſque ad horam tertiam pomeridia-* Roſis B. V.
*nam ſeu veſperem. Inde lectio & precatio iterum eam tenuit, dum Angelus adfuit, à quo* cap. 8. §. 1.
*cibum accepit.* Hinc conſtans eſt etiam celeberrimorum Scriptorum aſſertio,
eam Chriſti tunicam inconſutilem & deſuper contextam per totum, quam
milites ſub cruce non audebant in partes ſcindere, artificioſâ manu elabo-
râſſe; item & mappam illam, quâ Chriſti menſa in ſuprema cœna erat con- Walterus
tecta, ſuper quam & SS. Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum eſt, quam SS. de triplici
Deipara artificiosè intextis liliis adornavit, quæ etiamnum hodie Ulyſſipo- cœna lib. 5.
ne in templo Societatis JEſu religiosè aſſervatur. Mitto alia, quæ B. Virgo cap. 38.
propriis manibus elaboravit, de quibus plura R. P. Antonius Spinellus S. J. in Spinell. cap.
Throno Deiparæ. Ex quibus, ſubinferes, luculenter rerum conſideranti ap- 29.
paret beatiſſimam Virginem non potuiſſe ſemper & aſſiduò orare.

Ad propoſitum reſpondet Venerabilis Beda: *Semper orat, qui ſemper ſecum ſum* Beda apud
*Deum operatur*, illumq; in omni loco præſentem veneratur, quod peculiariter, Cornel. hîc
imò & primariò fecit pretioſiſſima Dei Mater, continuè in conſpectu Dei in Luc. 18.
ambulans, & operans, mente aſſiduè ad Deum erectâ: *Providebam Dominum in* v. 1. Pſalm. 15. 8.
*conſpectu meo ſemper.* O anima Chriſtiana! diſce hîc à Matre amoris & doloris,
quomodo cautè te oporteat ambulare, & ſemper ſtare in conſpectu DEI, quæ
de ſeipſa ait: *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.* Proinde omnia ſecun Eccleſ. 24.
dùm illius exemplar ſummâ cum diligentia operaberis, quia propter Deum fa- 14.
cis, & in conſpectu ejus laboras: *Videte*, dicebat quondam pientiſſimus Rex 2. Paral. 19. 6.
Ezechias ad Regni ſui Miniſtros, *quid faciatis - - - Sit timor Domini vobiſcum, &* Seneca ep. 10.
*cum diligentia cuncta facite.* Quod & gentilis Seneca agnovit, dum dixit: *Sic vi-*
*ve cum hominibus, tanquam Deus videat; ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

8. Cæterùm ſæpiùs B. Virgo per virgam à Spiritu S. præfigurata eſt. Primò per virgam Joſephi Ægyptiorum Pro-Regis, quam Jacob moriens humiliter venerabatur: *Adoravitque faſtigium virgæ ejus.* Secundò per virgam Aſſueri, quam Rex ſuper Eſther Reginam in ſingulare benevolentiæ ſignum extendit: *Quæ accedens oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus.* Tertiò per Virgam Aaronis florentem & tot patrantem prodigia: *Invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi; & turgentibus gemmis eruperant flores.* Quartò per virgam, quæ Davidem in omni ſua tribulatione conſolata eſt; *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt*; & denique per virgam, quam Prophetarum Princeps Iſaias in ſpiritu prævidit, ex qua floridus Nazaræus & verus flos campi, qui eſt Chriſtus Deus noſter, prodiret: *Et egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Et cur toties, haud immeritò quæres, B. Virgo virgæ aſſimilata eſt; Reſpondet S. Antoninus: *Dicitur autem B. MARIA Virga, quia ſemper recta fuit, nunquam inclinata ad terrena, ſed ſemper recta ad cœlum*; ſolet enim virga nunquam deorſum creſcere, & in terram deſcendere, ſed ſemper cœlum versùs ſe erigit; ita SS. Deipara, vult dicere S. Antoninus, non ad iſta terrena & tranſitoria ſe inclinavit, ſed ſemper adinſtar rectiſſimæ virgæ ad DEUM, tanquam ad ultimum ſuum finem ſe erexit, ſemper ambulans in conſpectu ejus: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*: Unde omnia benè & rectè fecit, fueruntque ejus operationes tum activæ tum contemplativæ perfectiſſimæ, & quia oculus ejus erat ſimpliciſſimus, ideò & totum corpus erat lucidiſſimum.

Hebr. 11. 21. Eſther. 5. 2. Num. 17. 8. Pſalm. 22. 4. Iſa. 11. 1. S. Antonin. part. 4. tit. 15. cap. 24. §. 4. Pſalm. 15. 8.


Vide ex his, & conſidera, anime mi! quomodo præſentis Dei memoria hominem ducat ad omnem perfectionem; ſi vis ergo perfectior eſſe, quàm hactenus fuiſti, juxta exemplar doloroſæ Matris & aliorum Sanctorum, Deum ubique tibi præſentem cogita: *Ambula coram me, & eſto* (plures interpretantur) *& eris perfectus.* Hæc memoria præſentis ubiq; Numinis Eliam ad tantum ſanctitatis gradum evexit, ut vivus in curru igneo per turbinem in cœlum raperetur, cui familiare fuit: *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto.* Hunc Magiſtrum ſecutus eſt Diſcipulus optimus Eliſæus, qui & ipſe ubique Deum præſentem reveritus eſt: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto.* Henoch quia *ambulavit cum Deo*, hoc eſt, prout exponit Cornelius, quia tam ſanctè & piè vixit, quaſi Deum ſemper præſentem præ oculis haberet, vivus ab Angelis in paradiſum translatus eſt: *Et non apparuit, quia tulit eum Dominum.* Jeremias inter tot decumanos perſecutionum ac tribulationum fluctus ſemper Deum ſibi præſentem cogitabat: *Dominus mecum eſt, tanquam bellator fortis.* Finio cum ſeniore Tobia: qui moribundus filio ſuo hoc inter alia ſalutare monitum dedit, quod & tibi optime Lector, omnibus viribus inculco: *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini DEI noſtri,* &c. Hoc fac, & vives.

Geneſ. 17. 1. 3. Reg. 17. 1. 4. Reg. 3. 14. Geneſ. 5. 24. Jerem. 20. 11. Tob. 4. 6.

CON-

# CONSIDERATIO LXI.

## B. Virgo & Mater amoris ac doloris docet nos terrena deſpicere, & ſolùm cœleſtia deſiderare.




Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?
*Pſal.* 41. 3.

1\. QUid eſt mundus? Magnifica illa & quadrifida ſtatua eſt Regis Nabuchodonoſoris, cujus caput ex auro, pectus ex argento, venter ex ære, tibiæ ex ferro & pedes ex luto fictili erant: *Et abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum.* O vanitas! ubi nunc ſunt quatuor iſtæ Monarchiæ, Chaldæorum ſcilicet, Perſarum, Græcorum & Romanorum, per hanc ſtatuam præfiguratæ? Daniel. 2. 34



Digitized by Google

Quid eſt mundus? Stella Heli eſt ſumi quondam in Lege Sacerdotis & Iſraelitarum Judicis, qui, cùm triſte nuntium de arca capta, & de duobus filiis in bello trucidatis, accepit, de ſella ſua retrorſum cadens, fractis cervicibus expiravit: *Cecidit ſella retrorſum*, & quare retrorſum? Quia ſella iſta non habebat *reclinatorium*, quo dorſum inclinaret. En mundi typum, nullus hîc reclinatorium & firmam ſedem habet. Ubi nunc ſunt illi centum, viginti & ſeptem potentiſſimi Imperatores, qui hactenus Romano præfuêre imperio? Ubi ſeptuaginta quinque, Hiſpaniarum Monarchæ? Ubi ſexaginta Chriſtianiſſimi Galliarum Reges? Ubi tot Magnates, Principes & Potentes hujus Sæculi? Ubi illorum Miniſtri, adulatores, paraſiti, ſervi, milites & ſubditi? Ubi mortales omnes, quotquot hactenus extiterunt in mundo? Audite Sapientem: *Pertranſierunt omnia illa tanquam umbra.* O vanitas vanitatum!

1. Reg. 4. 18. — Sap. 5. 9.

Quid eſt mundus? *Tela aranearum eſt*, ita patientiſſimus Job. Et nunquid conſiderâſti aliquando araneæ laborem, quomodò aſſiduâ meditatione ſe exerceat, quomodo currat & recurrat, ac ſeipſam eviſceret, donec ſuum perficiat reticulum, ut unam, alteramve capiat muſcam? Tandem omnem laborem ac texturam unica ancillæ ſcopa confundit, & miſera aranea pedibus proculcatur; ita mundanorum curæ, labores & ſtudia ſunt, ſi non pro DEO & propter DEUM fiant: *Et telas*, inquit Iſaias, *aranearum texuerunt.*

Job. 8. 14. — Iſa. 59. 5.

Quid eſt mundus? Hædera Jonæ eſt, unâ floreſcens die & alterâ decidens: *Et lætatus eſt Jonas ſuper hædera lætitiâ magnâ, & paravit DEUS vermem, & percuſſit hæderam, & exaruit*; cui hæderæ rectè illud Apoſtoli pro Lemmate inſcribes: *Momentaneum eſt, quod delectat.* En hîc exitum & mercedem coſmophilorum, jocando, ridendo, ludendo, otiando, compotando, luxuriando regnum cœlorum perditur, *& in puncto deſcenditur ad infernum.*

Jonæ. 4. 14 — Job. 21. 13.

Quid eſt mundus? Hamus eſt, quo piſces capiuntur, & rete, quo volucres cœli illa queantur, ita ſapientiſſimus Eccleſiaſtes: *Neſcit homo finem ſuum; ſed ſicut piſces capiuntur homo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò ſupervenerit.* O quot animæ miſellæ, quia mundum ſectatæ ſunt, in hoc perditionis prolapſæ ſunt rete, quod illis paravit, & tetendit venator tartareus: *Cadent in retiaculo ejus peccatores.* Sed quid ſequitur? *Singulariter ſum ego, donec tranſeam*, hoc eſt, B. Virgo, & Mater amoris ac doloris, quæ hoc rete peccati tum originalis, tum actualis ſola evitavit, non enim erat de hoc mundo, quæ ſoli DEO ſemper adhærebat, quia *converſatio ejus erat in cœlis*, unde Lemma:

Eccl. 9. 12. — Pſalm. 40. 10. — Phil. 3. 20.

Ad ſidera ſurſum.

2. Mitor

3. Miror, quare dilectus ille Chriſti Diſcipulus & Filius MARIÆ adoptivus hunc SS. Matrem ſuam, à moriente JESU in peculiare donum & theſaurum ſibi legatam, deſcribat ſole amictam, lunamque calcantem pedibus ſuis: *Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus?* Et quare dicitur beatiſſima Apoc. 12. 1. S. Virgo Mulier amicta ſole? Juvat hic audire Mellifluum: *Putasne*, inquit, Bernh. ſerm. in Apoc. 12. *ipſa eſt mulier amicta ſole? quæ velut alterum ſolem induit ſibi. In ſole & fervor & ſplendor ſtabilis: In luna ſolus ſplendor atque is omninò mutabilis & incertus, qui nunquam in eodem ſtatu permanet. Jure ergo MARIA ſole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam divinæ Sapientiæ, ultra quàm credivalı ... penetravit abyſſum.* Proinde per hunc ſolem rectè intelligitur verus juſtitiæ Sol, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, unde rurſus idem S. Doctor: *In te*, inquit, *manet* (Sol Chriſtus) *& tu in eo; & veſtis eum, & veſtris ab eo: veſtis eum ſubſtantiâ carnis, & veſtit ille te* Loc. cit. *gloriâ ſuæ majeſtatis: veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.* Sed quare dices, SS. Deipara ab eodem S. Joanne deſcribitur, quòd lunam ſub pedibus calcet: *Et luna ſub pedibus ejus?* Obſerva, anime mi, per lunam, ſidus inſtabile & nunquam in eodem ſtatu permanens, omnia iſta mundana, tranſitoria, ac temporalia deſignantur, quæ SS Virgo in hac vita mortali pedibus ſuis calcavit, dum omnia iſta terrena deſpexit, & mente puriſſima ſolum Deum ſectata eſt. Et quia Filius per omnem vitam paupertatem ſibi elegit in ſponſam, non habens, ubi caput reclinaret: *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea*; Pſ. 87. 17. ita & SS. Mater ejus, licet eſſet unica filia ac hæres divitum ac nobilium parentum, voluntariè paupertatem præ omnibus elegit divitiis: *De divitiis*, ita ait ipſa ad S. Birgittam, *ego & Joſeph nihil reſervavimus nobis, niſi neceſſaria* Revel. S. *vitæ ad honorem DEI, reliqua dimiſimus propter honorem DEI.* Et in alio loco Birg. lib. 7. c. 25. ſubjicit eadem SS. Deipara: *A principio vovi in corde meo, nihil unquam poſſidere* Lib. 1. Rev. *in mundo - - - Et omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque niſi tenuem victum & veſtitum reſervavi.* cap. 10. Unde poſt Filii in cœlum reditum non in domo Lazari, aut Joſephi ab Arimathæa, vel in domo Principis Nicodemi aut aliorum divitum ac nobilium, qui animo gratiſſimo hanc ſuam Dominam ſuſcepiſſent, commorata eſt, ſed curam, prout obſervat Dionyſius Carthu- Dionyſ. Carthuſ. in 1. ſententia diſt. 16. qu. 2. ſianus & plures alii, centum & viginti puellarum in ſe ſuſcepit, quarum juxta normam hujus SS. Virginis in recenti illa Eccleſia propoſitum fuit perpetuò vitam caſtam agere, & Evangelicam ſectari paupertatem, quas Virgines pientiſſima Virgo ad omnem virtutem & ſanctimoniam verbo & exemplo inſtruxit, ad quem primum religioſum Virginum cœtum S. Ignatius S. Ign. M. ep. 5. ad Philipp. Martyr in Epiſtola quadam ſalutem miſit: *Saluto congregationem Virginum.* O felices illæ Virgines, quæ ſub tali ac tanta erudiebantur Magiſtra, quibus non aliam præſcripſit lectionem, quàm ut DEum pura mente ſectarentur, & mundum iſtum immundum contemnerent: *Nolite diligere mun-* 1. Joan 2. 15. *dum, neque ea, quæ in mundo ſunt.*

3. S. Pau-

3. S. Paulus inſignis mundi contemptor de ſeipſo teſtatur, quòd illa omnia, quæ mundus adorat & æſtimat, puta divitias, favores, delicias, honores, gloriam, eloquentiam, dignitates, voluptates, & quidquid orbis pretioſum miratur, pro Chriſto & propter Chriſtum nihili duxerit, ſed potiùs ut detrimenta ac damna, imò ut ſtercora reputaverit: *Veruntamen exiſtimo omnia detrimenta eſſe propter eminentem ſcientiam JEſu Chriſti Domini mei, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Vide hîc, & perpende, quousque aſſurrexerit excelſus Pauli animus.

Phil. 3. 8.

Quid comemoro pretioſiſſimam Deiparentem? An non multò magis omnia iſta terrena & mundi bona propter eminentem ſcientiam & charitatẽ dilectiſſimi Filii ſui illi videbantur ut detrimenta & ſtercora, tantùm ut Chriſtum lucrifaceret? Et ſi ille Doctor Gentium de ſeipſo aſſerit: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: mundus mihi tergum vertit, & ego mundo; mundus mihi exoſus eſt, & ego mundo; mundus mihi mortuus ẽſt, & ego mundo; adeoque in una eademque cruce confixi ſumus ego & mundus; quantò potiùs SS. Deipara & Mater doloroſa hoc poterat dicere: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, quia amor meus eſt ſolus crucifixus JESUS? Et quomodo difficile illi erat aſpernari mundum, quæ ſeipſam contemnere & annihilare à vitæ primordio didicit: *Mundum & omnem ornatum ſaculi contempſi propter amorem Domini mei JEſu Chriſti.*

Gal. 6. 14.

Judith. 10. 3.

Non ſic Juditha, licet Vidua ſancta, nobilis, & ſingulari caſtimoniæ laude conſpicua; non ſic, inquam, Juditha, de qua refert Scriptura, quòd, exutis viduitatis ſuæ veſtimentis, unxerit ſe myro optimo, crines capitis ſui diſcriminârit, mitrâ capiti impoſuerit, & veſtimentis jucunditatis ſuæ induta, ad caſtra Aſſyriorum contenderit: *Aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe,* &c. Et in alio loco, ubi jam obſeſſam liberavit Bethuliam, hoſtemq; ad tartarum miſit, refert Scriptura, quòd magna cum pompâ, procerumq; ſtipata catervâ in publicum proceſſerit: *Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria,* &c. Ita & Eſther, licet mulier pia & ſancta, ut placeret Aſſuero Regi, pretioſis uncta unguentis, regalibusq; ornata veſtimentis in publico apparere voluit: *Die autem tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis,* &c. Ruth Moabitæ, licet pauperi, ſed modeſtiſſimæ Viduæ, hoc Noëmi ſuggeſſit conſilium: *Lavare igitur, & ungere, & induere cultioribus veſtimentis.* Vide hîc, prudens Lector, quomodo fœminæ etiam virtuoſæ ſint aliquo modo philocoſmæ, & ornatûs corporis ſui ſtudioſæ, quod abundè patet in illa paupercula Vidua, debitis quondam oppreſſa, cui Eliſæus Propheta, ut creditoribus ſolveret, abundans oleum impetravit: *Cui dixit Eliſæus: Quid vis, ut faciam tibi? dic mihi, quid habes in domo tua? at illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, niſi parum olei, quo ungar.* Ecce, paupercula erat vidua, preſſa debitis, oleum tamen domi habuit, & ſollicitè

Judith. 16. 27.

Eſth. 5. 1.

Ruth. 3. 3.

4. Reg. 4. 2.



Digitized by Google

citè cuſtodivit, in quem finem? *Quo ungar.* O bonum Numen! erat pauperrima cuticula, voluit nihiloſecius eſſe pulchra. Vide hîc alterius ſexus miſerias & fallacias, & cave, ne in hoc rete incidas.

O pientiſſima Virgo, & Domina totius univerſi! qualis erat tuus ornatus? Quæ tua in hoc mundo erant pretioſa ac cultiora veſtimenta? Obſervant Epiphanius, Nicephorus, Cedrenus & alii, quod veſtes SS. Deiparæ ex ſimplici & nativa lana, nullóque tincta colore, adeoque cinerei coloris fuerint. O anima Chriſtiana, collige vel ex hoc, qualiter ſeipſam & mundum univerſum æſtimârit SS. Virgo! & nunquid *byſſus & purpura indumentum ejus.* Ita eſt, ſubintrat hic Cornelius: Byſſus, qui candidi coloris eſt, ejus virginitatem plus quàm Angelicam deſignat, purpura illius ardentiſſimam in Deum & proximum charitatem, unguenta optima virtutes ejus excellentiſſimas, & ſuavis odor veſtimentorum illius bona exempla, quibus orbi illuxit univerſo: *Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Verùm (quod peculialiter obſervandum eſt) veſtimenta hujus doloroſæ Viduæ & Matris Chriſti fuerunt cinerei coloris; & quid, obſecro, aliud denotabant, quàm contemptum mundi, cui vivens jam mortua erat Virgo, cum Apoſtolo non aliud quærens, quam *habentes alimenta, & quibus tegamur, his, contenti ſimus.*

Ap. Drex. 10. 1. apud me f. 1106. — Prov. 31. 22. — Cant. 4. 11. — 1. Tim. 6. 8.

4. O quàm alius eſt nunc mundi ſtylus! quot etiamnum hodie impiam & arrogantem ſectantur Jezabelem, de qua ſcriptura commemorat: *Depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram* &c. Et quid ſequitur? *Et erunt carnes Jezabel ſicut ſtercus ſuper faciem terræ.* Ite nunc, comptuli & comptulæ, ite, delicatuli & delicatulæ, ite, ſepulchra dealbata, quæ foris quidem apparent ſplendida, intus autem plena ſunt putoribus, vermibus ac ſordibus; ô quid fiet de nobis in morte, qui in vita obliti eſtis Dei Creatoris veſtri? *Dic mihi*, exclamat Mellifluus, *ubi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? nihil ex eis remanſit, niſi cineres & vermes. Attende diligenter quid ſunt, vel quid fuerunt. Homines fuerunt, ſicut tu: Comederunt, & biberunt, rixerunt, duxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt.* Et viſne tu ſequi?

4. Reg. 9. 30. — S. Bern. in Medit. c. 2.

Vide ex his, & perpende, anime mi! quantò melius ſit cum doloroſa Matre mundum hunc deſpicere, & cum ea ſolùm deſiderare cœleſtia, Deúmque purâ mente ſectari: *Fallax gratia & vana eſt pulchritudo.* Amanum conſule, & quis glorioſior? Sedet in regali convivio, pranſitat cum Rege & Regina, finito convivio raptatur ad patibulum: *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo,* En gratiæ humanæ & mundani amoris finem: *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum: in quibus non eſt ſalus.* Vana igitur eſt gratia, ſed & *vana eſt pulchritudo.* Abſolonem Principem & juvenem pulcherrimum conſidera. Ille, qui patris affectabat ſolium, nunc pro throno regio habet patibulum; ille, qui tot votis ſibi ſceptrum optavit, nunc loco

Prov. 31. 30. — Eſther 7. 10. — Pſ. 145. 2.



Digitized by Google

triplicis ſceptris tribus transfigitur lanceis. Ille, qui regiam ambiebat coronam, nunc loco diadematis propriis capellis, quercui per modum coronæ implexis, coronatur. Ille, qui paulò antè criſpatis ſuperbiebat crinibus nunc
Eccl. 5. 4. ei facti ſunt in laqueum, & in interitum; ô quàm *patiens redditor eſt Altiſſimus*:
2. Reg. 18. 17. En pœnam talionis, ſic mundus ſuos remuneratur ſervos: *Et tulerunt Abſalon, & projecerunt eum in ſaltu in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis.* Ecce, quàm vana ſit mundi pulchritudo, quia ejusmodi mollicei & mollicellæ plerumque tantùm externo mentiuntur fuco ſe eſſe pulchros, cùm interiùs pleni & plenæ ſint ſordibus & putoribus intolerabilibus. Hoc habet lues venerea, & tandem quid reſtat niſi ignis æter-
Job. 31. 11. nus? Audi patientiſſimum Jobum: *Hoc enim* inquit, *nefas eſt iniquitas maxima*
Prov. 31. 30. *ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.*

Quid ergo conſilii? *Fallax eſt gratia & vana eſt pulchritudo*, ubi mox ſubjungit ſapiens: *Mulier timens Dominum, ipſa laudabitur.* Hæc mulier timens Dominum, ejúsque in omnibus adimplens SS. voluntàtem, non alia eſt, quàm SS. Deipara, quæ licet corpore fuerit præclaro ac integerrimo, & inſuper venerabili & auguſtâ prædita pulchritudine, qualem etiamnum hodie imagines à S. Luca depictæ præferunt, omnem tamen evanidam ac fallacem mundi pulchritudinem fugit, rejecit, & contempſit, unicè contenta DEO,
Cant. 1. 12. tanquam ſummo Bono ſuo, quem & unicè amavit, unicè quæſivit, unicè deſideravit; proinde longè meliori jure quàm Sponſa illa dicere potuit: *Dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur*, Quaſi diceret: Omnibus his contemptis terrenis, illi ſoli vivo, cui omnia vivunt, illi ſoli ſervio, cui omnia inſerviunt, & faciunt verbum ejus, illi ſoli adhæreo, qui eſt vita mea, *ſpes* mea, amor meus &
Cant. 5. 8. merces mea nimis. O Sionidæ, ô filiæ cæleſtis Jeruſalem, ô SS. Angeli! *Dicite Dilecto, quia amore langueo.* O dulcis amor! quam bonum eſt cum doloroſa Matre unicè amare JESUM & hunc Crucifixum. Et ſi Paulus de ſe gloriatur:
Gal. 6. 17. *Ego ſtigmata Domini JESU in corpore meo porto*: quantò juſtiùs doloroſa Mater de ſeipſa dicere poterat: *Ego ſtigmmata Domini JESU in corpore meo porto*, imò jugiter per omnem vitæ curſum in corde meo portavi, proinde vileſcit *mihi* mundus, & omnia, quæ in mundo ſunt. O quoties in hac lachrymarum valle hæc pientiſſima Vidua poſt Filii in cœlum reditum ad DEum ſuſpira-
pſ. 119. 5. vit: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: Habitavi cum habitantibus Cedar; Multum incola fuit anima mea. Quando veniam, & apparebo ante faciem DEI?* Qui amator ſemper novis, quoad vixit, adauctus eſt amoris facibus? „Non ſcit, ait
Dionyſ. Carthuſ. ſerm. 1. de Aſſumpt. B. V. Dionyſius Carthuſianus, Jacob Patriarcha affici potuit ad videndum filium „ſuum Joſeph dominantem in Ægypto, quantùm afficiebatur piiſſima Ma- „ter & Virgo ad conſpiciendum unicum ſuum filium JEſum glorioſiſſimum „atque regnantem in cœlo, nempe quò intenſiùs, ardentiùs, incomparabi- „liúsque amavit Unigenitum ſuum ſecundùm utriusque ipſius naturam, eò

„præ-

Digitized by Google

„præcordialiúsq; anhelabat ad facialem ejus intuitum, ad immediatam ac „intimam unionem, ad beatificam viſionem, præſertim quia ejus ſuavita-„tem glorioſè ac frequentiſſimè erat experta, per quod ad plenarium guſtum „accendebatur validiùs, juxta illud, quod increata Sapientia loquitur: Qui e-dunt me, adhuc eſurient. Eccl. 24.

5. Quam ardens deſiderium Moyſes Dux ac Legifer Hebraici populi habuerit, poſt tot deſerto per quadraginta annos exantlatos labores tandem aliquando videndi, ac ingrediendi terram illam deſiderabilem & à Deo ſibi & populo promiſſam, Sacræ Paginæ abunde declarant, qui tamen ob levem admiſſam culpam hujus ardentiſſimi voti ac deſiderii ſui compos factus non eſt, ſed cum eſſet centum viginti annorum, vegetus adhuc viribus, cujus oculi necdum (prout in ſenibus fieri aſſolet) caligaverant, nec dentes moti ſunt, ſolum de longe in ſupercilio montis terram illam promiſſionis conſpicatus eſt. Juvat hîc audire Scripturam: „Dixitque Dominus ad eum; hæc eſt tera: „pro qua juravi Abraham, Iſaac & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidi-„ſti eam oculis tuis, & non tranſibis ad illam. Mortuúsque eſt ibi Moyſes ſer-„vus Domini in terra Moab, jubente Domino. Deut. 34. 4.

Collige ex hoc, anima Chriſtiana, vehementiſſimum deſiderium, quo Mater amoris & doloris poſt Chriſti in cœlum aſcenſum flagravit, Dominum ac DEUM ſuum poſt tot exantlatos per omnem vitam labores videndi ac ſummo hoc bono ſuo fruendi. O quoties cum Sponſa per duos illos & viginti annos, quibus hæc derelicta Vidua in primitiva illa Eccleſia, ubi ſanguis Chriſti recens fuſus adhuc calebat, in ſolatium primorum Chriſtianorum adhuc in terris remanſerat, in cœlum & ad dilectiſſimum Filium ingeminavit: „In „lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea: Quæſivi illum, & „non inveni. Surgam & circumibo civitatem: per vicos & plateas, quæram „quem diligit anima mea: Quæſivi illum, & non inveni. O dulciſſime JEſu! qui hanc tuam SS. Matrem magìs quàm cæteras creaturas jam tunc dilexiſti, & etiamnum diligis, quare illi cauſa fuiſti tam longi, tam acerbi, tam diuturni martyrii? Verè *judicia tua abyſſus multa*. Ideo tanto adhuc tempore pretioſiſſimam Matrem ſuam in cruce pendere voluit, ut merita illius, prout alibi per tranſennam inſinuavimus, in immenſum accreſcerent, per omnem æternitatem remuneranda. Et ſi quondam Salomon omnes mundi theſauros in comparatione humanæ ſapientiæ nihil duxit: *Et prapoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* Quantò magis beatiſſima Virgo in comparatione Divinæ & æternæ Sapientiæ, & in proxima poſſeſſione ſummi illius Boni, ad quod totis viribus anhelabat, dicere poterat: *Et præpoſui illam regni & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius?* Proinde omnia iſta & quidquid in orbe pretioſum eſſe poteſt, nihil æſtimavit, ut ſolo Deo ſuo frueretur: *Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Cant. 3. 1. Pſ. 35. 7. Sap. 7. 8. Pſal. 38. 8.



Digitized by Google

6. O anima Chriſtiana! diſce à doloroſa Matre terrena hæc contemne-
S. Bernh. pag. 1726. re, & ardenti deſiderio ad cœleſtia aſpirare: *Cui Chriſtus*, ait Mellifluus, *incipit dulceſcere, ei neceſſe eſt amareſcere mundum.* O munde immunde! & quis te di-
Judic. 4. 19. ligat? Tu ſimilis es Jaheli, quæ modicum lac Siſaræ belli Duci præbuit, & interim ei clavum ferreum per capitis tempora adegit: *Ingreſſa abſcondite & cum ſilentio poſuit ſuper tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians, defecit, & mortuus eſt.* O quoties, mortales miſeri, pro unica lactis guttula & ſenſuali voluptate
Pſal. 43. vitam perdimus æternam: *O filii hominum, uſquequò gravi corde!*

O munde immunde, tu ſimilis es Dalilæ, in cujus ſinu, cùm Samſon in-
Judic. 16. 21. dormiret incautus, fortitudine ſua privatus, captus, orbatus oculis, & in ſervitudinem morte amariorem abductus eſt: *Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis.* &c. Ite nunc, mundani & mollicelli, & in veſtra Dalida (mundo vaferrimo) confidite.
S. Aug. ſer. 3. de tem. O qualis anguis hîc latet in herba: *O infelicitas generis humani!* exclamat S. Auguſtinus, *amarus eſt mundus, & diligitur, ſi dulcis eſſet, qualiter amaretur? Turbatur, & tamen amatur: Quid ſi tranquillus eſſet? Flores mundi quomodo colligeres, qui à ſpinis non revocas manum?*

O munde immunde! tu ſimilis es Belo idolo Babylonico, qui extrinſecus ſplendebat ex auro, intrinſecus verò ex fœtido erat formatus luto, unde
Dan. 14. 6. Daniel ad Regem Babyloniorum: *Ne erres Rex, iſte enim intrinſecus luteus eſt, & forinſecus æreus.* Ita ſunt orbis imperia ac Regna, forinſecus homini mundano videntur ſplendida, intrinſecus autem ſunt lutea. Auguſtum Octavianum Romanorum Imperatorem, orbiſque Dominum conſule, qui mo-
Baruch. 3. 16. riens, teſte Suetonio, pro ſupremâ exclamavit periodo: *Omnia fui, ſed nihil expedit: Omnia fui, ſed nihil ſum.* Subintrat hîc pro veritatis confirmatione Baruch Propheta: *Ubi ſunt*, inquit *Principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? qui in avibus cœli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum?* Et poſt pauca interjecta reſpondet: *Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alii loco eorum ſurrexerunt.* O modicum! ô vanitas! ô longa æternitas!

7. O munde immunde! tu ſimilis es Achitopheli, verſipelli & impio conſiliario aulico, cujus conſilium ab omnibus prudentiſſimum & quaſi Divinum æſtimabatur, dum ſe tempori & perſonis affabrè ſciebat accommodare, dum nunc Davidi pia, nunc impia Abſoloni ſubminiſtrabat conſilia; ſed quid captavit hic vanus honorum & rerum æſtimator? Idem quod canes famelici, qui voliantes in aëre muſcas capiunt, quibus nec famem ſatiant, nec
2. Reg. 17. 23. repellunt. Audi Scripturam: *Porro Achitophel videns, quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, diſpoſita domo ſua ſuſpendio interiit.* O curas hominum, quantum eſt in rebus inane!

O mun-

Digitized by Google

O munde immunde! tu ſimilis es Amnoni in convivio reſidenti, jocanti, bibenti, epulanti, & quid accidit? *Percuiite eum, & interficite.* Similis Balthaſari commeſſanti, & tripudianti, cujus interim cervicibus Divinæ juſtitiæ imminebat gladius: *Eâdem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus.* Similis diviti illi, cujus ager abundantes ferebat fructus, & cum de novo ædificando cogitat horreo, interim fertur ſuprema ſententia: *Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt, quæ autem paraſti, cujus erunt?* Similis Adoniæ filio Haggith, patre Davide seneſcente, regios ambienti honores: *Elevabatur dicens: ego regnabo.* Et quid evenit? *Hodie occidetur Adonias.* Similis Jonathæ, qui, cùm ad mortem patris juſſu duceretur, exclamavit: *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ paululum mellis, & ecce morior.* O paululum mellis quot jam decepiſti! heu quot ſuſpirabunt in morte: *Paululum mellis guſtavi, & ecce morior*, & pereo æternùm. O brevis voluptas! ô pœna æterna! *ſi habes*, inquit S. Iſidorus, *ſapientiam Salomonis, ſi pulchritudinem Abſolonis, ſi fortitudinem Samſonis, ſi longævitatem Enoch, ſi divitias Anci, ſi poteſtatem Octaviani, quid prodeſſet tibi, ſi tandem caro tua daretur vermibus, & omnia tua dæmonibus cum divite epulone crucianda ſine fine?* O quàm melius igitur eſt cum doloroſa Matre contemnere mundum, quæ jam trimula illum, omnémque ejus ornatum contempſit.

2. Reg. 13. 28. Dan. 5. 30. Luc. 12. 20. 3. Reg. 1. 5. 3. Reg. 2. 24. 1. Reg. 14. 43. S. Iſid. cit. à Pepin. ſer. de S. Barthol.

Pro dictorum coronide ad ipſum omnium bonorum fontem, hoc eſt, ad Chriſtum JEſum & hunc Crucifixum & doloroſæ Matris Filium accedamus. Et dic, obſecro, mitiſſime JEſu, Amor Crucifixe! cur moriens in cruce exclamâſti: *Sitio*? Quid ſitis? An quia *aruit tanquam teſta virtus tua, & lingua tua adhæſit faucibus tuis* ex defectu humoris & ſanguinis, quem propè jam omnem profudiſti? Reſpondet hîc Rupertus Abbas: *Ideo ſitiens moritur, ut oſtendat, nihil eſſe in mundo, quod ſitim expleat.* Ita, ô mi JEſu! nihil prorsùs in hoc mundo ſatiare nos poteſt, niſi tu ſolus DEus noſter; unde inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Omnia hîc tranſeunt, omnia abeunt, omnia pereunt: *Omnis conſummationis vidi finem*; ſolum regnum tuum, ô Chriſte JEſu! quod immenſo ſanguinis tui pretio nobis comparâſti: *Empti eſtis pretio magno*, non habet finem. Ad hoc ergo regnum cum doloroſa Matre aſpiremus, hoc quæramus, & mundum, qui totus in maligno poſitus eſt, contemnamus: O felix, qui mundum potuit contemnere: *Mundus tranſit & concupiſcentia ejus, qui autem facit voluntatem DEI, manet in æternum.*

Joan. 19. 28. Pſal. 21. 16. Pſal. 118. 96. 1. Cor. 6. 20. 1. Joan. 2. 17.

# CONSIDERATIO LXII.

## De feliciſſimo obitu, funeralibus & ſepultura doloroſæ Virginis ac Matris DEI MARIÆ.




**Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.**
*Philip.* 1. 23.

1. ROmanæ eloquentiæ oraculum Marcus Tulius Cicero, poſtquam diu in primo Tuſculanarum quæſtionum libro hanc quæſtionem ventilâſſet, an homini virtuoſo mors ſit expetenda, aut potiùs fugienda? Tandem in hanc abiit ſententiam: *Exoptanda bonis mors, fugienda malis.*

*Pſal.* 115. 5. *Gen.* 4. 8. *Gen.* 25. 8.

Ita eſt: Exoptanda bonis eſt mors, quia *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Abelem conſule à fratre ob opera bona interfectum; Abrahamum in ſenectute bona & plenum dierum morientem; Moyſen in terra

Moba

Moab jubente Domino & in oſculo ejus obeuntem; Judam Machabæum Deut. 24. 5.
propter ſalutem patriæ in bello cadentem; Eleazarum per mortem ſuam vir- 1. Mach. 9. 10.
tutis & fortitudinis exemplum relinquentem, &c. 2. Mach. 6. 31.

Econtrario mors malis fugienda, ac ſummè timenda eſt, quia *mors peccato-
rum peſſima.* Cain conſidera tandem à Lamech occiſum; Sodomitas & Go- Pſal. 33. 22. Gen. 4. 19.
morrhæos ſulphure & igne de cœlo lapſo ſubverſos; Pharaonem cum exer- Gen. 19. 24.
citu ſuo aquis maris rubri opertum; Chore, Datan, Abiron & eorum compli- Exod. 14. 28.
ces Moyſi rebellantes vivos ad infernum detruſos; Achitophel proprio ſu- Num. 16. 31.
ſpendio intereuntem; Abſolonem in quercu cœlum inter & terram ſuſpen-
ſum; Agag pinguiſſimum gladio Samuelis per medium diſſectum: *Siccine* 2. Reg. 17. 23.
*ſeparat amara mors*? Mitto innumeros alios. Ex quibus abundè patet, mortem 2. Reg. 18. 9.
expetendam à juſtis, timendam à malis. 1. Reg. 15. 13.

Quis autem inter mortales omnes virtuoſior, purior ac ſanctior doloroſa
Matre? *De qua*, ait S. Auguſtinus, *cùm de peccatis agitur, nullam planè mentio-* S. Aug. lib. de natura & gratia. cap. 36.
*nem haberi volo.* Proinde nullatenus mortem temporalem exhorruiſſe, ſed
potiùs ſummis eam votis exoptâſſe rectè creditur, habuit enim hæc SS. Vir-
go ardens & vehemens deſiderium ſemper cum Filio ſuo, quem plùs quàm
animam ſuam diligebat, permanendi, unde neque per paſſionem ab eo ſe-
parari potuit; crevit autem in dies hoc ejus deſiderium, ubi poſt glorioſam
Filii aſcenſionem ſe vidit in terris tanto adhuc tempore, hoc eſt viginti duo-
rum annorum ſpatio relictam, quæ tamen omnia prudentiſſima Virgo ſem-
per cum voluntate divinâ conjunctiſſima æternæ Sapientiæ humiliter ſub-
miſit.

2. Tandem, ubi hæc SS. Deipara ad annos ætatis Septuaginta duos perve- Suarez. Cor-
nerat, appropinquabat tempus, quo ex hoc mundo ad dilectiſſimum Filium nel. Tirin.
erat migratura. O quoties lachrimis inter preces mixtis, ardens cor ſuum in & paſſim alii.
Sacrificium Diviniſſimo Filio ſuo obtulit? Quoties in cœlum ingeminavit Pſal. 41. 1.
illud Davidicum: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat*
*anima mea ad te DEus.* Quoties præ nimio ſummi Boni poſſidendi deſiderio Pſal. 141. 8.
aures ſui Dilecti verbis affectu pleniſſimis pulſavit: *Educ de cuſtodia animam me-*
*am*, &c. Ad inſtar aviculæ tenui filo alligatæ, cum Lemmate:

## Cupio diſſolvi.

Et ſi tanto deſiderio æſtuabat Jacob videndi ſuum filium Joſeph: *Sufficit* Geneſ. 45. 28.
*mihi, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit, vadam, & videbo illum.* Si tanto deſiderio
Sponſa ad dilectum ſuum anhelavit: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis* Si Cant. 3. 3.
Paulus divini amoris telo ſaucius ardentiſſimo flagrabat deſiderio, poſt tot
exantlatos pro Eccleſia labores cernendi Chriſtum: *Coarctor autem è duobus*: Phil. 1. 23.
*Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Si S. Joannes dilectus ille Chri-
ſti Diſcipulus, nunc ſenex abſolutâ ſuâ Apocalypſi, nil aliud habebat in votis,



Digitized by Google

Apoc. 22. 20. corde & ore, quàm *veni Domine JEſu*: Quando ardentiùs & avidiùs pretioſiſſima Virgo & Mater doloroſa, quæ poſt glorioſam Chriſti ad cœlos aſcenſionem adhuc tanto tempore inter tot caſus, rerúmque diſcrimina ſupervixerat, ad amantiſſimum Filium ſuum ſuſpirabat: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*? Proinde ad Angelos, qui ſæpiùs hanc ſui Principis Matrem viſitabant, & latus ejus velut aulici ſtipabant, cum Sponſa dicebat: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. 8.

3. Tandem cùm optatiſſima illa dies adventâſſet, qua amantiſſimus Filius hanc SS. Matrem ſuam ex hiſce mortalis vitæ ærumnis ad cœleſtis regni gloriam transferret, Gabrielem Archangelum ſubmiſit, qui miro coruſcans lumine, ramúmque palmæ in manu deferens, Virgini dixit: *Concupivit Rex decorem tuum: Ecce, Filius tuus Dominus JEſus te Matrem venerandam expectat*, &c. O gratiſſimum nuntium! *Itaque migratione ſuâ*, ſubintrat hîc Nicephorus, *ad hunc modum cognitâ lumen ad eam infertur, domus purgatur, genere propinqui, ut par erat, accerſuntur, piéque & ordine, quæ ad tranſitionem eam pertinent, præparabantur: nuntium etiam illa, quem acceperat, his, qui cum ea erant, exponit, & præterea victoriæ mortis trophæum, erat autem palmæ ramus, monſtrat.* Rectè autem ei Archangelus palmæ ramum præſentavit, quia nemo unquam mortalium illuſtriori victoriâ mundum, carnem, dæmonem ſuperavit, quàm hæc SS. Virgo; & ſi SS. Martyribus in ſignum victoriæ dantur *palmæ in manibus eorum*, quantò potiùs Reginæ Martyrum, quæ plus cunctis Martyribus, etiam collectivè ſumptis (prout alibi explicavimus) in anima perpeſſa eſt: *Sola anima MARIÆ*, ait Nierenbergius, *ſupergreſſa eſt Martyrum cruciatus & tormenta univerſa.* Et licet reipſa ſanguinem ſuum pro Filio non effuderit, doloris tamen gladium conſtantiſſimè usque ad vitæ finem in corde ſuo portavit, quotidie Filio ſuo ex compaſſionis affectu commoriendo, & per mediationem SS. Paſſionis ejus ad tam ſanctam & feliciſſimam mortem ſe præparando; audi ipſam hanc SS. Deiparam ad S. Birgittam loquentem: *Ego paravi me ad exitum circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus paſſus fuerat, quia ex illorum locorum aſpectu efficacior ratio eorum, quæ pertulit Chriſtus, excitabatur.* O anima Chriſtiana! diſce hîc à SS. Deipara, quænam ſis optima ad beatam mortem obtinendam præparatio, pia nimirum recordatio, ac ſedula meditatio Dominicæ Paſſionis: *Certa*, inquit S. Leo Papa, *atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, ubi eſt participatio Dominicæ Paſſionis.*

Pſal. 44. 12. Metaphr. orat. de vita & dormit SS. Deipar. Nicephor. lib 2 hiſtor. cap. 21. — Apoc. 7. 9. — Nieremb. de amore B. V. c. 15. Stanih. & alii. — S. Birgitt. lib. 6. c. 26. — S. Leo ſerm. 9. de Quadrag.

4. Adeſte nunc, filiæ Jeruſalem! adeſte, Sionidæ! adeſte omnes, & videte Reginam veſtram præ amoris magnitudine & violentia in Dilectum ſuum languentem, & totam amore emollitam. Sponſa illa à dilecto ſuo ſanguinum Sponſo ad cellam vinariam, hoc eſt, ad Diviniſſimum COR JESU invitata, adeò Divini amoris vino ſeſe opplevit, ut Sponſo abeunte præ nimia

amoris

amoris vehementia animo linqueretur, ac viribus deficeret, proinde ſocias ſuas advocavit, ut opem & ſuppetias ferrent, floréſque & poma languenti animo admoverent, quorum odore & fragrantiâ deficientes reficerentur vires: *Fulcite*, inquiebat, *me floribus, ſtipate me malis, quià amore langueo.* Cant. 2. 5.

O beatiſſima Virgo! tu per illam ſponſam adumbrata es, nunc in profecta ætate tua præ amoris teneritudine paulatim viribus deficiens, & in vili lectulo tuo decumbens, ineffabili tamen cordis dulcedine in DEUM abſorpta, imò & penitùs in Dilectum tuum transformata: *Talis enim*, ait S. Auguſtinus, *quisque eſt, qualis ejus dilectio eſt; terram diligis? Terra es: DEUM diligis? Quid dicam? DEUS eris.* Quis autem majori, & per omnem vitam charitate interruptâ DEUM T. O. M. plùs amabat, quàm Mater pulchræ dilectionis? O phœnix amoris! quæ per conſtantiſſimam & vicaciſſimam memoriam duo ligna crucis & paſſionis inſtrumenta in vita tua colligens, nunc accedente ardentiſſimo juſtitiæ Sole, velut ſuaviſſimum quoddam amoris holocauſtum conflagrâſti, & in novam ac æternam vitam renata es: *Certè*, ait Mellifluus, *amoris ſagitta pertranſivit eam, ſcilicet animam Virginis, ut veniret amor usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret Mater charitatis.* S. Auguſtin. Tr. 2. in epiſt. S. Joan. S. Bernhard. ſerm. 29. in Cant.

5. De Jacob magno illo Patriarcha recenſent Sacræ Paginæ, quòd ex hâc mortali vita ad meliorem transmigraturus omnes filios ſuos meruerit præſentes videre, quibus omnibus ac ſingulis ſingularia ac paterna monita dedit: *Benedixitque ſingulis benedictionibus propriis*, &c. Geneſ. 49. 28.

Conſidera anime mi! novam conſolationem, quam Dominus SS. Matri ſuæ amoris languore decumbenti adjungebat, dum voluit, ut omnes Apoſtoli in diverſis nunc orbis partibus diſperſi non ſine prodigio Hyeroſolimam pervenirent, & dilectæ Genitricis ſuæ migrationi præſentes adeſſent, qui cum aliis Chriſtianis, velut pulcherrimæ novellæ olivarum ſacratum Virginis lectulum circumdedêre, ex animi teneritudine & cordis dolore multas lachrimas profundentes, quòd Eccleſia adhuc tenera ob abſentiam talis Matris, ac ſummæ Gubernatricis acerbum admodùm vulnus eſſet acceptura: quos pientiſſima Deipara benignè conſolata eſt. Audiatur Simeon Metaphraſtes: „Cùm jam „adeſſet tempus exceſsûs, illa quidem veræ vitæ Mater in Sion jacebat in grabato; per nubem autem congregat ſuos Filius Diſcipulos, ut venerandum „ejus corpus mandarent ſepulturæ. Poſtquàm verò vidit eos Deipara, cognovit autem cauſam, propter quam omnes ſtatim accerſiti fuerant, & uniuscujusque audiit petitiones, eos, quidem, ut par erat, impertiit benedictionibus. Addit Nicephorus: „Cùm ergo hæc & ſimilia verba conſolatoria è Virginis ore hauſiſſent, & illud imprimis, quòd Virgo ſe illorum jugem apud Filium memoriam habituram, & ſingulorum Advocatam atque Patronam, „perpetuâ interceſſione ſuâ futuram promiſerit, Divinæ voluntati ſe tantò „libentiùs ſubmiſerunt. O pientiſſima Domina! & nos miſelli humiliter Metaphraſt. orat. de dormit. Deip. Niceph. l. 2. hiſt. c. 21.

à te flagitamus ſimilem maternam benedictionem, præſerrim cùm nobis ex hac lachrimarum valle aliquando migrandum erit ad longam, longiſſimam æternitatem, &c.

6. Verùm pergamus ulteriùs. David, cùm Arcam Veteris Teſtamenti, quæ hactenus in terra aliena, & ut plurimùm ſub papilionibus habitavit, ex domo Abinadab in domum Obededom transferret, omnes electos ex Iſrael, hoc eſt, triginta millia congregavit, ut huic ſolemniſſimæ intereſſent feſtivi-
2. Reg. 6. 2. tati cum pſalteriis, tympanis, & ſiſtris, cum cymbalis & tubis, &c. *Surrexitque David, & abiit, & univerſus populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent Arcam Dei, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis in Cherubim ſuper eam*, &c.

Arca Dei animata doloroſa Virgo & Mater eſt, hactenus habitans in terra aliena, in papilionibus, in exilio & in ærumnis ac miſeriis ferè aſſiduis; aderat nunc tempus, ut curſu vitæ ſanctiſſimè conſummato, de captivitate hujus ſæculi ad cœleſte transferretur imperium; & ecce, non millia milium duntaxat Angelorum, ſed & ipſe Rex Regum dignatur huic SS. Matri ſuæ obviam procedere; ſic enim poſtulabat amor talis Filii erga talem Matrem, ut, quæ priùs ante annos viginti duos ipſi in cruce patienti & morienti tam fideliter adſti-
S. Anſelm. de Excell. V. cap. 8. tit, nunc quoque in morte à Filio non relinqueretur deſerta: *Occurrit ergo*, ait S. Anſelmus, *ſtipatus mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus Deus ipſe huic puriſſimæ Matri ſuæ de hoc mundo migranti*, quem B. Virgo vultu ſupra modum hilari & incomparabili animi cum gaudio excepit; & quemadmodum olim columba contra hoſtium inſidias non aliam requiem quæſierat, quàm habitare *in foraminibus petræ & caverna maceriæ*; ita hæc myſtica columba avolans de hoc mundo, ut vocem Dilecti ſui audivit: *Aperi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea*, non aliam expetebat requiem, quàm æ-
Cant. 4. 2. 14. Cant. 5. 2. ternùm habitare in dulciſſimorum Vulnerum Dilecti ſui foraminibus, & Diviniſſimi Cordis ejus caverna, proinde credibile valde eſt, ait Bruni & alii, hanc SS. Deiparentem ex præſentia Filii, renovatis quodammodo viribus, de lectulo ſuo ſurrexiſſe, & poſitis humi genibus, ac brachiis ſupra pectus complicatis, hæc ſuprema verba pronuntiâſſe: *In manus tuas Fili, comendo Spiritum meum*, quo dicto puriſſimum Spiritum in manus, imò in Cor dilecti Filii ſui tradidit, jubilantibus interim & cantantibus Angelis, &c.

Apocal. 14. 13. O felix mors! ô beata ſors! & ſi *beati, qui in Domino moriuntur*, quantò magis ipſa Mater Domini, quæ vitæ generavit authorem? O animæ miſeræ, deſolatæ & mille oppreſſæ ærumnis! venite ad hanc SS. Matrem, Advocatam & Protectricem veſtram, venite, inquam, & magna cum fiducia ad hunc gratiæ thronum accedite, nullus enim ſperavit in ea & confuſus eſt; nullus ei unquam devotus extitit, qui ab ea in calamitatibus, ac præſertim in hora mortis fuiſſet deſertus; & ſi inſidiatur diabolus in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua, ut rapiat pauperem, vos tamen, Sodales Mariani! in hujus SS. Matris

veſtræ

Digitized by Google

veſtræ potentiſſimo patrocinio confidite, vicit enim mundum,& caput infernalis ſerpentis jam pridem in ortu ſuo, ac nunc demum in morte contrivit. Juvat hîc audire Ludovicum Bloſium, magnum illum Theologiæ Myſticæ Doctorem: *Nullum* inquit, *MARIA Virgo aſpernatur, nulli ſe negat, omnibus ſinum pietatis aperit, & vel leviter invocata præſto eſt.* Et in alio loco: *Citiùs cœlum cum terra peribit, quàm ipſa aliquem ſerio ſe implorantem ſuâ ope deſtituat.* Lud. Bloſ. in Canon. vitæ Spirit. c. 18. Idem in Spec. Spirit. c. 12.

7 Pergamus nunc ad funeralia huic SS. Deiparæ impenſa. Joſeph Ægyptiorum Pro-Rex olim corpus Patris ſui Jacob aromatibus conditum magno cum luctu in terra Chanaan ſepelivit: *Celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt ſeptem dies.* Moyſen in terra Moab defunctum omnis Iſraël plangebat: *Fleveruntque eum filii Iſrael in campeſtribus Moab triginta diebus.* Juditham luxit omnis populus ſeptem diebus. Judam Machabæum ſtrenuiſſimum, juxta ac piiſſimum belli Ducem, pro ſalute patriæ in prælio occiſum, omnis lugebat populus: *Et fleverunt eum omnis populus Iſrael planctu magno, & lugebant dies multos.* S. Stephanum in prima Eccleſiæ perſecutione pro Chriſto lapidibus obrutum *curarunt viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum.* De Chriſto in cruce mortuo vaticinatus eſt Zacharias: *Et aſpicient me, quem confixerunt: & plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum*, &c. Geneſ. 50. 10. Deut. 34. 8. Judith. 16. 29. 1. Mach. 9. 20. Actor. 8. 2. Zachar. 12. 10.

Non ſic in feliciſſimo obitu B. Virginis MARIÆ, non ſic, non enim talis ibi auditus eſt clamor, fletus & ejulatus, ſed *ad hujus exequias*, ait Sophronius, *Angeli famulabantur, & univerſa cœlorum congratulabantur curia.* Et S. Ildephonſus: *Vidi*, inquit *Jeruſalem deſcendentem de cœlo à DEO ornatam, ut Reginam mundi Mariam ſecum eveheret ad ſublimia.* Audiamus & S. Laurentium Juſtinianum, qui cum S. Anſelmo, S. Antonino, S. Vincentio Ferrerio, B. Petro Damiano & aliis aſſeverat, Auguſtiſſimam Deiparam ab omnibus Angelis & beatis Spiritibus humili obſequio in illo feliciſſimo obitu fuiſſe honoratam: *Totus*, inquit, ut creditur, *Angelorum, Archangelorum, cæterarumque virtutum DEO famulantium eidem occurrit exercitus, ibi planè Virgineum Corpus exanime jacens dormitionem acceperat, ſuavis concentus, jucunda laus, harmonia cœleſtis, exhortatio mutua celebratur*, &c. O quale ac quantum diſcrimen inter ſortem & mortem juſtorum ac impiorum! *In malitia ſua*, inquit Sapiens. *expelletur impius: Sperat autem juſtus in morte ſua*, Voluit autem Chriſtus Dominus SS. Matri ſuæ hunc exhibere honorem, quia ipſi priùs tam fideliter adſtitit ſub cruce, ibi enim dolores mortis experta eſt; proinde conveniens fuit, ut nunc ſine omni dolore amoris victima obiret, & quia cum noviſſimo virorum ipſa noviſſima Mulierum facta eſt, nunc rectè à Filio omnium Electorum prima conſtituta eſt: *Merito*, ait Mellifluus, *facta eſt omnium Domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam.* Sophron. ſerm. de Aſſumpt. S. Ildephonſ. ſerm. 1. de Aſſumpt. S. Laurent. Juſtin. ſerm. de Aſſumpt. Prov. 14. 32. S Bernhard. ſerm. Sig. Mag.

8. Interim SS. Apoſtoli ad hoc ſacroſanctum & illibatum Virginis Corpus condigno, quo poterant, honore ſepeliendum ſeſe accingunt, ad quod decentiſſimè in feretro depoſitum, teſte Nicephoro, innumerabilis hominum multitudo confluxit, & quibuscunque affecti erant morbis, ſolo aſpectu, vel attactu illicò ſanabantur; adornatur itaque ſolenniſſima proceſſio cum facibus & luminibus, cum hymnis & canticis, & ſacrum Corpus in humeris ſublatum ipſi SS. Apoſtoli per civitatem Solymæam honorifico & triumphali applauſu ad pedem montis Oliveti, prope hortum Gethſemani in vallem Joſaphat deportant; & „ ecce novum miraculum, ait S. Melitus, „nubes lucida inſtar coronæ apparuit ſuper feretrum ſicut apparere ſolet magnus circuitus juxta ſplendorem lunæ, & Angelorum exercitus erat in nubibus canticum ſuaviſſimum occinens, ita ut egreſſus de civitate populus miraretur „dicens: Quis eſt iſte ſonitus tantæ ſuavitatis?

Nicephpor. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 22.

S. Melitus Epiſcop. in Bibliotheca SS. Patr ſerm. de Aſſumpt. B. V.

Quæres hîc, Mariane Lector! quare SS. Deipara in valle Jóſaphat, inter montem Sion & Olivetum poſitâ, ſepeliri voluerit, ad cujus ſepulchrum prout refert S. Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, complurimis diebus in aëre Angelicus ille concentus perſeveravit. Et hinc putat Forerus venire Triceſimum, quia fideles à Virginis tranſitu ex hoc mundo tot dies in Divinis perſolvendis laudibus ad ejus ſepulchrum impendebant, qui mos ab Apoſtolorum temporibus uſque ad noſtram derivatus eſt ætatem. Econtra Chriſtus dilectiſſimus Filius ejus in horto Joſephi ab Arimathæa monumentum ſuum elegit: *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nundum quiſquam poſitus erat, ibi ergo poſuerunt JESUM.* Et cor JESUS in horto ſepultus, MARIA autem in valle Joſaphat?

S. Juvenal. in epiſt. ad Marcian. Imper. de obitu B. V. Forrer. in ſerm. Triceſimal. ſerm. 1. Joan. 19. 41.

Adverte. In horto voluptatis peccavit Adam Primus, in horto paſſionis ſuæ initium & finem dedit Adam Secundus. In horto perditi, in horto reparati ſumus. In horto mors, in horto vita: *Ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret*, hinc incarnata Patris Sapientia hortum pro ſua ſepulchra elegit; ſed B. Virgo in valle Joſaphat ſepeliri voluit, quia ibidem SS. Parentes erant ſepulti, quia erat *lilium convallium*, & quàm maximè quia in hoc loco univerſum genus humanum & peccatores omnes ad ſupremum congregabuntur judicium, *ut referat unusquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum ſive malum.* Ut ergo demonſtrare, Matrem ſe eſſe generis humani, aſylum & refugium peccatorum, ideo hanc vallem pro ſepultura elegit. O peccatores omnes, reſpirate, nam & ipſa *peccatores recipit*. &c.

Eccleſia in præf. de Cruce.

2. Cor. 5. 10.

CON-

# CONSIDERATIO LXIII.

## B. Virgo non ampliùs Doloroſa, ſed Glorioſa à dilecto Filio ad cœleſtem gloriam aſſumitur.




Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum? *Cant.* 8. 5.

1. BEnedictus DEUS, cujus miſerationum non eſt numerus, potentiæ & magnitudiuis nullus finis, qui Jonam præter naturalem uſum in ventre ceti ſervavit incorruptum, Danielem in lacu leonum, ne à leonibus in fame intemperatiſſima devoraretur, tres illorum pueros in camino ignis ardentis, quorum etiam veſtimenta ſervata ſunt illæſa, ſine cujus nutu ac voluntate ne quidem capillus de capite Sanctorum perit, ille inquam, talis ac tantus, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, non ſervâſſet SS. Matrem ſuam

Jonæ 2. 11. Dan. 6. 23. Dan. 3. 23. Luc. 21. 8. Luc. 1. 37.



ſuam

ſuam in anima & corpore à corruptione integram? Sileant Mariomaſtiges,
obmuteſcant miſeri, & obturent ora ſua canes, hanc SS. DEI Matrem alla-
Matth. 27. 52. trantes, & corporalem ejus in cœlum aſſumptionem negantes; ſi juxta Evan-
S. Hieron. gelium *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monu-*
ep. ad heliod. *mentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis*,
vide hîc Cornel. atque cum corporibus, atteſtante S. Hieronymo & aliis SS. Patribus apud
Pſalm. 15. 10. Cornelium, in cœlum aſcenderunt, quare hæc gratia SS. Deiparæ negan-
da eſt, quæ plena gratiâ fuit? Si juxta S. Auguſtinum *caro Chriſti, caro MA-*
*RIÆ eſt*, de quo dictum eſt: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: meri-
tò etiam de hac SS. Deiparente dicere poſſumus: *Nec dabis Sanctam tuam vide-*
Deut. 27. 5. *re corruptionem.*

3. Reg. 6. 7. Altare illud, quod Deus in Deuteronomio ædificari juſſit, erat ex lapi-
Cant. 3. 9. dibus, quos ferrum non tetigit. In templo Salomonis conſtruendo nec mal-
Exod. 25. 11. leus, nec ſecuris, nec omne ferramentum audita ſunt. Ferculum fecit ſi-
Joſ. 2. 12. bi Rex Salomon de lignis Libani, quæ nulli cariei erant ſubjecta. Arca illa Fœderis Domini ex lignis imputribilibus erat compaginata, & intus ac foris auro puriſſimo exculta. In communi excidio Jerichuntino ſola domus Rahab à devaſtatione conſervata eſt immunis, &c.

O glorioſiſſima Virgo! tu quondam per has umbras in Veteri Teſtamento præfigurata es, non ergo conveniens fuit: ut immaculatum Corpus tuum in ſepulchro corruptioni eſſet obnoxium. Hinc rectè & piè à fidelibus creditur, quòd mox tertio poſt tuum obitum die unigenitus Filius innumeris ſtipatus Angelis cum puriſſima anima tua de ſummo cœlo in campum Gethſemani & vallem Joſaphat, ubi ad radices Oliveti Virginis ſepulcrum erat, deſcenderit, atque virtute Divinâ innocentiſſimam illam animam rurſus Corpori Virgineo conjugârit. O quanto omnium & Angelorum & beatarum mentium cum jubilo, dum uno momento SS. anima corpori quatuor gloriæ dotibus affecto, & Solis inſtar reſplendenti fuit unita; juvat hîc audi-
Cant. 2. 14. re dulcia illa & amoris pleniſſima verba tanti Filii ad tantam Matrem: *Surge*
Cant. 4. 8. *amica mea, ſpecioſa mea, & veni: ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Veni de Libano, veni, coronaberis*, &c. Ad quem glorioſiſſima Virgo: *Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam DEUS meus.* O immenſum, ô ineffabile gaudium exſuperans omnem ſenſum! quis effari, quis explicare poterit, quàm ſuaviter Filius hanc Sacratiſſimam Matrem ſuam fuerit amplexatus, quàm benignè eam ſuſceperit, & quanto ac ſolemniſſimo cum jubilo eam ad cœleſtia regna ſublevârit!

2. Juditha laudatiſſima illa & magni animi fœmina pro ſalute populi Iſraelitici admodum anxia ac ſolicita, ubi vitam ſuam pro conſervanda Bethulia generoſo animo evidenti mortis periculo expoſuit, & nunc cæſo ac proſtrato Holoferne belli Duce & hoſte Iduinæorum infenſiſſimo in urbem & pa-

patrium ſolum cum optimis ſpoliis reverſa eſt, cuſtodes civitatis ſtans à longè inclamavit: *Aperite portas, quoniam nobiſcum eſt DEUS*, quam exinde caput Holofernis cum conopeo, in quo recumbebat, referentem Ozias Pontifex & omnis populus ſummis laudibus extulerunt: *Benedicta es tu filia à Domino DEO excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram*, O quantò nobilior erat ille applauſus, quo ſuperni Spiritus ac cives cœleſtes Reginam ſuam, devicto generis humani hoſte, de magna tribulatione nunc ad regiam ſuam venientem exceperunt: *Quæ eſt iſta* (ita attoniti Virginis magnitudine ſucclamabant omnes) *quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper Dilectum ſuum?* Judith. 13. 18. Cant. 8. 5.

Elias quondam in curru igneo ad cœlos aſcendit: *Cúmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce, currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Chriſtus orbis melioris Reparator ac Redemptor in nube lucida: *Videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Lazarus miniſterio Angelorum ad cœlum in ſinum Abrahæ deportatus eſt: *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Verùm B. Virgo & Mater pulchræ dilectionis ad majorem magnificentiæ ſplendorem & majeſtatis oſtentationem innixa ſuper Filium ad empyreum cœlum elevata eſt: *Aſcendit innixa ſuper Dilectum ſuum*; in quem locum Mellifluus: *Super hunc* (Dilectum) *innititur Mater illa feliciſſima, & in aureo reclinatorio Divinæ Majeſtatis recumbens, inter Sponſi, imò Filii ſui brachia requieſcit. O quanta dignitas, quàm ſpecialis gloria, inniti ſuper illum, quem reverenter colunt Angelicæ poteſtates*, &c. Hinc pro Emblemate proponitur Monocodiata ſeu avis paradiſiaca compari ſuo innixa, unáque in cœlum volans cum inſcripto ex hoc textu Canticorum mutuato: *Innixa ſuper Dilectum*; vel ſi magìs tibi cum Areſio arridet: 4. Reg. 2. 11. Actor. 1. 9. Luc. 16. 22. S. Bernh. in Cant. 8. 5.

## Innixa aſcendit.

3. Recordor hìc illius opulentiſſimæ Reginæ Sabæ, de qua ſacri Regum Annales teſtimonium perhibent, quòd Hieroſolymam multo ac ſplendido cum comitatu tum procerum, tum ſervorum, à finibus terræ venerit, ut ſapientiam Salomonis coram audiret, & quæ prudenter in regno ſuo ordinaverat, in Æthiopiam, patrium ſolum inveheret: *Et ingreſſa Jeruſalem multo cum comitatu & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad Regem Salomonem*, &c. 3. Reg. 10. 2.

*Plùs hìc, quam Salomon*, plus quàm Regina Saba. O quanto nobiliore cum comitatu & Angelorum & Archangelorum, ſuper dilectiſſimum Filium ſuum innixa, ingreſſa eſt cœleſtem Jeruſalem SS. Virgo, nunc in Reginam totius univerſi à SS. Trinitate inauguranda! *Divitiæ* illius erant tot cœleſtium cha- Matth. 12. 42.

charitatem dona ac gratiæ, quibus à DEO trino & uno erat abundantiſſimè cumulata; *aurum infinitum nimis*, immenſa ejus charitas fuit, quâ DEUM
v. 10. ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſam per omnem vitam dilexit; per aromata odifera, de quibus Scriptura refert: *Non ſunt allata ultrà aromata tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni*, rectè illius incomparabiles virtutes intelliges, quarum odore fragrantiſſimo ipſumDeum ad ſe attraxit de cœlo; *gemmæ pretioſa* præſignabant ejus prærogativas & merita, quibus omnibus aliis præeminebat Sanctis & creaturis. O pientiſſima Virgo! dic nobis, qualis tibi in ingreſſu cœli cœlorum in primo intuitu ſummi illius boni fuerit ſenſus ac animus? Quæ priùs in vita & paſſione Filii mare extitiſti dolorum, infamis Nati in cruce pendentis infamis Mater, ſpreta & riſa à Pontificibus, populo & carnificibus, & vix non impiorum ſacrilegis contrita pedibus, nunc *ſecundùm multitudinem dolorum tuorum in corde tuo conſolationes lætificaverunt animam tuam*, dum Oceanus omnium gratiarum ac felicitatum nunquam minuendus replevit cor tuum, DEO T. O. M. velut in Matrem ſuam omnium bonorum ac gratiarum plenitudinem effundente: „Quis „cogitare ſufficiat, ſubintrat hîc Mellifluus, „quam glorioſa hodie mundi „Regina præceſſerit nos, & quanto devotionis affectu tota in ejus occurſum „cœleſtium legionum prodierit multitudo? quibus ad thronum gloriæ can„ticis ſit adducta? Quam Divinis amplexibus ſuſcepta à Filio, & ſuper om„nem exaltata creaturam cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum „ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Chriſti generationem & MARIÆ „aſſumptionem quis ennarrabit? Ah Domina! unicam ſtillulam gratiæ efficacis etiam pro me miſello impetra, non enim amas, & deſeris; Mater es, non potes oblviſci Filii tui, licèt indigniſſimi.

Pſalm. 93. 19.

S. Bernhard. ſerm. de Aſſumpt. B. V.

4. O præcelſa Filia Sion, cui ulterius te comparabo; O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA, quid ultra dicam de te? Arca Noëmica diu iratis diluvii fluctibus jactata, tandem decreſcente cataclyſmo ſuper montes Armeniæ, quæ omnium orbis partium celſiſſima eſt, placidè reſedit: *Requievitque Arca ſuper montes Armeniæ*. O beatiſſima! ô intemerata Virgo! tu per illam Noëmi Arcam adumbrata es, ubi per annos ferè ſeptuaginta duos in hoc turbulento mundi pelago jactata fuiſti, nunc ceſſantibus dolorum, tribulationum ac perſecutionum fluctibus ſuper montes Armeniæ in cœleſti gloria placidè quieſcis, ſuper omnes Angelorum choros exaltata.

Geneſ. 8. 4.

Hîc verificatum fuit illud, quod DEUS quondam primo Adamo dixit: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*, ne videlicet eſſet ſolus in paradiſo terreſtri; ita quoque conveniens fuit, ut ſecundo Adamo Chriſto JEſu adjungeretur Socia in cœleſti paradiſo SS. & innocentiſſima Mater, quæ unà cum ipſo in anima & corpore regnaret, ut eorundem nunc fieret in cœlo particeps gaudiorum, quemadmodum priùs in vita omnium dolorũ; & quia Virginis Corpus

Gen. 2. 18.

(prout

(prout affirmat doctiſſimus Suarez) humanæ ſaluti initium dedit, dum ex illius Sanguine Corpus & ſanguis Chriſti, quod in cruce noſtræ ſalutis pretium extitit, deſumptum eſt; hinc rectè concludit idem Suarez, omnino rationi fuiſſe conſentaneum, ut idem Virginis corpus hanc redemptionem peculiari modo participaret, & glorioſa animâ & corpore cœlos aſcenderet. Juvat hîc audire S. Auguſtinum: *Promiſſio*, inquit, *Chriſti eſt, ubi ego ſum, illic & Miniſter meus erit: Si hæc eſt generalis ſententia omnium per fidem & operationem bonam Chriſto miniſtrantium, quantò magis & quodammodo ſpecialis eſt MARIÆ? MARIAM namque operis exhibitione, ut quæ Chriſtum genuerit, infantem nutrierit, lactaverit, paverit, educârit, & inſuper fidei rigidiſſima veritate miniſtram fuiſſe Chriſti, præ omnibus aliis hominibus, omnis qui ſanè ſapit. intelligit: Si ergo cum corpore ibi non fuerit, ubi Chriſtus Miniſtros ſuos eſſe vult, ubi erit? Si erit, an non majori gratia quàm alii Miniſtri, anticipatâ carnis reſurrectione? Nam ſi ſolùm æquali gratiâ cum aliis Miniſtris Chriſti, ubi æqua DEI cenſura, quæ unicuique reddit ſecundùm merita? Si ergo merito MARIÆ viventi præ omnibus donata eſt gratia, mortuæ erit minuenda? abſit; quia ſi omnium Sanctorum mors eſt pretioſa, MARIÆ ſanè eſt pretioſiſſima, quam tanta comitata eſt gratia, ut Mater DEI dicatur & ſit.*

Suarez 3. p. tom. 2. diſ. 21. ſect. 2.

S. Auguſtin. lib. de Aſſumpt. Virginis. Tom. 9. Operum.

5. Et ſi placet ulteriùs progredi; an non Arca illa Fœderis Domini à ſapientiſſimo Regum incredibili cum pompa, majeſtate ac ſolemnitate in conſpectu omnis populi in magnificentiſſimum templum ac Sanctuarium illata eſt: *Tunc congregati ſunt omnes majores natu Iſrael cum principibus tribuum & Duces familiarum filiorum Iſrael ad Regem Salomonem in Jeruſalem: ut deferrent Arcam Fœderis Domini*, &c. O quanto majori cum applauſu, pompâ & lætitiâ totius curiæ cœleſtis hæc animata DEI Arca SS. Deipara à vero & pacifico Salomone Chriſto JEſu ad cœleſte Sanctuarium tranſlata, atque introducta fuit: „Attolle oculos, ait B. Petrus Damianus, „ad aſſumptionem Virginis, & ſal-„vâ Filii majeſtate invenies occurſum hujus pompæ non mediocriter dignio-„rem: Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri verò Fi-„lius ipſe cum tota curia tam Angelorum, quàm Juſtorum occurrens evexit „ad beatæ conſortium ſeſſionis. Et ſicut Chriſtus in admirabili aſcenſione ſua *captivam duxit captivitatem*, dum omnes animas rectè credentium è limbo & purgatorio ſecum in cœlum invexit; ita inquit Cancellarius Pariſienſis *in aſſumptione B. Virginis MARIÆ evacuatum eſt purgatorium.* O quanta cum jubilo omnium purgantium animarum!

3. Reg. 8. 1.

B. Damian. ſerm. de Aſſumpt. Virg.

Epheſ. 4. 8.

Gerſon tr. 4. ſup. Magnific.

Verùm quid nos gaudii ac conſolationis ex hac glorioſa Sanctiſſimæ Virginis in cœlum aſſumptione poſſumus haurire? Audi rurſus Mellifluum: *Præmiſit*, inquit, *hodie peregrinatio noſtra Advocatam, quæ tamquam Judicis Mater & Mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit*, &c. Hinc Regius Vates eam non ad dexteram Filii ſedentem, ſed ſtantem vidit: *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*, ſtare enim adjuvantis, ſe-

S. Bernhard ſerm. 4. de Aſſumpt.

Pſalm. 44. 10.

Hugo à S. Vict. lib. 4. de Laud. V. dere judicantis eſt, *Virgo*, inquit Hugo à S. Victore, *ad dexteram Filii ſui ſtare perhibetur, ad inſinuandum nobis patrocinium & protectionem, quam de nobis coram ſupremo tribunali Filii ſui in cœlo habet.*

Et ſi quondam Joſue invictiſſimus ille, juxta ac pientiſſimus belli Dux in terra promiſſionis, jubente Domino, cis & trans Jordanem certa quædam aſyla, ſeu ſex civitates refugii poſuit, in quibus noxii à juſtitia puniendi tuti poterant morari: *Separati urbes fugitivorum, de quibus locutus ſum per manum Moyſi, ut confugiat ad eas, quicunque animam percuſſerit neſcius: & poſſit evadere iram proximi, qui ultor eſt ſanguinis.* (Joſue 20. 2.) Ita verus noſter Joſue, qui eſt Chriſtus DEUS noſter, peccatoribus delinquentibus legem ſuam, ſi ad frugem velint redire, ſex civitates refugii, ad quas pro omni neceſſitate ſecuri poſſunt confugere, ordinavit, videlicet quinque SS. Vulnera ſua, in quibus columba & anima gemmens à facie perſequentis inimici ſecurè inhabitat, & ſextum refugii locum SS. Matrem ſuam doloroſam, nunc in cœlis ſuper omnes creaturas exaltatum; proinde rectè à Damaſco appellatur *civitas vivens Regis exercituum, & civitas refugii.* (Damaſc. de Dormit. V.) Audi & Ludovicum Bloſium, *MARIA Virgo*, inquit *peccatores ad ſe piè & humiliter fugientes blandè ſuſcipit, fovet, protegit, & Filio ſuo maternâ fiduciâ reconciliat.* (Lud. Blpſ. in Canon. VitæSpirit. cap. 18.) Penès te nunc eſt, ô tepide Chriſtiane! ſi ad hanc refugii civitatem SS. Virginem non maturè vis confugere: injuriam DEO facis, ſi hanc SS. Matrem ejus aſpernaris, cui ipſe DEI Filius erat ſubditus. *Et ſi magna fuit*, ſubintrat hîc Seraphicus Doctor, *erga miſeros eſt miſericordia MARIÆ adhuc exultantis in mundo, ſed multò major erga miſeros eſt miſericordia ejus jam regnantis in cœlo.* (S. Bonav. in Spec. Virg. cap. 8.)

6. Placuit autem Chriſto Domino SS. Matrem ſuam, cujus ſacrum Corpus non in ima profunditate vallis Joſaphat, ſed in pede montis Oliveti propè hortum Gethſemani ſepultum eſt, eodem in loco, quo ipſe Triumphator ad cœlos aſcendit, unà cum corpore glorificato ad cœleſtem gloriam ſublevare. Et cur, dices, ad pedem montis Olivarii? Quare non in monte Thabor, ubi prius Chriſtus transfiguratus eſt? Cur non in monte Sion, ubi SS. Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, in quo loco & S. Deipara Vidua pluribus annis habitavit, quotidie Diviniſſimo epulo refecta? Vel cur non in monte Carmeli, ubi quondam illa nubecula parvula tanquam veſtigium hominis (Virginis typus) apparuit?

Reſpondet S. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Chriſtus*, inquit, *de monte Olivarum in cœlos aſcendit: illic maximum certamen incepit: hic autem poſt certamina coronatus eſt.* (S. Cyrill. Hieroſolym Cath. 14.) Aſcendit autem elevatis manibus & per modum crucis extenſis, ut demonſtraret nobis viam, qua ſit eundem, nempe *per crucem ad lucem.* In hoc quoque loco ſed paululum inferiùs illi placuit & SS. Genitricem ſuam ad cœleſtem & æternam gloriam aſſumere, ut, quæ ſocia fuit omnis paſſionis fieret & gloriæ, triumphali & conſolationis; & ſicut priùs abundabant paſſiones

nes

nes Chriſti in ea, ita per Chriſtum nunc abundaret in illa conſolatio nunquam in æternum finienda. O felix crux, quæ ipſum Filium DEI & SS. Matrem ejus tantoperè exaltaſti: *Humiliavit ſe usque ad mortem, mortem autem crucis*; & quid ſequitur? *Propter quod & DEUS exaltavit illum*, &c. Et nos, heu modicæ fidei! quare adhuc formidamus crucem? An nobis DEUS aliam pinget viam, quam dilectiſſimo Filio & doloroſæ Matri ejus in cœlum? Phil. 2. 8.

7. De Davide recenſent Regum libri, quòd cum Amalecitis à veſpera usque ad veſperam alterius diei cruento prælio dimicârit; in quo non victrices duntaxat palmas, ſed & omnem prædam à Siceleg abactam recuperavit. Cúm exinde lis in caſtris oriretur, quomodo opulenta illa ſpolia forent dividenda; David prudenter decrevit, ut æqualiter inter illos, qui cum hoſte pugnârant, & inter eos, qui in caſtris ad ſarcinas tuendas remanſerant, dividerentur: *Æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident.* 1. Reg. 30. 24.

Anima Chriſtiana! revoca in memoriam cruentum illum conflictum, quem Chriſtus Filius David in paſſione ſua, ac præſertim in cruce, cum diabolo, peccato, mundo, carne, Judæis & Gentilibus habuit, in quo præſens erat & SS. ac doloroſiſſima Mater ejus, prælianti Filio aſſiſtens, non quidem ipſa pugnans, aut ſanguinem ſuum effundens, ſed quaſi remanens ad ſarcinas; vicit interim Orcum, hoſtésque omnes fortiſſimus Triumphator JEſus per mortem & reſurrectionem ſuam, & ut Victor glorioſiſſimus cum erepta è lymbo præda cœlum ingreſſus eſt: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, inter quos Beatos æqualiter partam prædam, gloriámque eſſentialem in cœlo diſtribuit; *Dedit dona hominibus.* Verùm, ô pientiſſime JESU! ubi eſt SS. Mater tua? Decet, ut illius non obliviſcaris, ſed æqualiter cum illa dividas, quia omnes cruciatus, quos tu in corpore, illa in anima tulit. Et quid dico? *Diviſum imperium cum Jove Mater habet*, Sicut enim ipſe cum anima & corpore ad immenſam & nunquam terminandam gloriam intravit, ita voluit, ut pretioſiſſima Mater cum corpore & anima ad eandem gloriam aſſumeretur; ubi adimpletum illud fuit, quod de pacifico Salomone Scriptura commemorat: *Et ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravitque eam, & ſedit ſuper Thronum ſuum. poſitúsque eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus.* O potentiſſima cœlorum Regina, ô MARIA! quid habet indigniſſimus ſervulus tuus, niſi ut ſe valde coram majeſtate tua humiliet, memor ſemper propriæ vilitatis & iniquitatis: *Satiare, ô Mater miſericordiæ, gloriâ Filii tui* (clamo ad te cum Guerico Abbate.) *ſatiare, & dimitte reliquias parvulis tuis: Tu jam ſedes ad menſam Domini, nos ſub menſe catellos benignè reſpice, ut familia tua famelica præſtoletur à te alimoniam vitæ, & ut in æternum tecum vivamus.* Epheſ. 4. 8. 3. Reg. 2. 19. Gueric. Abb. ſerm. 4. de Aſſumpt.



Digitized by Google

# CONSIDERATIO LXIV.

**B. Virgo olim doloroſiſſima, nunc glorioſiſſima triplici corona à SS. Trinitate in cælo coronatur.**




Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, *veni* coronaberis. *Cant.* 4. 8.

1. TRia quondam vota Magnus ille Aurelius Auguſtinus habuiſſe perhibetur: Videre Chriſti in carne verſantem Paulum concionantem, & Romam triumphantem. Si parva licet componere magnis, optâſſem ego (ſi ita dicere fas eſt) per cœlorum rimas incomparabilem illum ſpectare triumphum, quo glorrioſiſſima Virgo & *Mater* non ampliùs doloris, ſed *pulc hra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei*, ſuper dilectum Filium innixa inter Archangelorum & cœleſtium Spirituum myriades ad cœlos aſſumpta, atque triplici aureâ & coronâ à SS. Trinitate res dimi-

Eccl. 24. 24.

dimita eſt; ô quis dicet, quali cum pompa & majeſtate? & quis concipiat animo?

Olim potentiſſimi S.R.I. Imperatores triplici coronâ erant cincti, & ornati, inter quos unum in apricum produco Carolum V. Germanorum Herculem invictiſſimum, qui anno ſalutis noſtræ 1520. die 29. Octobris Aquisgrani coronâ ferreâ, paulò pòſt Mediolani coronâ argentea, & demum Bononiæ in Italia año 1530. die 24 Februarii à Clemente VII. Pont. Max. in magnifico templo S. Petronii coronâ aureâ ſolemni cum pompa coronatus eſt. Philipp. Cluver. & alii in vit. Imp.

Plùs hîc in exaltatione & coronatione olim doloroſiſſimæ, ſed nunc glorioſiſſimæ Matris DEI MARIÆ, quæ exactiſſimè quondam in terra inter mortales converſata, conſilium Filii conſervavit: *Recumbe in noviſſimo loco*, hinc ſemper inter omnes noviſſima vocari, & haberi voluit: *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & MARIA Matre JEſu.* Proinde jure meritiſſimo à dulciſſimo Filio nunc audire meruit: *Aſcende ſuperiùs*, & quidem ſuper omnes Angelorum & Beatorum choros, tanquam omnium creaturarum honoratiſſima; illi enim omnes ſervi ac ſubditi erant, hæc autem Mater DEI & Regina omnium, cui ſubditus erat ipſe DEI Filius, hinc digniſſima, ut à Filio diademate coronaretur nobiliſſimo, neque unâ duntaxat ſed triplici coronâ, ſed aureolâ: *Virginum*, quia per perfectiſſimum carnis Dominium longo intervallo omnes Virgines ſuperavit; *Doctorum*, quia Doctrix Doctorum erat, Apoſtolorum, Evangeliſtarum & omnium Chriſtianorum? & *Martyrum*, quia plus omnibus (ſi objectum reſpicis) etiam collectivè ſumptis, paſſa eſt eorumque Regina meritò appellanda. Luc. 14. 10. Actor. 1. 14.

2. Et hoc eſt, ad quod pulcherrimè quondam alluſit Sponſus ille candidus & rubicundus: *Veni de Libano, Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus pardorum.* Enimverò, ô glorioſiſſima Virgo! hactenus in terra per totum vitæ tuæ curriculum inter hoſtes & perſecutores, in cubilibus leonum & in montibus pardorum habitâſti, Filii infamis apud Judæos infamis Mater, innumeris circumdata doloris, ab illa enim hora, quâ Filium tuum caſtis concepiſti viſceribus, cum illo in cruce uſque ad vitæ tuæ finem fuiſti: *In ſignum igitur*, ſubintrat hîc Bernhardinus Senenſis, *quod crucifixa crucifixum conceperis, ordinavit ſumma Sapientia DEI, quòd eodem die Chriſtum conceperis, quo etiam fuit paſſus*; longè conſtantior, quàm quondam Reſpha, quæ ſtrato ſubter ſe in petra cilicio, & in eo cubans, duobus filiis ſuis ob alienam & publicam culpam à Gabaonitis crucifixis, ut totius populi in fame & ariditate fierent piaculum, tam diu fidelis Mater, ne à canibus, avibus aut feris eorum cadavera dilaniarentur, ſub dio perdia & pernox immota adſtitit, donec, in commodum totius regni cœlum deſideratas ſtillaret pluvias. Plus pientiſſima Virgo, quæ cum crucifixo Filio ſuo per omnem vitam ſuam cru- Cant. 4. 8. S. Bernhardin Sen. tom. 3. ferm. 6. art. 2. c. 1. 2. Reg. 21. 10

cifixa fuit, proinde digniſſima, ut à SS. Trinitate audiret: *Veni: coronaberis*; non unâ ſed triplici coronâ, hoc enim inſinuat triplex illa amiciſſima Divini Sponſi invitatio: *Veni, veni, veni*.

Dixi, Imperatores triplici fuiſſe inſignitos coronâ: *Argenteâ, ferreâ, & aureâ*; ita & SS. Virgo, argentea in myſteriis gaudioſis, ferreâ in myſteriis doloroſis, & aureâ in myſteriis glorioſis. Mariane Lector! recita diligenter roſarium tuum, & triplici hâc coronâ SS. Deiparam coronâſti. Juvat hîc audire Cornelium à Lapide: „Beata Virgo, (inquit,) evocata eſt Libano, „Amana, Hermon, & Sanir, cùm ex Judæa & hoc mundo evocata eſt ad „Chriſtum in cœlum, ibique coronata Regina cœli & terræ cum triplici au„reola, ſcilicet eminentis virginitatis, doctoratûs, & martyrii: fuit enim ipſa „primiceria Virginum, Doctorum & Martyrum. Hanc triplicem coronam tibi, Mariophile! in noſtro Emplemate præſentamus, cum inſcripto:

Cornel. in Cant. 4. 8.

## Curſu completo.

S. Ambroſ. & S. Chyſoſt. uterque de SS. MM.

Ita eſt: *Tolle Martyrum certamina*: ait S. Ambroſius, *tuliſti coronas, tolle cruciatus, tuliſti beatitudines*; ſic oportuit Chriſtum pati & doloroſam Matrem ejus, & ita, & ita, & non alio modo intrare in gloriam ſuam; & tu, delicate miles, quæras aliam viam? *Ipſe quidem*, ſunt verba S. Chryſoſtomi, *per tribulationes pervenit, tu autem per requiem vis ire? Quomodo ergo ſequeris non ſequens*? Quomodo coronaberis, ſi non certaveris?

3. De Eſther recenſent ſacræ Paginæ, quia corporis & animi pulchritudine, modeſtiâ morum, gratiâ & ſanctitate vitæ omnes mulieres tum temporum intervallo ſuperabat, ideò ab Aſſuero potentiſſimo Perſarum Monarchâ ſpeciali amore præ cæteris omnibus fuiſſe dilectam; in quem finem eam non duntaxat in ſponſam, ſed etiam in Reginam elegit, propriisque manibus coronam regni capiti ejus impoſuit: *Et poſuit diadema regni in capite ejus*.

Eſth. 27.

Plus hîc quàm Eſther. O pientiſſima Virgo! tu illa formoſa es, incredibili pulchritudine prædita, omnium oculis gratioſa & amabilis, quam Pater æternus in Filiam, Filius in Matrem, & Spiritus S. in Sponſam elegit, hinc non uno, ſed triplici diademate coronata es, Pater enim coronavit te coronâ potentiæ, Filius ſcientiæ, & Spiritus S. charitatis & pietatis: „Eſther Regina eſt B. Virgo Maria, (inquit Doctor Seraphicus) quæ ducta eſt in cubi„culum Regis in aſſumptione, in cubiculum quietis æternæ, gratiam veri „Regis habens ſuper omnes mulieres, id eſt, ſuper omnes intelligentias „Angelicas, & ſuper omnes beatas animas, ut ſit in Maria gratia ſuper gra„tiam omnium Beatorum: Nam revera in capite ejus Rex Regum diadema „regni poſuit tam impretiabile, tam delectabile, tam mirabile, quòd hoc o„mni linguæ inenarrabile, omni ingenio inſcrutabile eſt.

S. Bonav. in Speculo c. 7.

4. Rea-

4. Recordor hîc illius coronæ, quâ David quondam à regni ſui proceri-
bus, principibus ac ſatrapis, ob expugnatam munitionem Rabbath, tanquam
Victor glorioſus coronatus eſt. Audi ſcripturam: „Congregavit itaque 2. Reg. 12.
„David omnem populum, & profectus eſt adverſùm Rabbath: Cúmque 29.
„dimicâſſet, cepit eam. Et tulit diadema Regis eorum de capite ejus, pon-
„do auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt ſuper
„caput David, &c.

Quid commemoro inaugurationem, inunctionem & coronationem ſa- 3. Reg. 1.
pientiſſimi Solymæorum Regis? „Sumpſitque Sadoc Sacerdos cornu olei 39.
„de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis
„populus Vivat Rex Salomon: & aſcendit univerſa multitudo poſt eum ca-
„nentium tibiis & lætantiũ gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorũ. Eſther 8. 15.

De Mardochæo habet Scriptura: „Mardochæus autem de palatio & de
„conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet
„& aëris, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque
„purpureo; omniſque civitas exultavit, atque lætata eſt.

Arca illa Fœderis Domini intus & foris auro puriſſimo veſtita, pretioſâ
quoque corona à Beſeleel ornata eſt: *Et fecit illi coronam auream per gyrum.* Exod. 37. 2.

Faceſſe cum his umbris. Arca animata puriſſimo charitatis auro veſtita,
B. Virgo & Mater JESU erat, dulce manna & panem vivum, qui de cœlo
deſcendit, in ſe continens. Hanc SS. Trinitas poſt tot decumanos exantla-
tos in terra labores ac dolores, velut dignam cœli terræque Reginam coro-
nare ſtatuit; & quâ coronâ?

*Et in capite ejus*, ait dilectus Chriſti Diſcipulus, *corona ſtellarum duodecim*, ad Apoc. 12. 1.
ſignificandum, quod tot digna ſit coronis, quod omnibus conveniunt præ-
deſtinatis, in duodecim iſtis lucidiſſimis ſtellis indicatis. O beatiſſima Vir-
go! ô digniſſima Mater DEI! ô piiſſima Mater noſtra! quantùm jam muta-
ta ab ipſa es? Olim in cruce, nunc in luce; olim Mulierum noviſſima, nunc
prima; olim cum Filio in ligno pendente maledicta, nunc inter omnes be-
nedicta; olim dolorum, nunc gaudiorum pelagus; olim lachrymis, nunc Di-
vinis affluens deliciis. O quantùm ſupergreſſa es creaturas univerſas! tu es il- Apoc. 12. 1.
lud ſignum magnum, quod apparuit in cœlis: Mulier amicta ſole, & luna
ſub pedibus tuis: *Tu ipſa es*, ait S. Bonaventura, *quâ majorem DEUS facere non
poteſt: Majorem mundum facere poteſt DEUS, majus cælum facere poteſt, majorem* S. Bonav. in
*Matrem, quàm Matrem DEI, non poteſt facere DEUS.* O Domina! nunc tandem Spec. B. V. cap. 8.
adimpletum eſt illud tuum vaticinium: *Beatum me dicent omnes generationes,* Luc. 1. 48.
*quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus*, quia ſic à SS. Triade
coronata Dominatum in omnes creaturas accepiſti, omnes enim, qui Chriſto
Filio tuo ſerviunt, & tui ſervi ſunt: *Servi tui ſumus, quæcunque juſſeris, faciemus.*
O Domina totius univerſi! ô cœli terræque Imperatrix, cui à Filio data eſt Geneſ. 12.
omnis poteſtas, & in manu tua vita & mors: *Dic, obſecro, quod ſoror noſtra ſis,* 12.
*ut bene ſit nobis propter, & vivat anima noſtra ad gratiam tui,* 4. Reg. 10.
5. Ve- 5.

Digitized by Google

5. Verùm progrediamur ulteriùs. Anno noſtræ ſalutis 1690. die 19. Januarii vidimus Auguſtæ Vindelicorum præſentes, quàm feſtivo Sereniſſimorum Electorum cum applauſu, Procerum Germanorum pompâ, & jubilo totius populi in Imperatricem Romanorum fuit coronata Sereniſſima Eleonora, Magdalena, Thereſia, Sacræ Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis, Leopoldi Primi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti Auguſta ac digniſſima Conjunx. Ubi omnia tandem de more ad tantam ſolemnitatem adornandam erant parata, & ſacrum Officium ab Eminentiſſimo S.R.I. Electore Primariò, & Archi-Epiſcopo Moguntino, aſſiſtentibus Sereniſſimo Colonienſi & Eminentiſſimo Trevirenſi, & aliis Epiſcopis ac Prælatis usque ad Evangelium incluſivè erat decantatum, ſurrexit è throno ſuo potentiſſimus Imperator pius & *juſtus* Leopoldus, in capite ſuo inæſtimabilis pretii geſtans coronam & dextrâ regale Sceptrum, manuducens ad altare Sereniſſimam Reginam ac Conſortem ſuam, ab Eminentiſſimo Conſecratore Moguntino in Cathedra conſidente, aſſiſtentibus (prout dictum eſt) Trevirenſi & Colonienſi, in Imperatricem coronandam, & inaugurandam, quem Conſecratorem & Pontificem Imperator hiſce verbis altâ gravi voce allocutus eſt: *Poſtulamus*, inquiebat, *Reverendiſſime Pater! ut Conſortem noſtram, nobis à DEO conjunctam, benedicere & corona Imperiali decorare dignemini, ad laudem & gloriam Salvatoris noſtri JESU Chriſti.* Ad quod Pontifex Reginam talem in modum à Cæſare præſentatam certis precibus, ex Pontificali Romano deſumptis, benedixit, & à DEO T.O.M. omnem ei felicitatem ac bonum precatus eſt: exinde dexterum illius brachium & inter ſcapulas oleo Catecumenorum inunxit: tum adjuvantibus Eminentiſſimis Archi-Epiſcopis & Electoribus Colonienſi ac Trevirenſi coronam Imperialem ejus capiti impoſuit, dicens: *Accipe coronam gloriæ, ut ſcias, te eſſe conſortem regni, populóque ſemper DEI proſperè conſulas, & quantò plus exaltaris, tantò ampliùs humilitatem diligas, in Chriſto JEſu Domino noſtro.* Peractâ hac coronatione Pontifex Conſecrator Reginæ Sceptrum in manu tradidit: *Accipe*, inquiens, *virgam virtutis ac veritatis, & eſto pauperibus miſericors & affabilis: Viduis, pupillis & orphanis diligentiſſimam curam exhibeas, ut omnipotens DEUS augeat tibi gratiam ſuam qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.* Quibus omnibus ſumma cum ſolemnitate peractis, Imperatrix in veſtitu deaurato in throno collocata eſt, ubi novus Procerum & præſentis populi in Eccleſia Cathedrali audiebatur applauſus & aggratulatio, multos annos & omnem felicitatem huic ſereniſſimæ ac Clementiſſimæ Imperatrici ſuæ apprecantium.

Ex Romano Pontificiali.

3. Reg. 2. 19. Anima Chriſtiana! ſurgamus altiùs, & ab Eccleſia militante ad triumphantem in mente noſtra aſcendamus. Et quid video? *Ecce poſitus eſt thronus Matri Regis.* Et quænam illa Mater Regis cœleſtis? quæ priùs ſteterat ſub probroſiſſima cruce, habitavitque hactenus inter tot primitivæ Eccleſiæ perſecutiones in monte Libano, hoc eſt, in Jeruſalem in monte Sion, in cubilibus leonum,

Digitized by Google

leonum,& in montibus pardorum inter hoſtes inſenſiſſimos,ludibrium Pon-
tificum,populi carnificum, nunc ſub triumphanti crucis vexillo glorioſiſſi-
ma Mater JESU à SpirituSancto ejus paranympho & ab univerſa curia cœ-
leſti ad coronationem invitatur: *Veni de Libano, Sponſa mea, veni de Libano,* Cant. 4. 8
*veni: coronaberis*. Conſecrator & Summus Ponifex erit ipſe Pater æternus,
ad quem Filius, aſſiſtente Spiritu Sancto SS. Matrem ſuam manu apprehen-
ſam adducit, nunc in Reginam & Imperatricem omnium Angelorum & ho-
minum inaugurandam & coronandam: *Poſtulamus*, inquid, *Reverendiſſime*
*Pater! ut Conſortem, imò Matrem noſtram, nobis a te DEO conjunctam, be-*
*nedicere & coronâ Imperiali & cœleſti decorare dignemini, ad laudem & gloriam*
*Sacroſancti Nominis tui.* O quis dicet, quo affectu hæc beatiſſima & humil-
lima Virgo SS. Trinitatem adorârit, atque venerata ſit; quàm ſubmiſſas ei
pro tot donis gratias egerit, quantâ ſubmiſſione ejus S. voluntati ſe ſubjecerit?
Credo, SS. illam animam penitùs tunc eſſe liquefactam præ tanta dulcedi-
nis & inæſtimabilis gaudii magnitudine. Et quis animo comprehendat, quâ
charitate & affectu eam benedixerit Pater æternus: *Benedicta es tu Filia à*
*Domino DEO excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram. Benedictus Domi-* Judith. 13.
*nus, qui creavit cælum & terram, qui te direxit in vulnera capitis inimicorum no-* 23.
*ſtrorum: qui hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore*
*hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non peper-*
*ciſti animæ tuæ, propter anguſtias & tribulationem generis tui, ſed ſubveniſti rui-*
*næ ante conſpectum DEI.* Hæc cùm quondam Ozias Princeps populi Iſrael
ad Juditham glorioſam illam Victricem dixiſſet, omnis populus levavit vo-
cem ſuam: *Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.* Credo, & firmiter mihi per-
ſuadeo, totam quoque cœleſtem curiam Auguſtiſſimæ Imperatrici ſuæ hic
acclamâſſe: *Fiat, fiat. Univerſi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam:*
*Benedixit te Dominus in virtute ſua, quia per te ad nihilum redegit inimicos no-*
*ſtros.* Tum atteſtante Regio Vate cœleſtis Pater eam oleo ſupernæ unctio-
nis inunxit: *Dilexiſti Juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus,* Pſal. 44. 8.
*Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis;* Cui & coronam gloriæ impoſuit:
*Et poſuit diadema regni in capite ejus;* Sceptrúmque potentiæ porexit in ma- Eſther 2. 17.
nu: *Accipe virgam virtutis & veritatis, & eſto pauperibus miſericors & affabi-*
*lis; Viduis, pupillis & orphanis diligentiſſimam curam exhibeas.* Denique in
veſtitu deaurato circumdata varietate collocata eſt in throno Regina univer-
ſorum: *Poſitus eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus.* O pien- 3. Reg. 2 19.
tiſſima Domina! inter tot cæleſtium Spirituum & ſupernorum civium ex-
ultantium applauſus aggratulamur & nos tibi miſelli, ſervi & ſubditi animi- Luc. 10. 24.
tùs; verè Domina, *optimam partem elegiſti, quæ non auferetur à te in æternum;*
ſed, memento, obſecro, quia propter nos ad tantam dignitatem evecta es;
*Succurre ergo miſeris, juva puſillanimes*, &c.

6. Tandem coronatâ Reginâ & in throno regio locata, ſolent venire Illuſtres, Nobiles, ſubditi & vaſalli, homagium ei præſtantes, & fidelitatem pollicentes. O ſi vidiſſes, anime mi! omnes Angelorum choros & Beatorum ordines, quâ ſubmiſſione & hyperduliæ cultu hanc ſuam SS. ac potentiſſimam Reginam adorârint, omnémque ei promiſerint fidelitatem! inter quos ultimi erant viginti quatuor illi Reges ac Seniores, qui omni ſubmiſſionis affectu: *Mittebant coronas ſuas ante thronum.* Per quem thronum Petrus Cluniacenſis SS. Deiparam intelligit, quam *totius Deitatis ſolium* appellat? & S. Bonaventura eam vocat *thronum gratiæ Dei.* Juvat hîc audire V. P. Antonium Spinellum: „Et quoniam (inquit) hi Seniores ab ea tot beneficia ſunt conſecuti, quibus olim victores fuerunt, nunc autem coronati exiſtunt: idcirco venerabundi non tantùm Virginis gloriæ ac felicitati gratulantur, & „plaudunt; ſed etiam venerabundi ipſam Virginem adorantes, ſecundùm „Deum, eidem gratias agunt immortales, ſuóſque triumphos acceptos ei „etiam referunt, idque apertè teſtantur, ac profitentur, cùm coronas ſuas „ante Deum & ante Thronum, hoc eſt, Virginem ponunt.

Apoc. 4. 10. Petr. Cluniac. lib. v. epiſt. 1. Anton. Spin Soc. Jeſ in Thron. Deip cap. 17. fol. 110.

Et nos quid agimus, Sodales Mariani, in communi hac omnium Cœlitum Sereniſſimæ Reginæ ſuæ recens à SS. Trinitate coronatæ aggratulantium, & applaudentium lætitiâ? Omnes viæ ac plateæ ex puriſſimo auro & lapide pretioſo in cœlo conſtructæ jucundis perſonant laudibus & plauſibus; omnia MARIÆ laudem prædicant: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei*, &c. Et nos quid agimus? „Adamus & Eva, (ait S. Damaſcenus), noſtri generis „auctores exultantibus labiis altè exclamârunt: Beata tu Filia, quæ violati „mandati pœnas nobis ſuſtuliſti: Tu mortali corpore à nobis accepto, im„mortalitatis indumentum nobis peperiſti: Tu cum à lumbis noſtris ortum „accepiſſes, beatitudinem nobis rependiſti, dolores deleviſti, mortis faſcinas „perfregiſti; ad veterem ſedem quaſi poſtlimio nos revocâſti: nos paradiſum „clauſimus, tu ligni vitæ iter patefeciſti; ex lætis triſtitia noſtrâ culpâ vene„runt, ex triſtibus contra lætiora per te redierunt: Tu vitæ fons, & cœli ſca„la; verè inter mulieres beata es, atque adeò beatiſſima. Et nos quid agimus? *Surrexerunt & filii ejus*, hoc eſt, Sancti omnes (cuncti enim ſunt filii MARIÆ) *& beatiſſimam prædicaverunt*, & nos quid agimus? O Domina totius univerſi! ô Sereniſſima Regina! congratulamur & nos tibi in unum, licet miſelli, licet à patria extorres, licet millenis preſſi miſeriis; Mater noſtra es, & poſt DEUM ſpes unica ſalutis noſtræ, O Domina! converte ad nos miſericordes tuos ac maternos oculos, & poſt hanc lachrimarum vallem oſtende nobis JESUM, benedictum fructum ventris tui,

Apoc. 18. 7. S. Joan. Damaſcen. de Dormit. V. orat. 2. Proverb. 31. 28.

CON-

# CONSIDERATIO LXV.

## De cultu, quem Magnæ DEI Matri debemus, ejusque potentiſſimo in cœlis patrocinio.




Et ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat Matrem ſuam. *Eccleſ.* 3. 5.

1. QUemadmodum canes ſolent allatrare lunam, ita hæretici MARIAM, quæ *pulchra eſt ut luna.* Novi præconem hæreticum, qui in publica concione pretioſiſſimam Deiparentem marſupio comparavit: Marſupium, inquiebat, dum auro turget, in honore habetur; aſt ubi aurum exemptum eſt, marſupium abjicitur; ita, repoſuit ille Mariomaſtix, MARIA honoranda eſt: quando Chriſto & Verbo gravida fuit, meritò ab Angelis ac hominibus ut Mater DEI honorari & coli potuit, ſed ubi Chriſtum in lucem Cant. 6. 9.

edidit, ampliùs curanda non eſt. Sed dic, obſecro Sodes! ſi ejuſmodi marſupium pretioſiſſimis intertextum fuiſſet gemmis ac margaritis, an illud abjeciſſes? Et quid pretioſius DEI Matre; quam ſplendor elegit, quam Angelus honorificentiſſimè ſalutavit: *Ave, gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*? Quare ergo tu eam contemnis, quam Angelus tantùm extollit? Quid peccavit in te *Mater illa pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & ſanctæ ſpei*? Si Chriſtus ejus gubernationi ultrò ſe ſubjecit: *Et erat ſubditus illi*: cur tu eam allatras impie? Et nunquid Chriſtus, cùm in hac mortali vita cum hominibus converſaretur, exactè Decalogum ſervavit? ergo & quartum præceptum ad amuſſim adimplevit; ergo honorificavit Matrem ſuam? quòd ſi ipſe DEI Filius eam tantopere coluit & amavit, túne illi omnem honorem neges? In quem finem pro corpore Emblematis noſtri Arcam DEI (Virginis typum) ſtatuimus, ad cujus conſpectum Dagon immundus à ſua ſede & ſolio in terram dejicitur, cum inſcripto à Divo Paulo mutuato:

Luc. 1. 28. Eccleſ. 24. 24. Luc. 2. 51. 1. Reg. 5. 3. Rom. 13. 7.

## Cui honorem, honorem.

Ita eſt, *cui timorem, timorem, cui honorem, honorem: Si quis,* ait veritas, *mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus:* Et quis magìs Chriſto miniſtravit, quàm SS. Mater ejus: quæ cum neque in cruce deſeruit; hinc meruit, ut à moriente Filio omnium Mater deſignaretur Chriſtianorum, & hoc jure & vi verbi Chriſti ad S. Joannem, tunc totam Eccleſiam (prout alibi diximus) repræſentantem: *Ecce Mater tua.* Audis hoc, hæretice? Si non vis agnoſcere MARIAM ùt Matrem, non habebis Chriſtum ùt Patrem, qui enim Matrem ſpernit, & Filium ſpernit: *Audi Fili mi diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ.*

Joan. 12. 26. Joan. 19. 27. Prov. 1. 8.

2. Salomon Regum ſapientiſſimus Bethſabeæ Matri ſuæ ad ſe ingredienti omni honoris ſigninificatione occurrit: *Surrexit Rex in occurſum ejus, adoravítque eam.* Quod ſi Salomon Matri ſuæ tantum impendit honoris, quanto magìs Chriſtus digniſſimam Matrem ſuam honorat in cœlis? *Qui dixit*, inquit Hippolitus, *Honora Patrem & Matrem, ut decretum à ſe promulgatum obſervaret, omnem gloriam Matri & honorem impendit.* Et tu, hæretice & tepide Chriſtiane! qualem SS. Matri Dei exhibes honorem?

3. Reg. 2. 19. Hippol. or. de Sanctificatione.

Holofernes belli Dux, ubi Bethuliam obſidione cinxit, mox aquæductum incidi juſſit, ut aquam ab urbe averteret, & ſic Judæos ſiti conficeret: *Porrò Holofernes, dum circuit per gyram, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte auſtrali extra civitatem dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum*, &c.

Judith. 7. 6.

En ſtratagema diaboli, qui tunc aquæductum incidit, cùm hominem Chriſtianum à cultu, amore & æſtimatione Magnæ DEI Matris avertit, ipſa enim per

Digitized by Google

per os Eccleſiaſtici de ſe ait: „Sicut aquæductus exivi de paradiſo, dixi, riga- Ecclef. 24.
„bo hortum meum, &c. Supra quod Cornelius: „B. Virgo, (inquit) quaſi 41.
„aquæductus excepit ſapientiam Divinam, ipſamque perſonam Verbi, ut Cornel. hic.
„eam pareret, & homines transfunderet. Hunc ergo myſticum aquæductum callidiſſimus generis humani hoſtis fideli animæ obſtruere nititur, ut eam exinde in ſuam redigat poteſtatem, ſignum enim probabiliſſimum eſt æternæ reprobationis, eſſe ſocordem & negligentem in cultu, amore & veneratione Magnæ Matris DEI; ſicut econtrario ſignum Divinæ prædeſtinationis eſt MARIÆ verè devotum. Optime Lector! inſpice cor tuum, an in illo hæc vera & ſincera erga SS. Deiparam reſideat devotio, quam ſi in te reperis, ô te felicem! en ſignum habes tuæ futuræ prædeſtinationis, *& in* Eccl. 6. 28.
*noviſſimis invenies requiem.*

3. Recordor hîc illius domûs Obededom, à Domino DEO quondam mirum in modum benedictæ, quia in ea Arca DEI trium menſium ſpatio inhabitaverat: *Et benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* Benedicta il- 2. Reg. 6.
la domus, benedicta illa familia, benedictus ille homo, in quo inhabitat 11.
hæc myſtica Arca Domini, volo dicere, pietas & devotio erga SS. DEI Matrem Mariam, quoniam omnium bonorum ubertate cœlitus replebitur, diligit enim Virgo diligentes ſe: „DEus (inquit Mellifluus) totius boni ple- S. Bernhard
„nitudinem poſuit in Maria, ut proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gra- ſerm. de Nat
„tiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare. B. V.

Jacob magnus ille Patriarcha, ubi quondam mirabilem illam ſcalam conſpicatus eſt à terra ad cœlum uſque pertingentem, & Angelos aſcendentes & deſcendentes per eam, ac denique ipſum cœli terræque Dominum huic ſcalæ innixum, attonitus exclamavit: *Verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei &* Geneſ. 28.
*porta cœli.* Supra quod Andreas Cretenſis; *O beatiſſima*, inquit, *tu es porta cœli,* 17.
*de qua Jacob dixit: Quam terribilis eſt locus iſte! vere non eſt hic aliud niſi domus DEI,* Andr. Cretenſ. or. 2.
*& porta cœli.* Et Divus Auguſtinus in perſona Virginis: *Porta facta ſum Filio* S. Aug in
*DEI.* Hinc & Eccleſia eam ſalutat: *Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli* ſerm 14. de
*porta manes.* O mortales omnes! quid agitis: En patet vobis cœli porta, cur Nat. Dom.
non intratis per eam? habetis & ſcalam Jacob, per quam uſque ad cœlum, plus dico, uſque ad conſpectum Altiſſimi poteſtatis pertingere: „Facta eſt,
„(ait ſanctus Fulgentius,) Maria ſcala cœleſtis, quia per ipſam homines aſ- S. Fulgent.
„cendere mereantur ad cœlos. de Laud. V.

4. De ſapientiſſimo Rege Solymæo perhibent Sacræ Paginæ, quòd thronum ſibi paraverit ex arbore candidiſſimo & auro fulvo nimis, ac tandem ſubjungit Scriprura: *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis.* Subintrat hîc Do- 3 Reg. 10.
ctor Seraphicus: *Thronus*, ait, *Salomonis eſt Maria, grandis omnino in gratia & in* 20.
*gloria.* O felices illi, qui ad hunc gratiarum thronum cauſas ſuas appel- S. Bonavent. in Spec. B.
lant, *Non enim eſt factum tale opus in univerſis regnis.* Ezechiel quon- V. cap. 2.

 dam

Digitized by Google

quondam vidit thronum ex pretioſiſſimis Saphiris conſtructum, & in eo hominem ſedentem, igne & mirabili ſplendore circumdatum: *Quaſi aſpectus lapidis Saphiri ſimilitudo Throni.* Saphirus, ait Plinius, cærulei & cœleſtis coloris eſt, aureis interſtinctus notis, ceu ſtellulis. *O B. Virgo*, ait Doctor Seraphicus, „tu es ille Thronus Saphirinus, ſuper firmamentum Angelicum elevatus. Homo in eo ſedens, & ingenti circumdatus ſplendore, Chriſtum præſignavit, qui novem menſium ſpatio in hoc pretioſiſſimo throno reſedit, quem & Magi in gremio Matris ſuæ ſedentem invenerunt: *Invenerunt*, inquit S. Chryſoſtomus, „Magi Puerum cum MARIA, quæ eum in ſuo gremio collocavit; unde & S. Ephrem eam ſalutat: *Ave Throne Creatoris mei glorioſiſſime*; Et S. Epiphanius: *Dico*, inquit, „illam eſſe cœlum, thronum ſimul & crucem, extendens enim ſanctas ulnas Dominum portavit; Thronus Cherubinus, cruciformis & cœleſtis, &c.

Ezech. 1. 26.
S. Bonavent. in Spec. B. V. cap. 11.
S. Chryſoſt. hom. 8. in Matth.
S. Ephrem. de Laud. V.
S. Epiphan. ſer. de Laud. Deiparæ.
Iſa. 6. 1.

Iſaias Prophetarum Princeps vidit aliquando „Dominum ſuper ſolium „excelſum & elevatum, & ante ſolium Dei adſtantes Seraphinos, qui „duabus aliis velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus. Vatablus & alii hîc legunt: „Duabus velabant facies ſuas, & duabus velabant pedes ſuos. Ad quid hoc? grande hîc latet myſterium: Velabant facies ſuas, prout eleganter exponit S. Chryſoſtomus, præ reverentia, non audentes aſpicere contra Dominum & ſolium ejus; velabant quoque pedes ſuos præ verecundia, quia in conſideratione tantæ dignitatis in perfectum viderunt oculi eorum, cujus imperfecti ſymbolum pedes eſſe ſolent; per ſolium autem S. Damaſcenus SS. Deiparam intelligit: *Tu*, inquit, „es ſolium illud regium, cui adſtiterunt Angeli Dominum & effectorem inſidentem cernentes.

S. Chryſoſt. ſerm. 4. de hac viſione.
S. Damaſc. orat. 2. de Dormit. V.

Ex quibus hactenus enarratis facilè colliges, quo cultu & veneratione, quo amore & reverentiâ SS. Virgo à fidelibus ſit colenda, quem cultum *SS. Patres* Hyperduliæ appellant. Certè Angeli Sereniſſimæ Reginæ ſuæ thronum, licet vacuum, præterire non audent, nec ſolent, niſi eidem capite inclinato, & poplite flexo reverentiam fecerint. Ubi, obſecro, ô Chriſtiani tepidi! eſt honor & amor noſter ergà talem ac tantam cœli terræque Reginam, omnium Angelorum hominúmque Imperatricem? Digniſſima Mater Dei eſt, & quid ultra requiris? An quid poſt DEum excellentius aut ſublimius eſſe poteſt? *Hoc ſolum*, ait S. Anſelmus, „de S. Virgine prædicari, quòd ſit Genitrix DEI, „excedit omnem altitudinem, quæ poſt DEum dici vel cogitari poteſt. O quàm beati ſunt illi ſervi ac Clientes Mariani, qui hanc piam Matrem dignè colunt, amant, ac venerantur; *qui illam*, ſunt verba S. Bonaventuræ, „dignè coluerit, juſtificabitur, & qui neglexerit illam, in peccatis morietur. Audis hæretice?

S. Anſelm. lib. de Excellent. Virg cap. 2.
S. Bonav. in Pſal. Virg.

5. Cæte-

Digitized by Google

5. Cæterùm inquirunt Sacrarum Litterarum Interpretes, utrùm Oza, Heli & Filii ejus Ophini & Phines æternum fuerint damnati? De Oza recenſet ſecundus Regum Liber, quòd, cùm Arcam labantem ſuſtentare vellet, ſubitaneâ morte fuerit caſtigatus: „Iratusque eſt indignatione Dominus „contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi juxta „Arcam DEI. De Heli Sacerdote ſacer textus commemorat, quòd audiens Arcam DEI à Philiſtæis eſſe captam, præ angore & pavore deficiente ſpiritu in ſella ſua retrorſum lapſus ſit, & fractis cervicibus expirârit: „Cumque „ille nominâſſet Arcam, cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis „cervicibus mortuus eſt. De Ophni & Phines, qui cum Arca DEI ad prælium contra Philiſtim profecti ſunt, refert idem Regum Liber: „Facta eſt „plaga magna nimis, & ceciderunt de Iſraël triginta millia peditum: duo „quoque filii Heli mortui ſunt Ophni & Phines. De his, inquam, quæritur, an æternùm fuerint damnati?

2. Reg. 6. 7.

1. Reg. 4. 18.

1. Reg. 4. 10.

De Oza cenſet Angelomus, Abulenſis, Dionyſius ac plures alii, eum temporali tantummodò morte fuiſſe caſtigatum, & ſic evaſiſſe æternam, item Heli in hac vita tam durè à DEO punitum, ut ei parceret in futura, duos autem filios Heli, licet priùs in officio ſuo adminiſtrando peccârint, nihiloſeciùs non in æternum à facie DEI eſſe rejectos, quia, prout benè obſervat Juſtinus Micchovienſis & alii, in vita ſua ut plurimùm circa cultum & religionem Arcæ fœderis erant occupati, Arca autem illa B. Virginem & DEI Genitricem MARIAM præfigurabat: „Maria (ait S. Ildephonſus) Ar„ca dicitur novi Teſtamenti, in qua verus DEUS verſatus non in figura & in ænigmate, ſed in veritate.

Interpretes hîc.

Juſtin. Miechovienſ. in Lit. B. V. S. Ildephonſ. ſerm. 1. de Aſſumpt. B. V.

Erat autem illa Arca populo Iſraëlitico in omni neceſſitate commune aſylum & unicum refugium: *Arca* ait S. Athanaſius, *ſufficiebat illis pro quavis acie in ſubſidium.* Plùs MARIA, Arca DEI animata, ſuis prodeſt cultoribus ac clientibus: *Equidem vir mortis es*, dicebat quondam Salomon ad Abiathar, *ſed hodie te non interficiam, quia portâſti Arcam Domini.* Idem tibi eveniet, anime mi! non interficieris, non reprobaberis, non damnaberis æternùm, ſi hanc myſticam Arcam MARIAM devotè colueris: audi ipſam B. Virginem ad S. Birgittam loquentem: „Nullus (inquiebat) in vita hac eſt tam frigi„dus ab amore Divino, quin, ſi invocaverit Nomen meum cum integro „propoſito pœnitendi, ſtatim ab ipſo diabolus recedat.

S. Athanaſ. lib. de Interpret.

Pſal. ad Marcell.

3. Reg. 2. 26.

Revel. lib. 1. cap. 9.

6. Ficus illa per plures annos infructuoſa, cùm nunc juſſu Domini è terra deberet exſcindi, & in ignem mitti: *Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Adhuc patronum ſuum invenit: *Domine! dimitte illam & hoc anno*, &c. En tui typum, anime mi! quòd hactenus non velut arbor infructuoſa fueris ſucciſus, & igni infernali traditus, B. Virgini gratias age, quæ

Luc. 13. 7.

Digitized by Google

Cæſarius lib 7. Miracul. cap. 1. quæ te filium prodigum hucusque tanquam benigna Mater conſervavit, quia fortè pauculas ei preces dixiſti: *Ipſa*, inquit Cæſarius, *eſt orbis conſervatrix, & tribulatorum conſolatrix, fida ſibi famulantium defenſatrix; per ipſam peccatores illuminantur, deſperati ad confeſſionem reparantur*, &c.

Ezech. 22. 30. Ezechiel olim conqueſtus eſt, quod non eſſet vir, qui apud DEUM pro terra ſe interponeret, ne diſſiparet eam: *Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni.* DEO T. O. M. infinitæ ſint laudes, habemus nunc in cœlo Mulierem, quæ apud DEUM & Judicem Chriſtum ſeſe pro noſtra cauſa interponit. O Sacratiſſima Virgo! tu es mulier illa fortis, quæ omnipotenti Numini manus ligas, ne ſecundùm noſtra nos puniat demerita: *Non eſt*, Iſa. 64. 7. dicebar quondam cum gemitu Iſaias Propheta, *qui conſurgat, & teneat te.* Sed S. Bonavent Opuſc. de Spec. B. V. tu, ſubintrat hîc S. Bonaventura, *ô B. Virgo, detines Filium, ne peccatores percutiat.* Rebecca mediatrix facta eſt inter Iſaac & Jacob, Thecuitis inter David & Abſalon, Eſther inter Aſſuerum & Mardochæum, Abigail inter David & Nabal; verùm tu, ô Sanctiſſima, ô mitiſſima Virgo, facta es Mediatrix inter DEUM & Hominem, inter Chriſtum Judicem & peccatorem; proinde rectè concludimus, quod olim Ægyptii fame preſſi ad Jo- Geneſ. 47. 25. ſeph Pro-Regem dixerunt: *Salus noſtra in manu tua eſt*: Ita inquit Richardus à Rich. à S. Laurent. lib. 3. 1. p. de Virg. S. Laurentio: *Salus noſtra in manu MARIÆ eſt.*

7. Et quid eſt, quod ab hac Sacratiſſima Virgine non poſſumus ſperare? Amat nos, quia Mater Chriſti eſt, Chriſtus autem eſt frater noſter, ergo & MARIA eſt Mater noſtra, quia os noſtrum, & caro noſtra eſt, ducens à primis generis humani progenitoribus ſuam, prout nos, originem: B. Damian. ſerm. 1. de Nativ. *Scio Domina*, inquit B. Petrus Damianus, *quia benigniſſima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Filius tuus & DEUS tuus ſumma dilectione dilexit.* Et ſi Eſther Mulier illa ſancta populum ac genus ſuum tantùm adamavit, ut non vocata ad Regem Aſſuerum intraret, tradens ſe ultrò mortis periculo, ut populum ſuum ſalvaret, & ab interiru liberaret: *Dona mihi animam* Eſther 7. 3. *meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro.* Quantò magìs dilexit nos in terra, & etiamnum in cœlo nos diligit pretioſiſſima Virgo, attendens, quam nobiſcum habet, affinitatem; proinde non ceſſat pro miſeriis noſtris apud benedictum Filium ſuum ſupplicare. Meritò ergo illi dicere poſſumus, quod quondam Juditham cives Bethulienſes in anguſtiis conſti- Judith. 8. 29. tuti dicebant: *Ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es.* Et quid vos ad hoc hæretici?

Sperate adhæc in ejus potentiſſimo patrocinio poſſumus, quia Deo gratior eſt ac magìs chara, quàm omnes ſimul creaturæ, Mater enim DEI eſt, abyſſus gratiarum & miſericordiarum Oceanus, illi ſervi ſunt. Hinc eſt, quòd

Digitized by Google

quòd Sancti & Beati omnes in cœlo illam tanquam Reginam maximâ proſe-
quantur reverentiâ & amore juxta illud Davidis: *Vultum tuum deprecabuntur* Pſalm. 44.
*omnes divites plebis.* Et ſi Job olim de ſe dicebat: „Quia ab infantia mea crevit 13.
„mecum miſeratio,& de utero Matris egreſſa eſt mecum; longè meliori ju- Job. 31. 18.
re de hac Sacratiſſima Deipara aſſerere poſſumus,miſericordiam cùm illa à
primis vitæ annis in noſtri commodum verè maximum creviſſe; hinc re-
ctè ab Eccleſia nuncupatur *Mater miſericordiæ*, de qua & Salomon: *Lex cle-* Proverb. 31.
*mentiæ in lingua ejus.* 26.

Sperare inſuper in ejus interceſſione poſſumus,quia potens eſt, „fecit enim
„illi magna,qui potens eſt,& ſanctum Nomen ejus. Potens,inquam, eſt, quia Luc. 1. 49.
de ſe ipſa ait: *In Jeruſalem poteſtas mea;* ſubaudi hîc per Jeruſalem non militan- Eccleſ. 24.
tem duntaxat Eccleſiam,ſed & triumphantem, in qua potentiſſima Mater 15.
Creatoris plenariam videtur habere poteſtatē,quia Mater Dei eſt. Ita Doctor
Seraphicus: „Quia Dominus potentiſſimus tecū eſt,ideò & tu es potentiſſi- S. Bonavent.
„ma ſecum,potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum, ita ut verè in Spec. B.
„dicere poſſis illud: In Jeruſalē poteſtas mea. O mortales omnes! ad quid V. cap. 8.
moras trahitis? Ite,ite ad hanc potentiſſimā,juxta ac clementiſſimā Reginā,
imò & Matrem veſtram. *Ite ad Joſeph*,dicebat quondam Pharao preſſis fame Geneſ. 41.
ſubditis: & Chriſtus: Ite ad Matrem meam: *Ecce Mater veſtra*: *Quid vis*, dicebat 55.
quondam Aſſuerus Rex, „Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidi- Eſther. 5. 3.
„am partē regni mei petieris,dabitur tibi. Et Maria totius univerſi Domina
minus poſſit apud Deum & Filium ſuum, quàm quondam Eſther apud Aſ-
ſuerum? *Quis*,ait Mellifluus, „miſericordiæ tuæ ô Benedicta, longitudinem S. Bernhard.
„& latitudinē,ſublimitatē & profundum queat inveſtigare? nam longitudo ſerm. 1. de
„ejus uſque in diē noviſſimā invocantibus eam ſubvenit univerſis;latitudo Aſſumpt.
„ejus replet orbē terrarū,ut tuâ quoq; miſericordiâ plena ſit omnis terra: ſic &
„ſublimitas ejus civitatis ſupernæ invenit reſtaurationē, & profundū ejus ſe-
„dentibus in tenebris & umbra mortis obtinuit redemptionem.

8. Et quid dico ulteriùs de hac clementiſſima cœli terræque Regina: lau-
dent alii,per me licet,officioſam Rebeccam;puellam decoram nimis, juxta
ac miſericordem,quæ ſeniorem Abrahami ſervū ex itinere feſſum,ac ſitibun-
dum cum comitibus ac camelis in æſtu frigidâ recreavit: „Quæ reſpondit: Geneſ. 24.
„Bibe Domine mi,celeriterq; depoſuit hydriā ſuper ulnam ſuā,& dedit ei po- 18.
„tū. Extollant alii piā illam Sunamitidē,quæ Eliſæū Prophetam, iter agentē,
benignè excepit,nutrivit,lectulum ſtravit,menſam, cellulam, & candelabrū
paravit: „Tranſibat Eliſæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ 4. Reg. 4. 8.
„tenuit eum,ut comederet panem,&c. Comendent alii Tabitham viduis &
pupillis amabilē,& operibus charitatis ac miſericordiæ conſpicuam, quā Pe-
trus Apoſtolus in ſolatium pauperum à mortuis reſuſcitavit: „Circumſte- Actor. 9. 39.
„terunt illum omnes viduæ flentes,& oſtendentes ei tunicas & veſtes,quas fa-



Digitized by Google

Hugo Card. de Laud. B. V. Revel. S. Birg. lib. 3. cap. 30.

„ciebat illis. Ego autem ſuper omnia comẽdo, & extollo miſericordiæ Matrem Mariam: *Non poteſt eſſe*, ait Hugo Cardinalis, *tanta peccatoris miſeria, quin major ſit Virginis miſericordia.* Juvat hîc pro ſolatio noſtro audire S. Agnetem V. ita quondam ad S. Birgittam loquentem: „Habuit Maria latitudinem excedentem, hoc eſt, miſericordiam; nam ſic pia & miſericos fuit & eſt, „& maluit omnes tribulationes ſufferre, quàm quòd animæ non redimerentur; nunc autem conjuncta Filio non obliviſcitur innatæ bonitatis ſuæ, ſed „ad omnes extendit miſericordiam ſuam, etiam ad peſſimos, ut ſicut ſole „illuminantur & inflãmantur cœleſtia & terreſtria, ſic ex dulcedine Mariæ „nullus eſt, qui non per eam, ſi petitur, ſentiat pietatem.

Luc. 15. 6.

S. Jacob. in Liturgia.

S. Bernhard. ſerm. 4. de advent.

Quid igitur reſtat, niſi ut huic SS. Virgini & Dominæ noſtræ ex animo congratulemur? Si paſtor ille, qui ovem perditam invenit, & Mulier illa, quæ amiſſam drachmam reperit, amicos ſuos invitârunt, ut ſibi congratularentur, quia id invenerunt, quod tantopere deſideraverant; quantò magis congragulemur nos clientes Sacratiſſimæ Matri & Advocatæ noſtræ, quia invenit gratiam apud Deum non pro ſe duntaxat, ſed & pro genere humano univerſo; hinc rectè S. Jacobus in Liturgia: „Tibi, ô plena gratiâ, univerſa creatura gratulatur, Angelorum cætus & hominum genus. Finio cum Mellifluo: „Fac, ô Benedicta, per gratiam, quam inveniſti, ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps humilitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente „participes nos faciat beatitudinis & gloriæ ſuæ JEſus Chriſtus Filius „tuus Dominus noſter, qui cum „Patre, &c.

CON-

# CONSIDERATIO LXVI.

## Præcipuus cultus B. Virgini ac Matri Doloroſæ impenſus, eſt ſedula ejus virtutum imitatio.




Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

1. *Cor*. 4. 16.

1. QUantorum prodigiorum operatrix fuerit virga illa, ſeu baculus paſtoralis, quo Moyſes quondam paſcebat, & minabat oves Jethro, ſatis abundè Sacræ declarant Paginæ. Per hanc virgam, tot portenta coram Pharaone & ſervis ejus in Ægypto fecit, Nilúmque & omnes aquas in ſanguinem vertit: *Ecce percutiam virgâ, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis; & vertetur in ſanguinem.* Exod. 7. 17. Per eandem mare rubrum diviſit, & ſicco pede ac veſtigio populum Iſraeliticum in Paleſtinam traduxit: „Tu autem Exod. 14. 16.

„eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare,& divide illud,ut „gradiantur filii Iſrael in medio mari per ſiccum. Cùm idem electus Dei populus non haberet, quo ſitim in terra deſerta, invia & inaquoſa cum jumentis reſtingueret; ope ejusdem virgæ largiſſimas aquas produxit: *Percuſſit Petram, & fluxerunt aquæ.* Percuſſit autem Moyſes hanc petram bina vice: Cumque elevâſſet Moyſes manum, percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ „largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta. Supra quod S. Auguſtinus: „Percuſſa, (inquit,) eſt petra de virga bis, gemina percuſſio duo ligna crucis „ſignificat. Verùm Richardus à S. Laurentio per eandem virgam rectè SS. Virginem Deiparam intelligit: „Hæc (inquit) eſt virga Moyſis, per quam „fecit ſigna in Ægypto, & ad quam in omni neceſſitate recurrebat; cui prodigioſæ virgæ mare rubrum dividenti, & viam ad terram deſiderabilem populo aperienti, ac monſtranti, recte pro Lemmate inſcribes:

Pſalm. 77. 20. Num. 20. 11. S. Aug. Tr. 26. in Joan. Richard. à S. Laur. lib. 12. de Laud. B. V.

## Illuc iter, quò oſtendam.

Ita eſt: *Illuc iter, quò oſtendam*, quò enim præibant Chriſtus & SS. Mater ejus, oportet, ut & nos ſequamur veſtigia eorum: „Chriſtus, (ait S. Petrus) „paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Populus ille Hebraicus, cum exiret de terra Ægypti, non duntaxat hanc Ducem, virgam Moſaicam, ſed & columnam nubis per diem, & ignis per noctem ſequebatur: „Dominus autem præcedebat eos ad oſtendandam „viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut Dux „eſſet itineris utroque tempore. Per hanc columnam nubis & ignis S. Epiphanius & B. Virginem ſubaudit: *Nubes levis*, inquit, *in quam Dominus aſcendit, MARIA eſt*, protegens nos ab æſtu Divini Juſtitiæ Solis, quæ nubes eſt, de qua & Iſaias vaticinatus eſt: *Ecce Dominus aſcendit ſuper nubem levem.* Sed & columna ignis eſt MARIA de nocte nos illuminans, per quam noctem rectè ingruentem mortem intelligimus: *Venit nox*, ait Veritas, *quando nemo poteſt operari*, O Quàm beati tunc erimus, Clientes Mariani! ſi tunc nobis hæc myſtica columna nubis & ignis micans meritis & lucens exemplis ad æternam beatitudinem monſtrabit viam: *Illuc iter, quò oſtendam.*

1. Petr. 2. 21. Exod. 13. 21. S. Epiphan. orat. de Laud. V. Iſa. 19. 1. Joan. 9. 4.

2. Cùm quondam DEUS Moyſen populi Ducem ac Legiferum exactè docuiſſet, quomodo arcam & propitiatorium cum duobus Cherubinis fabricaret, tandem illi formam tabernaculi cum ſuis vaſis ac ſupellectile præſcripſit, ubi in fine ſubjunxit: *Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt* videlicet in monte Sina, ubi Moyſes 40. diebus cum DEO commoratus multa arcana vidit, & didicit, ut juxta ideam & exemplar ibi conſpectum embularet, & faceret.

Exod. 25. 40.

Soda-

Sodalis Marianæ! tibi non ſolum in exemplar proponitur Chriſtus in
monte Calvariæ cruci affixus, ſed & doloroſa Mater ejus MARIA ſtans juxta
crucem *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.*
Inſpice in ea exemplar ſummæ obedientiæ, fidei, ſpei, charitatis, patientiæ
fortitudinis, perſeverantiæ, humilitatis, paupertatis, puritatis, contemptus
mundi, omniúmque virtutum; neque ſufficit hanc ideam inſpicere ſolum,
ſed neceſse eſt, ſi illam dignè colis, & verè amas, in virtutes illius, ſaltem S. Bernhard
quantum potes, imiteris: *Ut impetres*, inquit Mellifluus, *ejus orationis ſuffra-* hom. 2. ſuper miſſus
*gium, non deſeras converſationis exemplum*; & S. Auguſtinus: *Summa* ait, *religio* eſt.
*eſt, imitari quod colimus.* S. Auguſtin. ſerm. de SS.

Fideliſſimus ille armiger Jonatham Dominum ſuum per præaltos ac præ-
ruptos petrarum ſcopulos contendentem ſine mora ſecutus eſt, & individuus
ei comes in cruento prælio adhæſit: *Dixitque ei armiger ſuus, perge, quo cupis,* 1. Reg. 14.
*& ero tecum, ubicunque volueris.* Ethai vir in paucis egregius Davidem Re- 7.
gem ſuum à facie Abſolonis fugientem generoſo ſectabatur animo: „vivit 2. Reg. 15.
„Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fue- 21.
„ris Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi ſervus tuus. Abimele- Judic. 9. 48.
chum ſocii in omni periculo ſecuti, ejúſque mores imitati ſunt: „Et arreptâ
, ſecuri, præcidit arboris ramum, impoſitúmque ferens humero dixit ad ſo-
„cios: Quod me videtis facite, citò facite: igitur certatim ramos de arbo-
ribus præcidentes, ſequebantur, Ducem, &c.

Agedum Cliens Mariane! aſcendamus & nos in montem, & hunc Cal-
varium, atque inſpiciamus exemplar, quod à Crucifixo & Crucifixi Matre
ibi nobis monſtratum eſt. Conſideremus cumprimis fidem doloroſæ Matris,
quam ſtans ad crucis radicem in ſummo luctu publicè & inſpectante ferè or-
be terrarum, profeſſa eſt, hunc nimirum in maledicto ligno pendentem ho-
minem, vulneratum, pladatum, cruentatum, & pecudi excoriatæ, quàm ho-
mini ſimiliorem, DEI & ſuum eſſe Filium, *Deum verum de DEO vero*, &c. Vide Matth. 26.
econtrario vacillantem Petri fidem à minimo ventulo concuſſam; ſtat inte- 70.
rim Virgo immota, ubi terra contremiſcit, ſaxa diſſiliunt, & ad ruinam in-
clinant omnia; ſtat, inquam, firmiùs credens, & ſperans, quam Abraham
aut ullus hominum; proinde meritò de illa dicere poteris, quod olim de di-
cto Abrahamo: *Contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret Mater multarum gentium.* Rom. 4. 18.

Quid de obedientia & reſignatione in Divinam voluntatem hujus dolo-
roſæ Virginis ennarro? Per unicum illud FIAT in Verbi incarnatione juxta S. Bernhar-
mentem S. Bernhardini Senenſis plus promeruit, quàm omnes homines ſuis din ſerm. 15
actibus, ratio eſt, quia per illum actum dignitatem Matris DEI ſaltem de con- de Feſt. B. V.
gruo, prout Scholæ loquuntur, meruit, quæ major eſt, quàm ſi univerſi hu-
jus mundi regimen ei fuiſſet commiſſum. Accedit, quòd per illud FIAT
in omnem Filii paſſionem pro ſalute mundi perferendam aſſenſa fuerit; un-

de ejus obedientia & reſignatio longè major, quàm Abrahami extitit, dum
Geneſ. 22. 9. ille Filium ſuum ſuper ſtruem lignorum DEO T. O. M. in holocauſtum im-
molare voluit, hæc autem actu digniſſimum Filium ſuum Patri æterno pro
redemptione mundi in acceptabile Sacrificium obtulit. Diſce hìc, anime mi,
etiam in rebus arduis DEO ac Superioribus obedire; vide, & conſidera, quo
Eſther 1. 12. modo inobedientia Vaſthi Reginæ cunctis fuerit offendiculo, obedientia au-
Proverb. 31. 21. tem doloroſæ Matris omnibus ſit exemplo. Diſce & firmam ſæpius in
DEUM excitare fidem, quam bona comitentur opera, nam *domeſtici ejus ve-*
Richard. à S. Laurent. lib. 2. p. 1. S. Bernhardin. Tom. 2. ſerm. 51. *ſtiti ſunt duplicibus*, ſupra quod Richardus à S. Laurentio: *Veſtes ſervorum MA-*
*RIÆ ſunt fides & operatio. Fides veſtis interior, quæ ornat animam in oculis DEI; ope-*
*ratio exterior, quæ coram hominibus nos Chriſto patienti ſimiles facit.* Diſce ulteriùs
te in omnibus Divinæ comittere voluntati: *Intemerata Virgo*, ait citatus S.
Bernhardinus, *ſemper habuit continuum aſpectum ad DEI beneplacitum promptúmque*
*conſenſum.* Fac hoc & tu & vives.

3. Et quid dico de immenſa hujus SS. ac doloroſæ Virginis in DEUM
& proximum charitate? Voluit quondam DEUS, ut arca Veteris Teſta-
Exod. 25. 11. menti fóris & intus aureis laminis velaretur: „Et deaurabis eam auro mun-
„diſſimo intus & foris, faciésque ſupra coronam auream per circuitum.
Exod. 25. 24. Menſa illa panum propoſitionis ex nitidiſſimo auro erat fabricata: *Et inaura-*
Exod. 25. 17. *bis eam auro puriſſimo.* &c. Propitiatorium pari ratione ex pretioſiſſimo auro
erat præparatum: *Facies & propitiatorium de auro mundiſſimo.* Regale illud ſoli-
3. Reg. 10. 18. um ſapientiſſimi Solymæorum Regis ſimili obryzo micabat auro: *Fecit etiam*
*Rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtivit eum auro fulvo nimis.* Candela-
Exod. 25. 31. brum illud ſepticeps in templo quondam aſſervatum, ex auro ſpecioſiſſimo
erat conſtructum: *Facies & candelabrum ductile de auro mundiſſimo*, &c.

Omnia hæc contingebant illis in figura, nobis autem Chriſticolis non a-
liud præfigurabant, quam ſanctiſſimam & intemeratam DEI Genitricem
Mariam, verè auream Matrem noſtram, quia per aurum amor deſignatur, ipſa
Eccleſ. 24. 24. autem eſt *Mater pulchræ dilectionis.* Arca fuit, quia in ſe Divinum continebat
Cant. 2. 4. manna, & quidem tota aurea, quippe charitate in DEUM proxima plenaſ
proin rectiſſimè illud ſibi uſurpare poterat: *Ordinavit in me charitatem.* Menſa
panum propoſitionis erat omni puritate nitidiſſima, & auro puriſſimo (fer-
ventiſſima ſcilicet chatitate) fulgida, nobis exhibens & ſubminiſtrans Panem
vitæ & Angelorum. Propitiatorium erat aureum, quod peculiariter amo-
rem Virginis doloroſæ in genus humanum ardentiſſimum præſignavit, quia
1. Joan. 2. 2. pro peccatis noſtris Filius ejus *propitiatio* factus eſt, ipſa, prout loquitur S. E-
S. Ephrem. or. de Laud. Virg. phrem: *Propitiatorium univerſæ terræ.* Erat & thronus veri ac pacifici Salomo-
nis ex puriſſimo virginitatis ebore elaboratus, & fulgido charitatis auro veſti-
Matth. 12. 42. tus, quia in hoc regali ſolio Chriſtus, *Qui plùs eſt quàm Salomon*, requievit. Cande-
labrum denique ductile erat omnibus charitatis face in vita prælucens, at tunc

præ-

Digitized by Google

præſertim, *ubi tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*, ubi ſol, mundi oculus Matth. 27. 45.
oculos ſuos avertit,ne Dominum ſuum cerneret morientem; tu,ô pretioſiſſima Virgo! tanquam lucerna fulgens,non ſub modio,ſed ſuper montem Calvarium poſita,tuarum ſplendore virtutum univerſo orbi in maligno poſito præluxiſti. O charitas immenſa! quam nec flumina,nec perſecutionum fluctus,nec totus cruentiſſimæ paſſionis Oceanus poterant obruere: „Et quod P. Drexel.
„maximas huic amori faces ſubdit,ait V.P.Drexelius, Vidit & audivit Filium Opuſc. 13.
„in cruenta trabe & preces & lacrymas pro inimicis,pro irroſoribus, pro par- cap. 1. §. 2.
„ricidis fundere. Nec ulla Mater felicius imitata eſt Filium,quàm hæc Divi-„na, plùs quàm Paulus, qui optabat ipſe anathema eſſe pro fratribus ſuis; Chriſtus autem re ipſa in cruce maledictum pro nobis factus eſt, & doloroſa Mater ejus ſtans ſub cruce probroſiſſima maledicta & infamis Mater paſſim audiebat. O anime mi! diſce hîc,quo charitatis fervore in Deum & proximum flagrare debeas? *Non quærens*,inquit Apoſtolus,*quod tibi utile eſt, ſed quod multis,ut ſalvi fiant*,& Dilectus Chriſti Diſcipulus: „Qui non diligit, 1. Cor. 13. 5.
„manet in morte,&c. 1. Jon. 3. 14.

4. Vis,ut de hac doloroſa Virgine plura agglomerem argumenta? Audi & auribus percipe,imò ſtylo ferreo pectori tuo inſcribe. Hæret anceps Joſephi animus,& jam meditatur abitum: *Voluit occultè dimittere eam*; quid ad Matth. 1. 19.
hoc humilis Virgo? Silet & rem totam Divinæ comittit Providentiæ. Iminet partus,offertur non aliud quàm pecudum hoſpitium: „Non erat eis lo- Luc. 2. 7.
„cus in diverſorio. Silet iterum mitiſſima Virgo, & patientiſſimè rerum omnium ſuffert penuriam. Adeſt dies primæ ſanguinis effuſioni deſtinata: Luc. 2. 21.
„Ut circumcideretur Puer. Simeon prædicit acerbiſſimum doloris gladium & crucem: „ Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum Luc. 2. 34.
„in Iſrael,& tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Herodes minatur Matth. 2. 16.
Puero mortem & interitum; ſequitur fuga in Ægyptum & per ſeptem annos exilium, ſilet tamen patientiſſima Mater,& æquo animo omnia ſuſtinet adverſa. Et nunquid tunc Angelo,prout obſervat S. Joannes Chryſoſto- S. Joan. Chryſoſt. hom 8. in Matth.
mus,dicere poterat: „Incerta iſta res eſt,ac prorſus ambigua: Tu paulò an-„tè dicebas,quia ſalvabit populũ ſuum,& nunc ſeipſum quidẽ non poteſt de „periculis liberare,ſed fuga nobis eſt neceſſaria, & peregrinatio ac trans-„migratio longinqua. Contraria omnino ſunt facta promiſſis,&c. Verùm nihil horum oppoſuit prudentiſſima Virgo,non ignorans, alia humana & vana,& alia Divina eſſe judicia; proinde cum omni reſignatione, non obſtantibus quibuſcunque difficultatibus,Divinam amplexa eſt voluntatem.

Progredior ulteriùs. Perditur in templo Filius duodennis,quem per tridu- Luc. 2. 44.
um non ſine lacrymis quærit: Joannes Baptiſta innocentiſſima per impium Marc. 6. 27.
gladium occumbit victima: O quàm triſtia & infauſta hæc Divinæ Matri de cæde conſanguinei ſui fuerunt nuntia! Joſeph caſtiſſimus maritus infirmatur



Digitized by Google

S. Bernhardin. Tom. 3. art 2. c. 3. p. 492. ad mortem, & extremum Sponſæ Virgineæ vale dicit: *Adfuit*, ait S. Bernhardinus, *morienti Jeſus & Maria*. Videt pientiſſima Mater, quod Filius per ſuam doctrinam & tot miracula non referret niſi convitia, contemptus, irriſiones, minas, calumnias & lapides, &c. Matth. 13. 55. Marc. 6. 4. „Nonne hic eſt fabri Filius, nonne Mater „ejus dicitur Maria? Et ſcandalizabantur in illo. Quæ tamen omnia manſuetiſſima Virgo incredibili morum ſuavitate tolerat. Tandem dilectiſſimus Filius amantiſſimæ Matri valedicit mortem probroſiſſimam in infame crucis trabe ſubiturus; In horto humi proſtratus uſque ad mortem & ſanguinis effuſionem conanguſtatur; Judas proditor peſſimus eum amicè ſalutando & oſculando in manus tradit peccatorum; capitur, & per torrentem Cedron protrahitur; cæditur impudenter in facie veridicus Salvator; velatur in facie, & multa percuſſione ac contumeliis per noctem oneratur; apud Præſidem Pilatum iniquiſſimè traducitur; ab Herode dementis inſtar albâ veſte amicitur; imperio Romani Judicis ad columnam vinctus atrociſſimè flagellatur; ſpineo & cruento ſerto coronatur; toto corpore laceratus innumeræ exponitur multitudini, acclamantibus omnibus: *Crucifige, crucifige eum*; crux graviſſima laſſis ejus humeris injicitur; ſub cruenta cruce ſubſidit humi; veſtis ei extrahitur, & loco ſolaminis amariſſimo potatur felle; clavis ferreis infami affigitur trabi; maledictus pendet in ligno, ut omnium mederetur vulneribus; moritur heu vitæ Author, ut nos peccato mortuos ad vitam revocaret æternam; mortuus crudeli lancea in pectore transfigitur; de cruce depoſitum afflictiſſima Mater materno gremio excipit. O pientiſſima! qualis tunc tibi erat ſenſus? Quis animus? Qualis mœror? Dicat, qui poteſt, ego hoc explicare non poſſum; & tamen in his omnibus afflictiſſima Matrum nullum impatientiæ aut indignationis edidit ſignum, nec ullam ſpirabat vindictam, nec hoſtibus malè precata eſt, ſed potiùs cum Luc. 23. 34. Filio oravit: *Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt.*

5. O anima Chriſtiana! da mihi talem Matrem, quæ in unico, ac unicè dilecto Filio talia ac tanta cogatur cernere, cujus tamen animus non contabeſcat mœrore ac dolore; & quomodo, oro, poſſibile fuit, Domina mea! tam immenſum exhaurire dolorum Oceanum? cauſam audi: Virgo hæc Sacratiſſima cum Divina voluntate ſemper erat conjunctiſſima; ô quoties in vitæ curriculo ac præſertim tempore paſſionis ſecum ingeminavit: „Ita Matth. 11. 26. „Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te: Ecce, ancilla Domini, fiat mihi ſe- Luc. 1. 38. „cundùm verbum tuum. Diſce hîc, quiſquis es, anime mi! imitari virtutes SS. Matris tuæ, fruſtrà enim eam Matrem tuam vocas, ſi degener es filius, non enim ſufficit, ſi obitur ejus feſta colas, ſi roſarium ſubinde aut certas ei preces dicas, ſi templa & peregrinationes ejus quandoque inviſas, ſi in Sabbato exiguam ſerves abſtinentiam, ſi ſacrum ejus ſcapulare aut cingulum mancipatûs (ut vocant) aut S. Monicæ geſtes, &c. Et interim de profectu &

imita-

Digitized by Google

imitatione virtutum ejus parùm ſolicitus impurā ac ſenſualem ducas vitam omnem ſalutis tuæ curam in potentiſſimum Virginis patrocinium rejciens, hoc, inquam, non ſufficit, cum SS. Deipara tales exigit cultores, qui virtutes Marianas non verbis ſed moribus ſuis exprimunt, *non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, æmulare igitur charismata meliora. Rebecca illa ubi ſponſum ſuum vidit tam humilem, in agro contemplantem, & ire peditem, mox de camelo ſuo deſcendit, & præ pudore pallio ſe cooperiens ad Iſaaci pedes ſe abjecit: *Conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo, &c.* En Sponſus tuus, anima Chriſtiana! candidus & rubicundus humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem crucis, & Divina Mater ejus infamis Nati infamis Mater ſub cruce facta eſt, hic noviſſimus virorum, hæc noviſſima Mulierum; & tu in alto ſedes camelo honorum, dignitatum, divitiarum, æſtimationum, ambitionū, deliciarum, voluptatum? Deſcende, deſcende, & humilia te. „Eſto vilis (ait S. Bernhardus) quantum potes, nunquam Chriſto vilior eris, ipſe ſiquidem „Rex Regum & Dominus dominantium viliſſimo pretio venalis exponebatur: ipſe à viliſſimo populo viliſſima patiebatur, ipſe viliſſimo loco tanquam latro cum latronibus neci famoſiſſimæ tradebatur, ipſe cum contemptiſſimis hominibus contemptiſſimè tractabatur; etenim tanquam malefactor bonus Dominus capitur, tanquam furioſus manſuetus vinculis adſtringitur, tanquam peſtifer Salvator accuſatur, tanquam homicida vita „hominum turpiſſimæ morti addicitur & damnatur, tanquam leproſus & „immundus mundator criminum extra mœnia ejicitur, tanquam flagitioſus „ab omnibus confundendus ac ſubſanandus veſtibus expoliatur, & nudus „in cruce elevatur, & tanquam viliſſimus vermis DEUS ipſe conſpuitur & conculcatur. Et ſi ille talia ac tanta pro te, quid tu pro illo? Si omnes illi Chriſti patientis dolores SS. Matri compatienti fuerunt communes, quid tu pro illa? Et nunquid inſignem facis Chriſto injuriam, ſi illius immemor vivis paſſionis, & velut ingratum pecus tuis innatas concupiſcentiis, voluptatibus, vitiis? Ita B. Virgini ac Matri doloroſæ planè injuriùs es, & ſodalis ingratiſſimus, ſi ipſi tanquam filius non compateris, quem ſub cruce per Chriſtum tanto cum dolore & lachrymis generavit.

Eccleſ. 15. 9.

Geneſ. 24. 64.

S. Bernh. in Cant. Caut.

6. Refert Joannes Pierius de Pica, quæ ibi Romæ aliquando buccinatores audierat, tanta rei novitate obſtupefacta alto ſilentio per aliquot dies conticuit, tandem repente quaſi de ſomno expergefacta omnem illum buccinatorum ſonum, harmoniam & muſices numeros ſummâ omnium admiratione imitata eſt. Oves Labani, quia virgas à Jacob decorticatas, & in canalibus, ubi aqua effundebatur, poſitas, ſedulò contemplatæ ſunt, ſimilem in fœtibus reddiderunt formam: *Factumque eſt, ut oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa & varia, & diverſo colore reſperſa.* Quid in ovibus rationalibus non poſſit Chriſti JESU Crucifixi & ſanctiſſimæ Matris ejus doloroſæ exemplum, ſi eorum vitam & mores attentiore mente fuerint contemplatæ?

Joan. Pier. Hierog. l. 23. c. 17.

Geneſ. 30. 39.



Digitized by Google

Threnor. 4. 20. Origen. in Catena. Ruth. 2. 3.

Habet hoc umbra, quòd hominis geſtus & greſſus, nutus omnes & corporis motus exactè imitetur; unde rectè Origenes ſupra illud Threnorum: *In umbra tua vivemus: In umbra*, inquit, *ejus* (loquitur de Chriſto) *vivemus*, *hoc eſt*, *ad imitationem ejus.* De Ruth recenſet Scriptura; quòd poſt terga metentium ſpicas collegit; colligamus & nos reliquias virtutum doloroſæ Virginis Mariæ, fortitudinis videlicet, obedientiæ, charitatis, patientiæ, reſignationis, paupertatis, fervoris in bonis, manſuetudinis, contemplationis, ſilentii, mortificationis, puritatis, &c. Et quemadmodum pictores ſæpè inſpicere aſſolent exemplaria, ut ea pingendo imitentur, ita nos Clientes, ac Sodales, imò filii Mariæ, hujus pientiſſimæ Matris noſtræ exemplar virtutum jugiter intueamur, ut ea imitemur, & hic eſt cultus præcipuus imitatio virtutum: *Hæc*, ait S. Gregorius Thaumaturgus, *credentium firmamentum & piorum perfectum exemplum*, & doctiſſimus Idiota: *Virtutum exemplar MARIA eſt.*

S. Gregor. Taum. ſer. 2. de Annunt. Idior. de Laud. B. V. Juſtin. Miechov. Tom. 2 diſ. 232. Hadr. Lyr. in Triſag. pauſa. 9. & alii.

7. Coronidem huic noſtræ imponat Conſiderationi S. Philippus Benitius, cui, ejuſque primis Sociis, cùm in die Paraſceves Chriſti Redemptoris noſtri cruciatus & SS. Matris ejus dolores pia ac grata mente recolerent, ipſa hæc SS. Deipara Angelis Paſſionis Dominicæ inſtrumenta præferentibus, ſtipata apparuit, illa verò veſtem nigram ac lugubrem, quam impoſterum in ſuorum dolorum geſtarent memoriam, una manu, & altera regulam S. Auguſtini, quam profiterentur, præ ſe tulit: *Et hic*, inquiebat, *veſter erit habitus & ſervi Mariæ Virginis vocabimini.* Qui præclarus Ordo anno Chriſti 1231. fundatus etiamnum hodie appellatur Ordo Servorum Mariæ, quibus ſeptem primis ſacri Ordinis Sociis & Fundatoribus, cùm Florentiam introiſſent, infans ex brachiis Matris pendens cum aliis infantibus acclamavit: *Hi ſunt ſervi Mariæ.* Quàm beato autem fine omnes iſti ſervi doloroſæ Matris DEI expirârint, vide R. P. Caſparum Tauſch S. J. in libro de doloroſa Matre apud me fol. 600. ubi & plures praxes colendi hanc doloroſam Matrem reperies.

Quid nunc reſtat, Lector Mariane! quàm ut hanc SS. Deiparam ſub cruce totius generis humani Matrem conſtitutam pia devotione recolamus, atque veneremur, quæ ſanguinem ſuum, quem in incarnatione Filio obtulit, in paſſione per eundem Filium effudit, & gladio Simeonis ſaucia humanæ ſaluti, quantum fieri poterat, collaboravit. Faxit DEus, ut hæc devotio erga doloroſam Virginem ubique locorum in Eccleſia Dei creſcat, & in honorem illius pluribus in locis erigantur Sodalitates. O felices clientes illos, qui ſub tutela ac protectione doloroſæ Virginis moriuntur.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO LXVII.

## In B. Virginis patrocinio in SS. Roſario omnibus Chriſtianis magna fiducia collocanda eſt.




**Et tenebit me dextra tua.**

*Pſalm.* 138. 10.

1. NOtiſſimus eſt ille Labyrinthus Creticus, quem quondam Dædalus faber Athenienſis artis ſuæ peritiſſimus juſſu Regis Minois conſtruxiſſe fertur, in quo & Minotaurum incluſit, qui viatores per inextricabiles & multiplices viarum inflexus errantes tandem crudelem in modum devoravit. Accidit, ut & Theſeus Ægei Athenarum Regis filius eundem labyrinthum ingrederetur, truculentum illum occiſurus Minotaurum, cujus miſerta Ariadna filia Regis Minois filum illi porrexit, cujus ope non Laby-

rintho duntaxat evaſit,ſed & monſtrum illud immane,crudele, horrendum trucidavit.

Quid aliud eſt mundus iſte immundus,quàm talis labyrinthus, exteriori quidem vultu aliquam præſeferens ſuavitatis ſpeciem, reipsâ autem ſequaces ſuos decipiens,ac perdens: *O munde proditor*,inclamat Magnum illud Africanæ Eccleſiæ Sidus S.Auguſtinus, „qui cuncta bona promittis, & cuncta „mala profers, promittis vitam,& donas mortem,promittis gaudium, ſed „largiris mœrorem; promittis quietem,ſed ecce turbatio, promittis ſtare, „ſed citò recedis: Non ergo diligendus es munde, quoniam omnino tran- „ſis,& concupiſcentia tua velut fumus evaneſcis. Oportet ergo, ut inter tot animæ corporisque pericula, rerúmque diſcrimina, nobis maturè de fida Ariadna cum Theſeo provideamus,quæ ſalutis nobis ſemitâ per tot anfractus adeò intricatos non tam edoceat, quàm & manu ſuâ ad tutam ſalutis viam ac cœleſtem patriam deducat. Ariadna iſta SS.Virgo in SS.Roſario eſt,quæ non ignara mali,quia doloroſa Mater,miſeris ſuccurrere didicit,& Minotaurum illum infernalem jam pridem,imò jam in ortu ſuo contrivit. Juvat hîc audire Chriſtianum Poëtam:

S. Auguſtin. ſerm. 3. ad fratres in Eremo.

Quam bene cœca regit filo veſtigia Theſeus,
    Semivirum poſtquam perculit enſe bovem?
Cernis, ut immenſis ambagibus antra reſolvens
    Perplexa, ad tutas exeat ille vias.
Nos procul, heu patriâ dividit inviâ ſede,
    Et circum ſemper nos Labyrinthus agit.
At quid Virgineæ Matris data fila ſequetur,
    Tutior, edomitis hoſtibus,aſtra petet.

Pſalm. 138. 10.

Hinc rectè noſtræ Conſiderationi illud Davidicum præfiximus: *Et tenebit me dextera tua*, Labyrintho autem,ex quo B. Virgo & Regina SS. Roſarii viatorem lapſum manu ſuâ,filóque dato ad ſecuram ſalutis æternæ viam reducit,pro Lemmate inſcribere placuit:

## Hac duce tuta via eſt.

2. Ita eſt: *Te duce tuta via eſt.* Agar cum Iſmaële filio in deſerto à recto tramite aberrantem Angelus de cœlo lapſus in viam rectam reduxit: *Errabat in ſolitudine Berſabee*, &c. Joſephum in agro errantem vir quidam edocuit,quâ viâ in Dothaim ſecurè ad fratres ſuos perveniret: *Inveniique eum vir errantem in agro*, &c. Ovem illam in ſolitudine à grege ſuo aberrantem paſtor ille bonus in viam rectam, & ad ovile ſuum retroduxit: „Vadit ad „illam, quæ perierat,donec inveniat eam, &c.

Geneſ. 21. 14. Geneſ. 37. 15. Luc. 15. 4.

O pien-

O pientiſſima Domina! quot peccatorum myriades, per cœcos voluptatum labyrinthos tendes, & ſic à toto cœlo aberrantes per SS. Roſarium tuum ad cœleſtis patriæ tramitem reduxiſti? Funiculus ille coccineus è feneſtra quondam ſuſpenſus, in devaſtatione Jericho univerſæ domui Rahab tutiſſimum ſalutis ſignum extitit: „Appendit funiculum coccineum in feneſtra, &c. Pluribus autem, imò innumeris Sacratiſſimum Roſarium Mariæ è peccatorum cœno & dux & ſemita ſalutis fuit; & nunquid *funiculus triplex difficile rumpitur?* Funiculus ille triplex pulcherrima figura Sacratiſſimi Roſarii eſt, quod tria Sacratiſſima myſteria, videlicet: *Gaudioſa*, *Doloroſa*, & *Glorioſa* connectit, epitomenque præſignat totius Novi Teſtamenti & doctrinæ Chriſtianæ, in hoc enim cuncta ſalutis noſtræ myſteria & vita Chriſti JESU ac SS. Matris ejus piâ meditatione recolitur. Joſue.2.21. Eccleſ.4.12.

Proinde quod olim fuit fortiſſimæ Mulieri Thebanæ fragmen molæ, quo impii Abimelechi caput confregit: „Et ecce, una mulier fragmen molæ de„ſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. Judic.9.53.

Quod Judithæ heroinæ fuit gladius, quo in caſtris Aſſyriorum arrogantiſſimum Holofernis caput reſecuit: „Cumque evaginâſſet illum, apprehen„dit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Deus in hac hora; & percuſ„ſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus. Judic 13.9.

Quod Davidi Puero funda fuit & lapis, quibus Goliam immanem illum Gigantem & carneam turrim generoſè ſtravit: „Prævaluitque David ad„versùm Philiſtæum in funda & lapide. 1. Reg. 17. 50.

Quod Jaheli fuit clavus ille ferreus, quo dormientem in tentorio Siſaram terræ affixit: „Tulit itáque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, aſſumens „pariter & malleum; & ingreſſa abſconditè & cum ſilentio poſuit ſuper tem„pus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum usque ad „terram: Qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt. Judic.4.21.

Quod denique Joabo fuerunt tres illæ lanceæ, quibus cor Abſolonis impiiſſimi parricidæ in quercu pendentis transverberavit: „Tulit ergo tres „lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſolon. 2. Reg.18.14.

Hoc nobis Chriſticolis Sacratiſſimum Roſarium eſt; fragmen, inquam, molæ: quo inſidiantis diaboli caput conterimus; gladius, quo inimicos S. Matris Eccleſiæ humiliamus; funda & lapis, quibus contra carnem, mundum & dæmonem prævalemus; clavus ferreus, quo tentationes & paſſiones affigimus; & triplex tandem lancea, quâ contra omnes animæ, corporiſque hoſtes decertamus: *Qui ex toto corde*, inquit Michaël ab Inſulis, „ad „ſerviendum Virgini in hac fraternitate ſe obtulerit; eámque toties ſaluta„verit, ejusque dulce Filii nomen toties devotè invocaverit, finaliter non pe„ribit. O verba conſolatione plena! Mich. ab Inſul. l. de Confrat. Roſar.

3. Verùm progrediamur ulteriùs. Ubi minutæ ſunt aquæ diluvii,& odoratus eſt Dominus holocauſti Noemici ſuavitatem, placuit Divinæ Majeſtati de non ampliùs in ducendo diluvio certam ſtatuere teſſeram; in quem finem arcum tricolorem, ſeu iridem in nubibus cœli radiantem aſſignavit: „Arcum meum ponam in nubibus,& erit ſignum fœderis inter me,& inter „terram.

Geneſ. 9. 13.

Cornelius à Lapide per hanc iridem Verbum incarnatum, & carne velatum ſubaudit,per triplicem autem colorem,viridem videlicet gratiarum & virtutum ejus florem,per rubicundum ejus cruentam paſſionem,& per cæruleum ſeu cœleſtem,aſſiduam ejus contemplationem & orationem,&c.

Cornel. hîc.

Addamus nos,quòd hic tricolor arcus pulcherrimum ſit Sacratiſſimi Roſarii Symbolum, quod in tribus potiſſimùm coloribus, ſeu myſteriis *Gaudioſis, Doloroſis, & Glorioſis* conſiſtit. Et quid color viridis aliud præſignat, quàm incarnationem Verbi,per quam prima ſalus & ſpes mundo apparuit, quæ peculiariter in primis quinque gaudioſis elucent myſteriis? Et quid color purpureus in iride aliud adumbrat, quàm doloroſa illa quinque Dominicæ Paſſionis myſteria, in quibus pretioſiſſimus orbis Salvator JEſus pro noſtra, omniúmque ſalute omnem ſanguinem profudit, & doloroſa Mater ejus Maria verſa eſt in ſanguinem; ita B. Albertus Magnus: *B. Virgo*, inquit, „converſa eſt in ſanguinem, quando intellexit dulciſſimum Filium ſuum „traditum & captum,&c. Et quid cæruleus ille,igneo nonnihil & ſubflavo myſtus color,aliud in arcu illo nobis demonſtrat, quàm glorioſa illa quinque myſteria, quæ gaudium annuntiârunt univerſo mundo? O anima Chriſtiana! „Vide arcum,& benedic eum,qui fecit illum, poſitus enim eſt hic arcus myſticus in ſignum pacis & fœderis Deum inter & hominem,cœlum inter & terram: *Habentibus devotionem*,ait B. Alanus,*ad ipſam* (B. Virginem *in SS.* Roſario) „ſignum eſt permagnum ordinationis & *prædeſtinationis* ad „gloriam.

B. Albert. Magn.ſerm. Dom Advent.

Eccleſ.43.12.

B. Alanus p. 5. cap. 4.

4. De Moyſe recenſent Sacræ Litteræ,quòd,cùm oves Jethro paſceret,eas aliquando ad interiora deſerti minaverit,ut orationi, & ſilentiori contemplationi vacaret intenſiùs. Et ecce ubi ad montem Horeb & ad intimam pervenit eremum,ſubitò advertit rubum quendam ardentem,& in igne incombuſtum: „Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & „videbat,quòd rubus arderet,& combureretur. Ignis hæc erat viſio, quia ingens latebat Sacramentum: *Ignis in rubo*, ait Cornelius, „eſt DEUS in „carne,ſive Verbum caro factum. Et quiſnam erit ille rubus,in quo Dominus (Theodoretus putat fuiſſe Filium Dei) Moyſi opilioni apparuit? Aliqui dumetum fuiſſe aſſerunt ſentibus horridum,alii verum rubum,ſeu fruticem hamatum,qui vel ſolo vulnerabat attactu. Sed Eucherius in hunc locum affirmat fuiſſe roſetum ſylveſtribus abundans roſis. In hoc ergo ſpinoſo ro-

Exod. 3. 2.

Cornel. hîc.

ſeto

Digitized by Google

fecto placuit Divinæ bonitati ſeſe Moyſi reddere ſpectabilem, ut illum & afflictos conſolaretur Judæos, tum temporis intervallo ſub intolerabili Ægyptiorum jugo vix non oppreſſos: *Vidi afflictionem eorum*, &c.

En Cliens Mariane pulcherrimum Sacratiſſimi Roſarii typum. Roſa Sylveſtris quinque diſtinguitur foliis, & Roſarium per quinquagenas dividitur. Roſa iſta corpori medicinalis eſt, plùs SS. Roſarium animæ. Roſa illa licet non culta grati ſpargit odoris fragrantiam, Roſarium uſque ad ultimos terræ fines ſuaviſſimum extendit virtutis odorem. Roſa iſta vel alba, vel rubea, vel flava eſt, an non triplex iſte color tria Sacratiſſimi Roſarii myſteria pulcherrimè adumbrat? O beatiſſima Virgo & Regina Sacratiſſimi Roſarii, tu per illud roſetum, in quo Dominus Moyſi apparuit, præſignata es: *Ut frutex*, ait S. Gregorius Niſſenus, *incendit ignem, & non crematur: ita idem etiam Virgo & lumen parit, & non corrumpitur.* Quantam ergo fiduciam, O Sodales Mariani! in hac Sacratiſſima Deipara poſſumus collocare, ſi illam ut Matrem ac Reginam noſtram filiali colimus ac diligimus amore? *Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis.* S. Gregor. Nyſſ. orat. de Chriſt. Nat. Rom. 16. 6.

5. David quondam per citharam ſuam malignum ſpiritum à Saule fugavit: *David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat; recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Cithara hæc Sacratiſſimi Roſarii figura extitit, tolle hanc citharam myſticam, ſi te invadit diaboli & carnis tentatio, ſi te undique apprehendunt mala, cithariza, quantùm potes, & recedet à te ſpiritus malus, & meliùs habebis: „Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſimè! ad annuntiandum manè „miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem, in decachordo, pſal„terio, cum cantico in cithara: 1. Reg. 16. 23. Pſal. 91. 2.

Et quis ignorat, quàm potentes fuerint unius Moyſis preces, quæ totius populi impetrârunt ſalutem: dum enim juſtiſſimum Numen ob conflatum & adoratum aureum vitulum populum vellet diſperdere: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos*: Moyſes repoſuit: *Recordare Abraham, Iſaac & Iſrael, ſervorum tuorum*, &c. Et quid ſequitur? *Placatus que eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum ſuum.* Vide hìc, & conſidera, anime mi! quomodo unius Moyſis oratio Omnipotenti DEO manus ligaverit, ne populum peccantem & idololatrantem à facie terræ deleret. Si tantùm valuit apud DEUM unius hominis juſti oratio: quantò magìs proderit oratio multorum juſtorum? Si decem fuiſſent juſti in Sodomis, non fuiſſent civitates illæ cœleſti igne ſubverſæ: *Quid ſi inventi ibi fuerint decem? & dixit, Non delebo propter decem.* Plures ſine dubio juſtæ & innocentes ſunt animæ in Archifraternitate Sacratiſſimi Roſarii, quæ à ſolis ortu uſque ad ejus occaſum ſe extendit: quid ergo tot piæ mentes apud DEUM poterunt efficere. Exod. 32. 10. Geneſ. 18. 32.

Oratio

Joſue. 10. 12. Oratio Joſue Solem ad occaſum properantem ſiſtebat: *Sol contra Ga-*
Iſa. 38. 8. *baon ne movearis.* Oratio Ezechiæ eundem Solem decem lineis retrogredi fe-
Jacob. 5. 18. cit; *Et reverſus eſt Sol decem lineis per gradus, quos deſcenderat.* Oratio Eliæ
mundo pluviam impetravit: *Oravit & cælum dedit pluviam, & terra dedit fru-*
Jonæ. 2. 3. *ctum ſuum.* Oratio Jonæ de abyſſo maris & utero piſcis ad Dominum pene-
travit; eumque ab interitu eripuit: *De ventre inferi clamavi, & exaudiſti vocem*
*meam.* Oratio Suſannæ, cùm omne abeſſet conſilium humanum, ad cœlos
Dan. 13. 24. pervenit, eamque priſtinæ ſaluti & honori reſtituit: *Exaudivit autem Dominus*
*vocem ejus.* Quid apud DEUM non faciet tantus populus Confraternita-
S. Ambroſ. ti Sacratiſſimi Roſarii inſcriptus: *Impoſſibile eſt*, ait S. Ambroſius, *preces mul-*
ſup. ep. ad *torum non exaudiri*; & ſi illæ non exaudirentur, exaudiet tamen Filius Ma-
Rom. trem: *Advocatam*, ſubintrat hic Mellifluus, *habere vis ad Chriſtum? ad Matrem*
S. Bernhard. ſer. de Nat. *recurre: Exaudiet utique Matrem Filius.*

B. V. 6. Obſervandus eſt autem hic ille modus, quo Moyſes pro ſalute popu-
Exod. 32. li ad DEUM oravit, ejusque furorem mirè placavit: *Recordare*, inquiebat,
13. *Abraham, Iſaac, & Iſraël*, ſeu Jacob &c. En rurſus typum elegantiſſimum
in Sacratiſſimo Roſario B. V. MARIÆ expletum. Abraham repræſentavit
prima quinque myſteria gaudioſa, ad Abraham enim promiſſiones de Verbo
Rom. 1. 16. incarnando factæ ſunt: *Nusquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*
Joan. 8. 56. *apprehendit*; de quo Veritas Chriſtus: *Abraham exultavit, ut videret diem me-*
Gen. 21. 6. *um, vidit, & gaviſus eſt.* Cui & Dominus riſum fecit, cùm ei Iſaacum com-
municavit. En myſteria gaudioſa. *Recordare Iſaac.* Et nunquid in Iſaaco
quinque alia & doloroſa Sacratiſſimi Roſarii myſteria adumbrata ſunt,
Gen. 22. 6. dum ſeſe voluntariè DEO ad victimam præſentavit, & ligna holocauſti
propriis humeris ad montem *Dominus videbit* transportavit: *Tulit quoque li-*
*gna holocauſti*; &c. Vis & myſteria glorioſa? *Recordare Jacob*, qui poſt lon-
Geneſ. 28. gam à fratre Eſau exantlatam perſecutionem in Meſopotamiam fugiens ac
12. in via dormiens mirabilem illam ſcalam vidit, per quam Angeli *in cœlum* aſ-
cendebant, & in terram deſcendebant, viditque Dominum *innixum* ſcalæ ſe
conſolantem, unde evigilans gaudio & ſtupore plenus exclamavit: *Vere Do-*
*minus eſt in loco iſto: Non eſt hic aliud niſi domus DEI & porta cæli.* En hic umbram
Roſarii glorioſi & myſteriorum ejus.

Anima Chriſtiana! ſi cum Moyſe deſideras Omnipotenti DEO ligare
manus, ne te ſecundùm tua demerita puniat, & in æternùm à facie ſua pro-
Exod. 32. 10. jiciat: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus*; En habes fortiſſimum ligamen, Sa-
cratiſſimum Roſarium. Imitare proinde hunc orandi modum per modum
per quinque Sacratiſſima myſteria: *Recordare* Domine Pater, Deus cæli & ter-
ræ, Filii tui incarnati, &c. *Recordare* Filii paſſi & crucifixi; *Recordare* Filii tui glo-
rioſè à mortuis reſurgentis, ac Sacratiſſimæ Matris ejus Mariæ, quæ omnium
horum quindecim myſteriorum particeps fuit, & ob gratiam ac merita illo-
rum

rum dimitte univerſa delicta noſtra, &c. „Talis oratio humiliantis ſe nu- Eccleſ. 35.
„bes penetrabit,& non deſcendet,donec altiſſimus aſpiciat. 21.

7. Ad confirmandam hanc veritatem occurrit mirabilis illa expugnatio, quâ Joſue inviĉtiſſimus belli Dux juxta ac pientiſſimus Jerichuntem, civitatem munitiſſimam expugnavit: „Igitur omni populo vociferante, & Joſue. 6. 20.
„clangentibus tubis,poſtquam in aures multitudinis vox ſonitúſque increpuit,muri illico corruerunt: & aſcendit unuſquiſque per locum, qui contra ſe erat, cæperúntque civitatem, &c. Si Joſue ad expugnationem mœnium ferreos admoviſſet arietes,quibus olim Romani ad dejiciendos muros utebantur, ſi tormenta bellica applicâſſet,prout nunc temporum intervallo in belli expeditionibus adhiberi ſolent; ſi tranſverſis cuniculis hoſtium excepiſſet cuniculos, & ope pulveris nitrati muros, turres, domóſque ſolo æquâſſet,non equidem mirarer Jerichuntem tam ſubitò deſtructam, everſam, dirutam ac depopulatam; ſed quòd ex ſolo populi clamore tubarúmque ſonitu,muri illicò corruerint,res altioris indaginis eſt.

Obſerva, anime mi! *Jericho*, ait Lyranus, „ſignificat civitatem culpa, Lyran. hic.
„quam fecit amor ſui uſque ad contemptum Dei,cujus muri dejiciuntur non tam per Verbum Dei,quàm & per clamorem populi,tubarúmque ſonitum, hoc eſt,prout ulteriùs comemorat idem Lyranus,*clamore devota orationis*,dum videlicet Sodales & Confratres Sacratiſſimi Roſarii uno quaſi ore & voce ad cœlum clamant,& in animo devoto,contrito,ac humiliato coronam B.Virginis recitant,in qua publica oratione illud Sapientis verificatur: *Frater, qui adjuvatur à fratre, quaſi civitas firma*; & ſi Os Veritatis locutum eſt: „Si duo Proverb. 18. 19.
„ex vobis conſenſerint ſuper terram; de omni re,quamcúnque petierint,fiet „illis à Patre meo, qui in cœlis eſt; ubi enim duo vel tres congregati ſunt in Matth. 18. 19.
„Nomine meo,ibi ſum in medio eorum. Quantò magìs, fiet, & orantium exaudietur ſupplicatio,ſi tot millia Confratrum ac Sororum in Sacratiſſimo Roſario conſenſerint in unum,& per manus pientiſſimæ Matris ac Reginæ ſuæ vota ac preces ſuas SS. Trinitati obtulerint? „Quidquid illud,ait S. Bernhard
Mellifluus, „quod offerre paras, MARIÆ commendare memento, ſi non lib. 11. florum. cap. 6
„vis ſuſtinere repulſam.

8. Pro dictorum coronide duas conſideremus Reginas,quarum prima eſt Bethſabee,quæ ubi ad Salomonem filium ingreſſa eſt,ut Adoniæ Abiſag Sunamitidem poſtularet in uxorem,mox à Rege repulſam tulit: „Quare po- 3. Reg. 2. 22.
„ſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? poſtula ei regnum. Econtra Regina Eſther à Rege Aſſuero plùs obtinuit,quàm unquā auſa fuit poſtulare: „Si inve- Eſther. 7. 3.
„ni gratiam in oculis tuis ô Rex,& ſi placet tibi,dona mihi animā meam, pro „qua rogo,& populum meum, pro quo obſecro; cujus juſtæ petitioni non ſolùm Rex annuit,ſed & dimidium regni ſui ultro illi in donum gratuitum

Eſther. 5.6. obtulit: „Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Et quare, obſecro, una Regina ſuæ petitionis patitur repulſam, & alteri plus, quàm poſtulat, donatur?

Adverte: Non erat conveniens Bethſabee interceſſio, quia Adonias per illas nuptias clam & ſubdolè ad ipſum Salomonis ſuſpirabat regnum, quapropter eodem adhuc die à ſapientiſſimo illo Rege interfectus eſt. Econtra Regina Eſther omnium oculis gratioſa figuram B. Virginis & Reginæ Sacra-
Eſth. 15. 8. tiſſimi Roſarii ſuſtinuit, de illa enim Sacræ Paginæ commemorant: „Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum. Nota *τὸ roſeo colore*, Maria enim eſt *quaſi plantatio roſæ in*
Eccleſ. 24. 18. *Jericho*; Supra quod Richardus à S. Laurentio: *MARIA*, inquit, „roſa dicitur, ſed Jerichuntina, quia in Jericho creſcunt roſæ ſpecioſiſſimæ, haben-
Richar. à S. Laur. l. 12. de Laud. V. „tes centum quinquaginta folia, quot integrum Roſarium in ſe continet Ave Maria. O felix anima! ſi ſæpiùs hanc Sacratiſſimam Roſarii Reginam
Prov. 1. 8. ejuſmodi roſeo ſerto coronaveris: *Audi Fili mi*, ait Sapiens, „ne dimittas „legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Torques Sacratiſſimum Roſarium eſt, ex pulcherrimis & variarum virtutum catenulis compoſitus, & pretioſiſſimis interſtinctus gemmis, quò cœli Magnates conſpicui ſunt & Clientes Mariani. Eja age, quiſquis es, prudens Lector, & tu in Sacratiſſima Virgine lauda Deum, laus enim Mariæ eſt laus Dei; apprehende arma & ſcutum, Sacratiſſimum Roſarium tuum, quod quotidie in obſequium Magnæ Matris tuæ evolves, *ut addatur gratia capiti tuo*, & tandem vita æterna.

CON-

Digitized by Google

# CONSIDERATIO LXVIII.

B. Virgo in SS. Scapulari clientibus ſuis in hac & in altera vita benigna Mater eſt.




Clypeus eſt ſperantibus in ſe.
*Prov.30.5.*

1. DAvid formâ egregiâ adoleſcens, cui non minùs auctoritatis, quàm gratiæ inerat, cum contra Goliam Philiſtæum, immanem illum gigantem, in arenam nunc deſcenderet, ſingulari cum illo dimicaturus duello, priùs ſeſe ad hanc pugnam baculo ſuo paſtoritio, quinque limpidiſſimis lapidibus, fundâ & perâ armavit, quibus armis & DEI potiſſimùm protectioni confiſus generoſo animo hoſtem ſuum aggreſſus eſt, & potenti virtute ſuperavit; *Trajectoque cavo terebravit vulnere frontem.* Audi Scripturam; *Et* 1. Reg. 17. 49.

*miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte*, &c.

Job. 7. 1. Anima Chriſtiana! & nunquid *militia eſt vita hominis ſuper terram*? Pugnandum tibi erit, nolis, velis cum dæmone, carne, mundo, morbis, tentationibus, aliisque innumeris periculis ac miſeriis, ac tandem cum ipſa morte; proinde maturè in rem & ſalutem tuam vigila, atque de armis, quibus inimicos tuos expugnare valeas, tibi provide; arma autem Chriſtiani hominis potiſſimè ſunt baculus, quinque lapides, funda & pera. Per baculum Davidis D. Auguſtinus crucem Dominicam ſubaudit, ſicut enim canis baculum, ſic diabolus formidat crucem; per quinque lapides rectè quinque SS. Chriſti fulnera intelliges, per fundam SS. Roſarium, & per peram SS. Scapulare, quibus Spiritualibus inſtructus armis infernalem Goliam omnesque hoſtes tuos facili conatu ſuperabis.

S. Auguſt. ſerm. 197.

Annal. Angliæ l. 7. c. 5. De Arcturo Angliæ Rege recenſent Britanniæ Annales, quòd clypeum ſibi parari juſſerit, in cujus interiore facie B. Virgo cum JESU parvulo Filio eleganti penicillo erat depicta, in quam SS. Deiparam quoties in bello aliquod imminebat periculum, Rex oculorum aciem conjiciebat, ejúsque opem impenſiús implorans de hoſte glorioſè triumphabat. Contigit aliquando, cùm in cruento prælio milites jamjam meditarentur fugam, ut Rex inverſo ſcuto pretioſiſſimæ Virginis ac Deiparæ imaginem trepitantibus oſtentaret Militibus, elatâ exclamans voce: *Ecce, quâ nos militamus*; ad cujus beatiſſimæ Virginis & dulciſſimi Filii conſpectum milites de novo confirmati, reſumpto animo in hoſtiles irruêreturmas, & inimicum exercitum ingenti clade profligârunt: Cui clypeo exinde Rex hæc verba inſculpi voluit: *MARIA ſalus Patriæ*.

P. Andr. à S. Thereſ. Carmel. & plures alii. Hunc Arcturum Regem anno ſalutis noſtræ 1620. in pugna ad Pragam probò imitatus eſt Venerabilis P. Dominicus à JESU MARIA, Carmelitarum Diſcalceatorum Generalis ac Præpoſitus digniſſimus, *vir morum innocentiâ & ſanctitatis famâ notiſſimus*, qui in cruento illo prælio, in quo à Sereniſſimo Bavariæ Duce Maximiliano teſſera militaris *Sancta MARIA* erat, non duntaxat exercituum Dominum in cruce ſublimen, tanquam ante ambulonem, ſed & in pectore pro lorica & ſcuto inexpugnabili B. Virginis MARIÆ effigiem præferebat, quorum ope acies hoſtiles pulſæ, hoſtis cæſus, & inſignis victoria in ſummum Reipublicæ Catholicæ commodum reportata eſt in Octava omnium Sanctorum, Dominica 22. poſt Pentecoſten, ubi Evangelium cantari ſolet: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO*; quam exinde ſacram Deiparæ imaginem Sereniſſimus Bavariæ Dux & paulò poſt S.R.I. Elector Maximilianus hoc inſcripto exornavit: *Clypeus eſt ſperantibus in ſe*, cui Divæ Virgini & Matri, Carmelitarum gloriæ & Eccleſiæ Orthodoxæ protectrici, pro Emblemate ſcutum

Luc. 20. 25.

Prov. 30. 5.

tum mucronatum, prominente in ejus medio cuſpide, ſubjicimus, cum inſcripto: *Tutatur & armat*; vel ſcutum Joſue, quo urbem Hai expugnavit: *Leva clypeum contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam*, cum Lemmate: Joſue 5. 18.

## Præſidium & decus.

Ita, ô beatiſſima Virgo, in SS. Scapulari & nobis ſcutum & lorica es, tutans & armans, defendens & arcens, *tutela, decusque.*

2. David invictiſſimus belli Dux, ubi ad regale ſolium evectus eſt, in urbe Solymæa juxta arcem Sion fortiſſimam turrim ex quadris lapidibus ferro & plumbo indiſſolubiliter compactis, cum propuugnaculis conſtruxit, ex qua non gladios aut lanceas, non arcus aut tela, neque alia inſtrumenta bellica, ſed meros clypeos appendit: *Mille clypei pendent ex ea: Omnis armatura fortium.* Ad quid, obſecro, tot clypei in Davidica turri? Si litteram inſpicis, David ſcuta illa bellica non tam ad terrorem inimicorum, quàm ad ſplendorem civitatis ſuæ in eminentiori turris loco ſuſpendit. Verùm SS. Patres per hanc turrim Davidicam communiter cum Eccleſia SS. Deiparam intelligunt, quæ *terribilis eſt ut caſtrorum acies ordinata*, ex qua mille clypei pendent: *Mille clypei*, ait S. Doctor Angelicus, *ſunt mille remedia contra quævis pericula ex beata Virgine pendentia.* Cant. 4. 4. Cant. 6. 9. S. Th. Aq. Opuſc. 4.

Eques ille optimis adornatus operimentis, qui contra impium Heliodorum, orantibus Machabæis, pugnabat, *Videbatur arma habere aurea.* Aliàs videbantur in aere per quadraginta dies *curſus equorum per ordinem digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladiis diſtrictis, & telorum jactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum.* Aliàs etiam *refulſit ſol in clypeos aureos & æreos: reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.* O Virgo pretioſiſſima! tu in Archifraternitate benedicti Scapularis tui clientibus tuis non galea & lorica tantùm, ſed & ſcutum aureum es, galea enim ſolùm caput tegit, lorica pectus & humeros, ſed ſcutum integrum tutatur corpus; erant enim antiqua illa ſcuta bellica tantæ magnitudinis, ut unum eorum totum hominem facilè tegeret, atque à telis totum corpus defenderet: Talis, inquam, clypeus, ô beatiſſima Virgo de monte Carmelo es, totum corpus Eccleſiæ protegens, & mundum tuo tutans patrocinio: *Dudum*, ait S. Fulgentius, *cælum & terra ruiſſent, niſi Maria precibus ſuſtentaſſet*; & S. Antonius: *Data eſt tibi, ô Domina, omnis poteſtas in cælo & in terra, ut quidquid vulneris, valeas efficere.* 2. Mach. 3. 25. 2. Mach. 5. 2. 1. Mach. 6. 39. S. Fulgent. lib. 4. Mytholog. S. Amonin. ſerm. 2. de Coronat. MARIÆ.

3. Cæterùm varii varia in ſuis clypeis ac ſignis gentilitiis volebant pingi, ac inſculpi Symbola. Wenceslaus Imperator in ſcuto ſuo navim incidi voluit, cum Lemmate: *Ventis parendum*. Otto Wittelſpachius apud Lukium Equum Trojanum, cum inſcripto: *Audendum* Alexander de Medicis primus Hetruriæ Dux Rhinocerotem, cum Epigrapha: *Non redeo, niſi victor*, Stanislaus Hoſſius venationis amans, venatorem humeris cervum portantem, cum Lemmate: *Onus meum leve*. Olympia Urſina in ſcuto ſuo flammam adumbrari voluit acuminatam, cui inſcripſit: *Nunquam deorſum*. In ſcuto Lacedæmonum erat exaratum: *Aut in hoc, aut cum hoc*. In ſcuto Myrtili: *Auxilium nunquam deficiens*. Veneti in clypeo ſuo canem quondam præſentabant acuminato torque armatum, cum Lemmate: *Sauciat, & defendit*. Comes Abenſpergicus, ubi Ratisbonæ Cæſaris militiæ & obſequio duos & triginta filios donavit, pro Symbolo aquilam cum pullis ſuis, ſolem intuentibus, adumbrari juſſit, cum Lemmate: *Fideles omnes, generoſi omnes*. Romani etiamnum hodie in ſcuto ſuo gentilitio has quatuor tenent litteras: S.P.Q.R. Originem hujus Emblematis ex Joanne Carthagena accipe; Sabini, gens generoſa & bello aſſueta, cum contra Romanos cruentum quondam bellum gererent, in ſcutis ac vexillis ſuis has quatuor litteras pingi, & inſculpi voluerunt: S.P.Q.R. quod idem eſt: *Sabino Populo Quis Reſiſtet?* quibus ex altera parte Romani ad bellum provocati eisdem verbis in vexillis & clypeis ſuis exaratis, reſpondebant: S.P.Q.R. hoc eſt: *Senatus Populusque Romanus*. Fit pugna, vincunt Romani, ſubjugantur Sabini, & ut perpetuam dicti Romani ex hac parta inſigni victoria haberent memoriam, ejusmodi quatuor litteras S.P.Q.R. in ſuo ſcuto gentilitio in Capitolio & paſſim ſuper palatiorum portas adhuc hodie conſervant.

Joannes Carthag. & alii.

Anima Chriſtiana! hîc rogo te, ſubſiſte pauliſper, & attentiore mente hæc moderna ac ferrea tempora conſidera, in quibus ob demerita noſtra à juſtiſſimo Numine aſſiduis conterimur bellis; & nunquid DEUS diſtrictiſſimus ſcelerum Vindex in ſcuto & vexillo, quod contra nos erexit modò, has quatuor nobis exhibet litteras: S.P.Q.R. quas ita expono: *Scelera Punituro Quis Reſiſtet?* Non angeli, non Sancti, non mortales & creaturæ omnes. Pentapolim conſule igne cœleſti ſubverſam, mundum univerſum per cataclyſmum ſubmerſum, atque alia ſexcenta, imò innumera flagella, quibus rebellem mundum omni tempore caſtigavit DEUS, unde rectè Balaam: *Cujus fortitudo ſimilis eſt Rinocerotis* quod fortiſſimum ac ferociſſimum animal à nullo hominum domari, aut teneri poteſt: *Cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes usque ad terminos terræ.*

Gen. 19. 25. Gen. 7. 22. Num. 24. 8. Deuter. 33. 17.

Verùm confidite, Clientes Mariani, præſertim qui clypeum ſalutis, SS. Scapulare geſtatis, confidite, inquam, ecce beatiſſima Virgo de monte

Car-

Digitized by Google

Carmelo *obviat vobis quaſi Mater honorificata*, & irato Numini ac dulciſſimo Eccl. 15. a.
Filio aliud monſtrat vexillum ac ſcutum, in quo pariter quatuor illi caracteres auro ſunt conſignati: S.P.Q.R. quaſi diceret: Fili mi! ſi ſolam attendis juſtitiam ſemotâ omni miſericordiâ, rectè humanum deles genus, & quis reſiſtet tibi: *Scelera Punituro Quis Reſiſtet?* Sed ecce, tibi exhibent fratres mei in Sacro Scapulari aliud vexillum & ſalutis ſcutum, in quo pari modo quatuor illæ ſunt pictæ litteræ: S.P.Q.R. hoc eſt: *Scapulare Portans Quando Rogat;* & quemadmodum funiculus ille coccineus in excidio Jerichuntino univerſæ domui Rahab ſalutis ſignum extitit: *Appendit funiculum coccineum in feneſtra;* ita & benedictum Scapulare, ſiquis devotè gerit, piè & Chriſtianè vivit, *ſignum ſalutis eſt, ſalus in periculis, fœdus pacis & pacti ſempiterni.* Joſue 2. a.

4. Videtur mihi SS. Deipara in Archifraternitate SS. Scapularis, ut quondã Rebecca, de qua Sacræ Paginæ comemorant, quòd hæc ſollicita Mater dilecto filio ſuo Jacob veſtimenta valde bona & odorata procuraverit: „Et veſtibus valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum, pelliculáſque „hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit, ut ſic faciliori modo ſupremam à Patre moribundo reciperet benedictionem. Sed neque irritus fuit Matris ille conatus, *ſtatim* enim *ut* pater „ſenſit veſtimentorum „illius fragrantiam, benedicens ille ait: Ecce, odor filii mei ſicut odor agri „pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Deus de ore cœli, &c. Geneſ. 27.

En pulcherrimam figuram in RR.PP. de monte Carmelo, & in Confratribus SS. Scapularis adimpletam, quibus tanquam filiis ſuis præ cæteris dilectis pientiſſima Virgo & ſollicita Mater de veſtibus valde bonis & virtutum odore fragrantibus providit, & colli nuda benedicto Scapulari ſuo, ceu ſcuto protexit. Originem hujus Archifraternitatis ſic accipe. Anno à partu Virgineo 1240. in Eccleſia Dei floruit Beatus Simon Stock Anglus Sacri Ordinis Carmelitarum Prior Generalis, qui, cùm SS. Virginem Deiparam impenſiùs coleret, ardentiſſimis precibus ab ea flagitavit, ut aliquod amoris ſignum monſtrare dignaretur, cui SS. Virgo Angelorum ſtipata catervis, & imenſo circumdata ſplendore apparuit, eiq; Scapulare Ordinis tradidit, dicens: „Accipe dilectiſſime, hoc tui Ordinis Scapulare, meæ Confraternitatis ſignũ, tibi & cunctis Carmelitis privilegium: In quo quis moriens æternũ non patietur incendium. Ecce, ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis & pacti ſempiterni. Hac cœleſti veſte indutus B. Simon tam inſigne donum & peculiare amoris erga ſe ac Sacrum Ordinem monimentum palàm deprædicare cœpit; hinc factum eſt, quòd non cives tantùm, & agreſtes, ſed & Imperatores, Reges, Duces, Magnates, Illuſtres ac Nobiles utriuſque ſexûs, imò & Summi Pontifices ad hanc Sodalitatem convolârint, & Sacrum Scapulare receperint. Obſervat autem hîc rectè de Lezana, quòd prædicta R. P. Joan. Bapt. de Lezana de Patronatu B.V. & paſſim alii.

ver-

verba beatiſſimæ Virginis non ſimpliciter & abſolutè, prout jacent, ſint intelligenda, ſed quantum ex parte Virginis & efficaciſſimæ ejus interceſſionis pro illis Confratribus, qui non gentiliter, ſed Chriſtianè vivunt, mandata Dei obſervant, & ſimul devotè SS. Scapulare geſtant, adimplentes leges & ſtatuta Sodalitatis Marianæ, illi ſunt veri filii Mariæ, cœleſtis illius Rebeccæ, quibus à Dilectiſſimo Filio ſuo Chriſto JEſu omnem benedictionem impetrabit: „Ecce odor Filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

5. Verùm non ſolùm favet SS. Deipara hîc in vita ſuis clentibus ſacrum Scapulare geſtantibus, ſed & defunctis per potentiſſimam ſuam interceſſionem mirè ſolet eſſe propria. Caleb filiæ ſuæ Axæ, dum Othonieli viro fortiſſimo nupſerat, pro dote & hæreditate terram irriguam aſſignavit: „*Da* „mihi benedictionem: Terram auſtralem & arentem dediſti mihi, junge & „irriguam. Dedit itaque Caleb irriguum ſuperiùs & inferiùs. Confide, Confraternitas SS. Scapularis titulo Dei Genitricis decorata, tu es illa Axa Sponſa, cui Dominus pro dote dedit irriguum ſuperiùs & inferiùs, ſeu ſupra & infra; ſuperiùs hîc in terra pro fratribus & ſororibus tuis adhuc in vita degentibus quàm plurima privilegia, com̃unicationem bonorum operum, precum, ſuffragiorum & cæterorum bonorum ſpiritualium, & inferiùs in purgatorii flam̃is exiſtentibus proximo poſt obitum Sabbato liberationem. Juvat hîc pro aſſerti confirmatione audire diploma Pauli V. Pontificis Maximi, quòd incipit: „Patribus Carmelitis populus Chriſtianus poteſt piè credere de adjutorio animarum Fratrum & Confratrum Sodalitatis B.M.V. *de* „monte Carmeli, videlicet beatiſſimam Virginem animas Fratrum & Confratrum in charitate decedentium, quæ in vita habitum geſtaverint, & „caſtitatem pro ſuo ſtatu coluerint, Officiúmque parvum de B. V. M. recitaverint, vel ſi recitare neſciverint, Eccleſiæ jejunia obſervaverint, & feria „4. & Sabbato à carnibus abſtinuerint, niſi ubi in iis diebus *Nativitatis* „Domini Feſtum inciderit; ſuis interceſſionibus *continuis*, *piisque* „ſuffragiis & meritis, ac ſpeciali protectione poſt eorum tranſitum, præcipuè in die Sabbati, qui dies ab Eccleſia eidem B. Virgini dicatus eſt, adjuturam.

Joſue. 15. 19.

Diploma Pauli V. Pont. Max. epitum año Dom. 1612.

De Jeremia refert Sacer Codex, quòd eum in lacum Melchiæ projecerint, in quo non erat aqua ſed lutum, ut ibi in cœno uſque ad collum merſus moreretur; ſed Abdemelech ejus miſertus veteres ſubmiſit pannos, quos per funiculos ad Jeremiam demiſit, & ſic eum de lacu miſeriæ & de luto fœcis rurſus in lucem eduxit: *Et extraxerunt Jeremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu.* Per hunc lacum & obſcurum barathrum rectè purgatorium intelligimus, in quod veteres dimittimus pannos, dum per SS Scapulare & merita B. Virginis Deum rogamus, quatenus animas de lacu hoc inferiori & umbra mortis miſericorditer liberare dignetur. Oportat hîc audire Bullam Clementis VII.

Jerem. 38. 13.

*Die*

Digitized by Google

„Die quo à ſæculo hujuſmodi purgatorium acceſſerint, ipſa Virgo glorioſa „Dei Genitrix Maria Sabbato ſequenti poſt illorum Confratrum ſeu Religio- „ſorum ac Sororum obitus, viſitando, à pœnis purgatorii hujuſmodi eorum „animas liberabit. Bulla Clementis VII. an. Dom. 1528.

Recordor hîc Petri Apoſtolorum Principis, qui, cùm aliquando non haberet, quo vectigal ſeu didrachma in Capharnaum ſolveret, juſſu Magiſtri ſui hamum in mare miſit, & in piſce capto ſtaterem invenit: *Vade ad mare, & mitte hamum &c.* Anima Chriſtiana! imitare Petrum, prehende hamum, SS. Scapulare, mitte illud in mare, hoc eſt, atteſtante D. Thoma Aquinate, in purgatorium, verè mare amarum, *Quia nullus*, ait idem, *in toto mundo amarior cruciatus invenitur*, & eris piſces & animas capiens. Matth. 17. 27. S. Thom. in Suppl. tertiæ partis.

6. Eliſæus ope pallii Eliæ, quod ab aſcendente in cœlum ad ſui memoriam huic digniſſimo Diſcipulo relictum fuerat, Jordanem diviſit, ſiccoque pede eum tranſivit: *Et elevavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reverſusque ſtetit ſuper ripam Jordanis &c.* Si vis, anime mi! ſecurè Jordanem (quod nomen idem eſt, quàm flumen judicii) in morte tua tranſire, arripe pallium Eliæ, hoc eſt, benedictum ſcapulare, ſerva regulas, ac Chriſtianè vivas, & tutus ante tribunal Chriſti comparebis. 4. Reg. 2. 13.

Loth Abrahami fratri è Sodoma egredienti Angeli ſuaſere, ut, ſi vitam & animam ſuam ab incendio ſalvare velit, ad montem ſe reciperet; *In monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas.* Æn non mundus iſte immundus ſimilis eſt Pentapoli plenus iniquitatibus? *Mundus totus*, ait dilectus Chriſti Diſcipulus, *in maligno poſitus eſt*, ubi S. Auguſtinus legit: *In malo igne poſitus eſt*, & Cornelius: *Experientia nos docet quàm mundus inſtar Sodomæ plenus ſit cupiditate, ſuperbiâ fraude, luxuriâ, gulâ, avaritia, omnique malo, &c.* Si vis ergo, anime mi! inter tot tentationes & pericula ſalvare animam tuam: *in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas*, hoc eſt, in monte Carmeli per SS. Scapulare, quod eſt clypeus & ſignum ſalutis, *in quo quis moriens æternum non patietur incendium.* Geneſ. 19. 17. 1. Joan. 5. 19. Cornel. hîc.

Abiathar Sacerdos, quia contra Salomonem cum Adonia conſpiravit, eumque in Regem unxit, pœnam mortis ob læſæ majeſtatis crimen commeritus eſt, ſed quia Davidi quondam fidelis extitit, & Arcam Domini portavit, ideò in vita à Salomone conſervatus fuit: „Abiathar quoque Sacerdo„ti dixit Rex: Vade in Anathot ad agrum tuũ, equidem vir mortis es, ſed ho„dīe te non interficiam, quia portâſti Arcam Domini DEI coram David Pa„tre meo. O Chriſtiane! toties rei facti ſumus criminis læſæ Majeſtatis, quoties lethale admiſimus delictum; quod autem de facto non in igne gehennali commeritas perſolvamus pœnas, gratias agamus Deo noſtro & Judici Chriſto, qui ob gratiam & interceſſionem SS. Matris ſuæ adhuc nobis pœnitentiæ ſpatium benignè indulſit: *quia portavimus arcam Domini*, hoc eſt, Sacratiſſimum Scapulare. 3. Reg. 2. 26.



Digitized by Google


7. De muliere illa Sarepthana pia & Religioſa recenſent Regum Annales, quòd Eliam Prophetam à facie Jezabelis fugientem non duntaxat hoſpitio receperit, ſed & famelicum, poſthabito quoque propriæ vitæ periculo, paverit: *Surge, & vade in Sareptha Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi Mulieri viduæ, ut paſcat te.* Subintrat hîc Auctor gravis Arnoldus Boſtius hiſce verbis Sacratiſſimam Deiparam alloquens: *Tu es illa Sarepthana, quæ etiam modo Patri Eliæ in filiis præbes refocillamen & hoſpitium, &c.* Non hîc tantùm in hac mortali vita ſedulam filiorum Eliæ in SS. Scapulari curam gerens, ſed & in altera quantocyùs illis æterna procurans gaudia. Audi, & perpende, Cliens Mariane! quomodo pius Auctor Ludovicus Bloſius nomine ipſius Sacratiſſimæ Deiparæ teſtetur: *Ego omnibus, qui mihi piè & ſanctè deſerviunt, volo in morte fideliſſime tanquam Mater piiſſima adeſſe; eosque protegere, ac conſolari*; imò & poſt mortem ſuis devotis Sodalibus in purgantibus illis flammis exiſtentibus benigniſſima Mater eſt, ita ipſa ad S. Birgittam: *Sum Mater omnium, qui ſunt in purgatorio; quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ſuis, in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur.* Age ergo quisquis es, homo Chriſtiane! imitare conſilium, quod Naamo Syriæ Principi forti & diviti ſed leproſo dederunt ſervi: *Pater, ſi rem grandem tibi dixiſſet Propheta, certè facere debueras; quantò magis, quia nunc dixit tibi: lavare & mundaberis.* Hoc & ego tibi dico: Si rem grandem tibi dixiſſem, certè facere debueras, quantò magis, quia nunc dico tibi: Accipe Scapulare, obſerva regulas, *& æternum non patieris incendium.*

3. Reg. 17. 9.
Arnold. Boſt in ſuo de Patronat. Virg. lib. cap. 1.
Lud. Bloſ. in Monil. cap. 12.
Lib. 4. Revel. c. 138.
4. Reg. 5. 13.

CON-

# CONSIDERATIO LXIX.

## Mater amoris & doloris ſingulariter invocanda eſt, ut in hora mortis nobis aſſiſtere dignetur.




## Tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.

*Eccleſia in hymno de B. V.*

1. SOlent ſerpentes in gramine latitantes (prout rectè obſervat Rupertus Abbas) contra homines non aperta vi, ſed dolis ac inſidiis pugnare, eóſque in calce à tergo mordere, & ſic veneno in totum corpus pro ſerpente interficere, unde Lemma ab Eccleſiaſtico mutuatum: *In ſilentio mordet*. Simili ferè modo antiquus ille ſerpens, ac generis humani hoſtis infenſiſſimus diabolus calcaneo hominis inſidiatur, eúmque quaſi à tergo mordere nititur; atque tunc præſertim omne virus ſuũ contra hominem exerere aſſolet, quando illi ex hac mortali vita ad judicium & ad longam, longiſſimã

Rup. Abb. in Geneſ. 3. 15.
Eccleſ. 10. 11.

Apoc. 12. 12. æternitatem migrandum eſt: *Væ terra & mari*, ait S. Joannes, *quia deſcendit*
*diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet*, ut hominem
moribundum ad ruinam & æternam trahat perniciem; proinde nihil in-
tentatum relinquit, quò tandem evadat victor. Et hoc eſt, ad quod alluſit ipſa
Veritas Deus, quando in paradiſo ſerpenti iſti tartareo, Evam ſeducenti, hanc
Geneſ. 3. 15. edixit ſententiam: *Et tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Et cur, obſecro, calcaneo?
Quare non oculis? Davidem conſule ob alienam Mulieris ſpeciem oculis ca-
2. Reg. 11. 2. ptum: *Vidit Mulierem ſe lavantem, &c.* Quare non auribus? Evam conſidera
faciles nimium aures ſerpenti præbentem: *Eritis ſicut Dii.* Quare non ori
aut gulæ? Divitem Epulonem attende: *Epulabatur quotidie ſplendide.* Quare
non manibus ac pedibus? Achan intuere: *Tulit aliquid de anathemate.* Quare
Geneſ. 3. 5. non cordi? „De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulte-
Luc. 16. 19. „ria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc ſunt, quæ coin-
Joſue. 7. 1. quinant hominem. Cur ergo dicit Dominus, quòd diabolus hominis in-
Matth. 15. 19. ſidietur calcaneo: „Et tu inſidiaberis calcaneo ejus?
S. Vincent. Obſerva: *Calcaneum*, inquit S. Vincentius Ferrerius, *quæ eſt ultima pars corpo-*
Ferr. ſerm. *ris, ſignat mortem.* Et doctiſſimus Alcuinus *Diabolus*, ait, *inſidiatur calcaneo no-*
1. de S. Petr. ad Vinc. Alcuin. hîc. *ſtro, quia extremum vitæ noſtræ acriùs oppugnat.* Sed Deo & Homini Chriſto lau-
Joan. 19. 27. des ſint im̃ortales ac infinitæ, quòd moriens in cruce Sacratiſſimam Matrem
ſuam nobis adverſus mortem patronam com̃endârit potentiſſimam: *Ecce*
*Mater tua*; dum enim morienti Filio ſub cruce fideliſſimè & non ſine ſum-
mo animi cruciatu adſtitit, datum illi peculiariter eſt, ut filiis quoque ſuis ſpi-
ritualibus ac clientibus in extremo vitæ articulo conſtitutis poſſit aſſiſtere,
eis opem ferre, & dæmonũ inſultus repellere. Et quemadmodũ luna nocti
Geneſ. 1. 16. præeſſe dicitur: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei,*
*& luminare minus, ut præeſſet nocti*; ita Sacratiſſima Deipara in articulo mortis,
quæ rectè cum nocte comparatur, ſuis dilectis Sodalibus, velut luna perfecta
Tolet. in Jo. & plena illuceſcit. Audi Eminentiſſimũ Toletum ſuper illud: *Mulier ecce Fi-*
19. 26. *lius tuus* ita loquentem: *Omnes nos curæ, protectioni & interceſſioni Virginis commen-*
*dat, nobis autem fiduciam confert, ut tanquam ad Matrem & Dominam in omnibus no-*
S. Bernhard. *ſtris confugeremus.* Et S. Bernhardus: *Gratias*, inquit, *age ei, qui talem tibi Media-*
ſerm. Sig. *tricem benigniſſima miſeratione providit*, quæ te neque in morte deſeret, ſed tibi
Magn. obviabit velut Mater honorificata: *Et nunquid oblivisci poteſt Mater infantem*
Iſa. 49. 15. *ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui?* unde rectè Eccleſia eam in hymno ſalutat:
*Maria Mater gratiæ, dulcis Parens clementiæ; tu nos ab hoſte protege, & horâ mor-*
*tis ſuſcipe.* Ita ô Domina! ita fiat: *Et horâ mortis ſuſcipe*; in quem finem
pro corpore noſtri Emblematis horologium adumbrari curavimus, ubi in-
dex digitus horam ſecundam monſtrat, hoc eſt, felicem, cum inſcripto:

## Utinam ſecundâ.

2. Hanc

Digitized by Google

2. Hanc mortis horam ſecundam ſibi optabat impius Balaam Propheta, non ignorans, quòd æternitas à morte & ultimo vitæ momento pendeat: *Moriatur*, inquiebat, „anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea „horum ſimilia. En quomodo mali, impii, athei & politici mortem felicem appetunt, ſed vitam bonam fugiunt; prudentius ergo, ſibique utilius Balaam dixiſſet: „Vivat anima mea vita juſtorum, ut moriatur morte juſtorum, quam tamen ſecundam mortem idolorum ille cultor ac fautor minimè invenit. O quantò feliciores vos eſtis, Clientes ac Sodales Mariani! quibus moriens in cruce Jeſus Sacratiſſimam Matrem ſuam in S. Joanne pariter in Matrem tradidit, neque enim illi ſufficiebat vos cœleſtis Patris ſui facere filios, niſi etiam, ut vos conjunctiores ſibi redderet, dilectiſſimæ Matris ſuæ filios efficeret: „Vos Filii excelſi omnes. Num. 23. 10 Pſal. 81. 6.

Elias, dum quondam per turbinem in curru igneo in cœlum evectus eſt, pallium ſuum Eliſæo optimo diſcipulo reliquit: *Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Plus Chriſtus, ubi per turbinem paſſionis in curru igneo S. Crucis im̃enſâ flagrans in genus humanum charitate receſſit, vobis, ô cultores Mariani, reliquit, dum Sacratiſſimam Matrem ſuam, quæ velut pallium ipſi in hac terra fuerat, carne humanâ eum veſtiens, & veluti pallio in utero obvolvens, vobis conſignavit. Eliſæus ope palli Eliæ Jordanem, id eſt, *flumen judicii*, ſicco pede tranſivit; vos, opitulante Virgine, felicem mortem obire, & ſortem optimam in judicio ſperare poteſtis: *Potentiorem enim*, ait S. Ildephonſus „ad placandam iram Judicis invenire non poteſtis, quam illam, quæ me„ruit Mater exiſtere ejuſdem Redemptoris & Judicis. 4. Reg. 2. 13. S. Ildephonſ. ſerm. 9. de Aſſumpt.

3. Cùm Barac ſtrenuiſſimus belli Dux contra Siſaram moveret exercitũ, cruento cum illo dimicaturus prælio, priùs ad Debboram Mulierem prudentiſſimã, juxta ac piiſſimã ſe contulit, cui inſinuavit: „Si venis mecum, vadam; „ſi nolueris venire mecum; non pergam; quæ dixit ad eum: ibo quidem te„cũ, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu Mulieris tra„detur Siſara. Ivit Barac, & à Debbora Prophetiſſa confortatus, ingenti fide ac ſpe rem aggreſſus, feliciter confecit, cujus etiam fidem com̃endat Hebræis Apoſtolus. Pugna & nobis im̃inet, Clientes Mariani! ex qua pendet felix, aut eheu nimiùm infelix æternitas. O quanti momenti iſta res eſt, ultimũ vitæ noſtræ momentum! huic Imperatorum, Regum ac Principum graviſſima cedunt negotia, quia ab illis temporalis, ab illo verò momento æterna pendet beatitudo; oportet ergo, ut de forti ac prudente Debbora nobis providamus, quæ nobiſcum ad hoc prælium ſe conferat, „ubi non erit nobis „colluctatio adversùs carnem & ſanguinem, ſed aversùs principes & pote„ſtates; adversùs mundi rectores tenebrarum harum; propterea accipite „armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo. Debbora autem hæc noſtra alia non eſt, quam Sacratiſſima Virgo Deipara, quæ jam Jud. 4. 8. Hebr. 11. Epheſ. 6. 12.



Digitized by Google

pridem antiqui illius ſerpentis caput contrivit; hanc, inquam, Sacratiſſimam, juxta ac potentiſſimam Heroinam ſtantem olim juxta crucem in cruento illo prælio, in quo ſathan confractus, & orbis redemptus eſt, ad ultimum certamen noſtrum ſæpiùs, imò quotidie humiliter ac impenſiſſimè invitemus,
Pſalm. 34. 10. *ut eripiat inopem de manu fortiorum ejus; egenum & pauperem à diripientibus eum.*

4. In Numerorum libro refertur, quomodo Dathan & Abiron Moyſi & Aaroni ſe opponentes unà cum familiis ſuis à terra abſorpti, & in inferni
Num. 16. 33. barathrum fuerint demerſi: *Deſcenderunt vivi in infernum*; & quare hoc? Quia *diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum.* Supra quod pulcherrime Richardus à S.
Richard. à S. Laurent. lib. de Laud. V. cap. 3. Laurentio: *Terra*, inquit, *MARIA eſt, quâ ſubtractâ deſcendimus in infernum viventes ſicut Dathan & Abiron.* O terra benedicta, de qua Propheta: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*
Iſa. 45. 8. Jeremias Propheta, quem DEI clementia imminente captivitate Babylonica ad populum miſit, ut eum ad pœnitentiam concionibus ſuis excitaret, mirandam aliquando viſionem habuit: *Et factum eſt Verbum Domini ad me,*
Jer. 1. 11. *dicens; Quid tu vides Jeremia? & dixi: Virgam vigilantem ego video.* Alii legunt & exponunt: *Virgam oculatam, vel oculos apertos & vigiles habentem.* Ad quid, obſecro, hæc virga vigilans & oculata? Virga hæc MARIA eſt: *Virga de radice*
Iſa. 11. 1. Num. 21. *Jeſſe*, vigilans ſemper in noſtrum commodum, clientúmque ſuorum æternam ſalutem, de qua & Balaam vaticinatus eſt: *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth*, hoc eſt,
Iſa. 39. 31. contrarias inferni poteſtates, *hac enim virgâ percuſſus pavebit Aſſur*, id eſt, diabolus & omnes ejus tartareæ legiones, Clientes Marianos in morte infeſtantes.

Moyſes quondam ope virgæ ſuæ, ingentium prodigiorum, operatrice, mare rubrum diviſit, & ſicco veſtigio Dei populum in terram promiſſionis tra-
Exod. 14. 16. duxit: *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & divide illud, ut gradiantur filii Iſraël in medio mari per ſiccum.* O beatiſſima Virgo! Mater viventium & morientium, tu per illam virgam adumbrata es, quâ opitulante turbulentum hujus ſæculi mare, ipſámque mortem feliciter poſſumus ſuperare, & ad patriam illam deſiderabilem, perpetuo melle & lacte manentem,
B. Pet. Dam. ſerm. de Aſſumpt. V. pervenire: *Hæc eſt*, ait B. Petrus Damianus, „virga illa, quâ retunduntur „impetus adverſantium dæmoniorum; virga Aaron per quam fiunt ſigna „& mirabilia. Baculum autem crucis intellige, quo non ſolùm verberatus „eſt, ſed occiſus ille inſatiabilis homicida, qui mortibus hominum paſcitur, „& nutritur; in Virgine virga & baculo cruce, miſerorum ſpes, & conſola-
Pſal. 22. 4. „tio continetur, ſicut ſublimis Propheta clarâ voce declarat: Virga, inquit, „tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

§. VI.

Digitized by Google

5. Vidit aliquando Jeſſæus Vates mentis ſuæ oculis Regis æterni ſolium & ad dexteram illius adſtantem Reginam mirabili ſplendore circumdatam, & auro, gemmiſque interlucentibus coruſcantem veſtimentis: *Adſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Per quam ſupernorum civium Reginam alii Eccleſiam, ſed Athanaſius, S. Gregorius Neocæſarienſis, Hugo Cardinalis, Alphonſus & alii, quos citat & ſequitur Thomas de Blanc, rectè Sacratiſſimam Deiparam, cœli terræque Reginam intelligunt, quam quondam Propheta Regius in ſpiritu non in throno regio ſedentem, ſed à dexteris Regis cœleſtis aſſiſtentem conſpicatus eſt: *Adſtitit Regina à dextris tuis.* Et quare non ſedit, ſicut quondam Reginæ Bethſabeæ ad dexteram Regis Salomonis filii ſui ſedes erat parata: *Poſitúsque eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus?*

Pſalm. 44. 10. — Le Blanc. hic. — Reg. 2. 19.

Adverte: *Stare*, inquit S. Auguſtinus, *auxiliantis eſt, & advocati officium deſignat.* Quia ergo hæc potentiſſima cœlorum & totius univerſi Regina MARIA non ſedens ad dexteram Chriſti ſupremi Judicis, ſed ſtans obſervata eſt, Advocatæ officium in ſe ſuſcepit: *Bene*, ait Hugo à S. Victore, *adſtitit à dextris tuis, tanquam noſtra patrocinatrix, gladium evaginandum peccatoris impediens.* Et doctiſſimus Idiotha: *MARIA*, inquit, *non ſedet, ſed ſtat, ut peccatores adjuvet, ut ipſos protegat*, præſertim in agone ultimo conſtitutos, atque cum tota æternitate colluctantes, quorum periclitantium in ſe curam Virgo peculiarem ſolet ſuſcipere. O ſi clamâſſent quinque illæ Virgines fatuæ non ſolùm! *Domine! Domine!* ſed & *Domina! Domina!* ſine dubio ad cœleſtes Agni nuptias fuiſſent admiſſæ; ſed quia nimis ſerò venerunt, non ſumentes oleum ſecum, & janua jam erat clauſa, ideò æternum fuerunt reprobatæ: *Neſcio vos.* O vocem tremendam, quæ quaſi tonitru & fulmen æternam in illas detonavit maledictionem: *Cùm dixit*, ait S. Chryſoſtomus, *Neſcio vos, nihil aliud quàm gehenna & intollerabilis cruciatus relinquitur; imò verò etiam gehennâ iſtud verbum gravius eſt.*

S. Auguſt. in Pſalm. 109. — Hugo à S. Vict. lib. 4. de Laud. V. — Idiota de Contemplat. Virg. — Math. 25. 11. — S. Chryſoſt. in hunc loc.

Et quid, quæſo, peccârunt fatuæ iſtæ Virgines? Dixi: Non ſumpſerunt oleum ſecum: *Oleum effuſum eſt nomen tuum*, ô beatiſſima Virgo. *Et clauſa eſt janua*; ſupra quod doctiſſimus Manſius: *Porta hæc MARIA eſt, janua cœli, ipſa eſt cœleſtis porta.* Væ ergo illi, cui hæc felix cœli porta in morte clauſa eſt; econtra *beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.*

Cant. 1. 2. — Manſ. in Feſt. Purif. diſc. 8. — Proverb. 8. 34.

6. David puer paſtoritius uno ex quinque limpidiſſimis lapidibus, quos ſibi in torrente ad pugnam ſelegerat, robuſtiſſimum gigantem feliciter ſtravit: „Et miſit manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit „& circumducens percuſſit Philiſthæū in fronte, & infixus eſt lapis in fronte e-„jus, & cecidit in faciem ſuā ſuper terram. Age anime mi! dū nunc tempus eſt,

1. Reg. 17. 49.

ma-

mature tibi de quinque ſimilibus provide limpidiſſimis lapidibus, hoc eſt, de Sacratiſſimo Nomine MARIÆ, quod quinque litteris, ceu pretioſis conſtat lapillis, in cujus Sacratiſſimi Nominis virtute in agone infernalem poteris ſuperare Goliam: „Ubi Nomen MARIÆ, (inquit Mellifluus) dæmonum nocumentum effugatur, quia Maria terribilis eſt, ut caſtrorum acies „ordinata.

S. Bernhard. in Cant.

Cæterùm inquirunt Sacri Doctores rationem, quare pretioſiſſimus orbis Reparator Chriſtus in cruce inter ſceleratos pendens dorſum contra Jeroſolymam converterit, & facie ad Occidentem ſpectârit: *Dorſum & non faciem oſtendam eis in die perditionis*? Item quare mœſtiſſima Virgo & Matrum omnium afflictiſſima in eadem Calvariæ rupe juxta crucem ſtationem ſuam ad aquilonem elegerit?

Jerem. 18. 17.

Ad primum reſpondet Antonius Spinellus: „Nec ſine myſterio Chriſtus in cruce Occidentem reſpiciebat, quia ſcilicet adverſus mortem, quæ „per occaſum ſignificatur, pugnabat: hoc etiam ſitu ad gentes in Occidenti „plaga poſitas, quarum Princeps erat Roma, perpetua Vicarii ſui ſedes futu„ra, oculo ſuæ miſericordiæ intendebat juxta illud Pſalm. 65. Oculi ejus ſu„per gentes reſpiciunt, &c. Doloroſiſſima autem Mater JESU partem Aquilonarem ad crucem tenebat, quia *ab Aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ*, ac tunc præſertim, quando illis cum dæmone, morte & tota æternitate erit colluctandum. Ibi ô peccator, circumdabunt te inimici tui, & coanguſtabunt te undique: ibi peccantem te quotidie, & non pœnitentem, timor mortis conturbabit te; ibi tædebit animam tuam vitæ ſuæ, eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ. Pro quàm horrenda te manet agonia, quàm formidabilis lucta, ſi te mors in peccatis ſterrentem occupaverit. O ſi cognoviſſes & tu, ô anime mi! & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, quantam ſecuritatem in morte tibi pariat vera & ſincera devotio erga Sacratiſſimam & doloroſiſſimam Matrem MARIAM; hanc proinde ſæpiùs & impenſiùs invoca, atque per dulciſſimum COR JEſu amantiſſimi Filii ſui quotidie roga, quatenus, ſicuti Chriſto in cruce pendenti & agonizanti adſtitit, ita etiam tibi in morte & agone, fortaſſe brevì, brevi venturo, aſſiſtere dignetur. Audi pro ſolatio memoratum Antonium Spinellum: „Singulari, (inquit) Dei beneficio Virgo Sanctiſſima humano „generi in præſidium tributa eſt, & ideò ad hoc ſignificandum verſus eam partem, unde mala ingruunt, Aquilonarem ſcilicet, ad dæmonum furo„rem reprimendum, dum ſtaret juxta crucem JEſu, conſtitit, quaſi civitas „refugii munitiſſima, ad quam peccatores à facie Aquilonis fugientes tuto ſe recipere poſſunt.

Anton. Spinell. in Throno B. V. cap. 25.

Jerem. 1. 14.

Luc. 19. 48.

Anton. Spinell. loc. cit. num. 2.

Venit hìc mihi in mentem ille Prophetarum Filius, qui tempore Eliſæi graſſante ingenti fame in regione, in agro colocynthidas, id eſt, cucurbitas agreſtes collegit; ut ex illis ſibi & cæteris Prophetarum filiis pulmentum

tum

tum coqueret; & ecce: „Cúmque guſtâſſent de coctione, clamaverunt,di- 4.Reg.4.40.
„centes: Mors in olla vir Dei, erat enim pulmentum illud amariſſimum, peſſimum ac perniciosum,& tanquam venenum mortiferum. Quid ad hoc Eliſæus? *Afferte*, inquit, *farinam*, quam cùm in ollam miſiſſet, „non „fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla.

Dic, anime mi! quid *homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis* morte amarius? *Siccine ſeparat amara mors?* Ah quantus pavor, quanta erit conſternatio, ſi imminens judicium & ſempiterni gehennæ cruciatus illius peccatis debiti, animo repræſentabuntur? Hîc enimverò de novo verificabitur: *Mors in olla*; tunc enim videbuntur illi omnes ſenſuales voluptates præteritæ velut amariſſimum draconum fel & venenum aſpidum inſanabile. Quid ergo in re tanti momenti conſiliorum, quia hîc ſemel periiſſe, æternùm periiſſe eſt? *Afferte*, dicebat Propheta, *farinam*, quæ amaritudinem pulmenti inſtar amyli leniat, venenum tollat, ac guſtui ſuave & ſapidum reddat. Per farinam iſtam nonnulli Doctorum & SS. Interpretum intemeratam ſemper Virginem ac DEI Genitricem MARIAM intelligunt, quæ mortis anguſtias clientibus ſuis mirum in modum indulcorare, iratúmque Judicem mitigare aſſolet; hinc Sponſus ad Sponſam: „Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis. De tritico habetur farina candidiſſima, & panis optimus cor hominis confirmans. O felix, qui in morte utroque gaudet & SS. Viatico & aſſiſtentiâ doloroſæ Matris, ſic nec quidquam amaritudinis erit in olla mortis.

Eccleſ. 41. 1. 1.Reg.15. 32. Cant. 7. 2.

8. Felix ille Sunamitidis filius, qui in ſinu genitricis ſuæ mortuus eſt: „Poſuit eum illa ſuper genua ſua usque ad meridiem, & mortuus eſt. Et quid ſequitur? Paulò pòſt adventante Eliſæo *oſcitavit puer ſepties, aperuitque oculos, &c.* Ecce qui mortuus credebatur, de novo feliciter ad vitam ſurrexit. O quàm felix ac beatus eſt ille MARIÆ Filius & Sodalis Marianus, qui in ſinu Matris ſuæ ſupremum poterit exhalare ſpiritum, ô quàm felix! quoniam illi reſurrectio debetur ad vitam meliorem, æternam ac feliciſſimam; & ſi amicus amicum non deſerit, quantò minùs doloroſa Mater te deſeret, ſi ejus fidelis amicus, filius ac cultor extiteris: *Fieri non poteſt*, ait devotiſſimus Bloſius, „ut pereat, qui MARIÆ ſedulus & humi- „lis cultor fuerit.

4.Reg.4. 20. Bloſ. in Canone vitæ ſpirit. c. 18.

Finem huic Conſiderationi imponat dilectus ille Chriſti Diſcipulus, de quo plures & magnæ auctoritatis Scriptores recenſent, quòd poſt glorioſam B. Virginis ac Matris DEI MARIÆ in cœlum aſſumptionem ingens eum inceſſerit cupido, hanc Dominam ac Mâtrem ſuam, à Chriſto in ligno morienti ſibi legatam, denuò in gloria cœleſti intuendi. Voti compos factus, & extra ſe raptus, JESUM & Sacratiſſimam Matrem ejus in immenſa ſpecta-

Pomer. lib. 3. de B. M. V. p. 4. num. 4. Et Juſtin. Micchov. Tom. 2. diſc. 379. & alii.


vit gloria, inter ſe tunc de decumanis illis tormentorum fluctibus in paſſione, cruce & morte quondam exantlatis, diſſerentes. Diſcurſu terminato, Filio ſupplicavit Mater, quatenus omnibus illis, qui piâ mente horum meminiſſent dolorum, aliquam, & gratiam ſingularem dignaretur impertire; annuit dilectiſſimus Filius Sacratiſſimæ Parenti ſuæ, & hæc quatuor ſpopondit dona. *1. Ut quisquis Virginem per ejus dolores precaretur, is ante obitum verum de peccatis dolorem impetraret. 2. Ut ipſius maximè inſtante morte præſidio muniretur. 3. Se ejus cordi ſupplicia ſua inſcripturum, & ideò mercedem magnam aliquando præſtiturum. 4. Se Matri jus omne dare & facultatem pro tali quidlibet impetrandi.* Tu, Tu, ſi ſapiens es, & non omnem negas humanam fidem, imitare hoc illuſtre exemplum, & Matris tuæ gemitus nunquam obliviſcere, ſi in morte tua illam habere diſcupis propitiam, ô quàm beatus tunc eris, ſi ſub illius umbra & protectione tuam in manus DEI commendabis animam. Finio cum S. Ephrem ita Sacratiſſimam Virginem deprecante: „Adeſto mihi nunc & „ſemper, ô Virgo Dei Genitrix, Mater miſericordiæ, benigna & clemens, „in præſenti quidem vitæ curſu fervens protectrix atque auxiliatrix, hoſtiles quoscunque impetus à me avertens, & in via ſalutis me „conſtituens, ac in extremæ vitæ articulo miſeram animam conſervans, &c.

S. Ephrem. in orat. ad Virg.

CON-

# CONSIDERATIO LXX.

## Matris amoris & doloris, verè Matris miſericordiæ amor beneficus in animas purgantes declaratur.




Reſpice in nos, & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum. *Eccl.* 26. 1.

1. DIverſi ſunt piſcandi modi. Sunt, qui naſsâ piſcantur, in quam quidem facilem piſces inveniunt ingreſſum, ſed revocare gradum, hoc illis opus & labor eſt. Et tali modo mundus ſuos capit piſces. Audi Socratem: *Quemadmodum* inquit, *piſces, ô adoleſcentuli! qui nondum intra naſſas ſunt volunt intrare, qui autem jam intus ſunt, volunt exire* (de matrimonio loquitur) *ſic & vos, ne idem vobis accidat, videte, & quid facitis,* Socrat. ap. Diez. 2. pag. verbo Mat.

Eccleſ. 9.12. Alii piſcantur hamo, cui exiguum affigunt vermiculum, quo ineſcantur, & capiuntur *Sicut piſces*, ait Eccleſiaſtes, *capiuntur hamo, ſi. capiuntur hominis in tempore malo.* Ita piſcari ſolet dæmon, leviſſimâ & ſpurciſſimâ carnis voluptatulâ homines incautos ineſcans & capiens. Juvat hîc audire S. Auguſtinum: „Gaudet piſcis (inquit) quando hamum non videns, eſcam „devorat: Sed cùm piſcator eum adducere cœperit, viſcera ejus torquen„tur primo, primo, deinde ab omni lætitia ſua per ipſam eſcam, de qua læ„tatus eſt, ad conſumptionem trahitur. Sic ſunt omnes, qui de bonis tem„poralibus beatos ſe eſſe putant, hamum enim acceperunt, & cum illo ſibi „vagantur. Veniet tempus, ut ſentiant, quanta tormenta cum aviditate de„voraverint. Unde Habacuc: „Facies hominis quaſi piſces maris.

S. Auguſtin. de Agone Chriſtiano cap. 7.

Habac. 1.4.

Sunt, qui retibus jactis æquoream inducunt prædam, ita jubente Domino piſcati ſunt Apoſtoli: *Laxate retia veſtra in capturam.* Sic Divina providentia etiamnum hodie piſces ſuos electos, hoc eſt, homines ad gloriam prædeſtinatos in retia adducit; ubi obſervandum, quòd retia ex meris crucibus ſint intertexta, quos enim per beneficia non capit Divina miſeratio, hos crucibus & tribulationibus immiſſis ad ſe compellit, ubi verificatur illud S. Gregorii Magni: *Mala, quæ nos premunt, ad DEUM ire compellunt.*

Luc. 54.

Multi in piſcando utuntur verriculo, in cujus utriculum latitantes in littore piſces, vi, baculis & pedibus ocreatis trudunt. Tali modo Concionatores zeloſi ac PP. Confeſſarii animas in limo profundi hærentes, & in cœno peccatorum immerſas capere ſolent: ad quod alluſit Veritas: *Compelle intrare.*

Luc. 14. 24.

Eſt & alius piſcandi modus, qui in lacubus & ſtagnis, in quibus ad triennium ordinariò ſunt inſerti piſces, adhiberi ſolet, ubi aquâ per cuniculos & foſſas dimiſſâ, facili conatu piſces in limo & arena ſaltantes etiam manibus poſſunt comprehendi. Ita quondam piſcatus eſt Cyrus Rex, prout auctor eſt Herodotus, & etiamnum Illuſtres ac Nobiles in ſuis dynaſtiis & prædiis lacus ſuos ſuccidunt, ubi etiam in arido piſces manibus captant. Jucundum ſpectaculum, quod tamen omnes tangit. En typum, quomodo mors, velut piſcator generalis omnes natitantes in gurgite hujus ſæculi piſces capiat, & in triumphum ducat: „Simile eſt regnum cœlorum ſaginæ miſſæ in mare, & ex „omni genere piſcium congreganti, quam, cùm impleta eſſet, & ſecus littus „ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit „in conſummatione ſæculi, &c.

Matth. 13.47

Denique eſt alius piſces capiendi modus, dum de nocte intempeſta ac quieta piſcatores in navicula lucernam accendunt, ad cujus ſplendorem è ſuis cavernis ac foraminibus piſces turmatim egrediuntur, & ſic piſcatoribus in optatam prædam cedunt, quem piſcandi modum hîc in noſtro Emblemate adumbrari juſſimus, cum inſcripto:

Veniunt ad lucem.

Et

Digitized by Google

Et nunquid, anime mi! beatiſſima Virgo & Mater amoris & doloris lux eſt? Lucerna ardens? & lumen indeficiens? *Lux plena*, ait Sinaita, *quæ nunquam deficit*; *Lucerna*, inquit S. Cyrillus *inextincti luminis*; *Lumen*, ait S. Ephrem, *totius orbis*, ad quam in tenebris & in umbra mortis ſedentes, imò potiùs in lacu igneo ac flammeo purgatorii, velut piſces natantes, animæ aſſiduò reſpiciunt, ac ingeminant: *Reſpice in nos, & oſtende nobis lumen miſerationum tuarum.*

Sinaita lib. 6. contempt. S. Cyrill. hom. 6. contra Neſtor. S. Ephrem. de Laud V. Eccleſ. 26. 1.

2. Hanc veritatem pulcherrimè adumbravit Eccleſiaſticus, dum de hac cœli terræque Regina & Matre miſericordiæ ita quondam vaticinatus eſt: *Gyrum cœli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi: in fluctibus maris ambulavi.* O quomodo hoc, ô beatiſſima? Qualem abyſſum penetrâſti? Et in quibus maris fluctibus ambulâſti? Quod Sacratiſſima Deipara animarum in purgatorio luentium, dum adhuc in hac mortali degebat vita, peculiaris extiterit patrona, nullus ſanæ mentis ibit inficias, ad hoc enim alludit Gerſon; quia juxta SS. litterarum teſtimonium *ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Ex quo rectè & prudenter infert, quòd etiam mens Sacratiſſimæ Virginis ejusmodi ſanctis ac ſalubribus cogitationibus fuerit occupata, & pro animarum purgantium liberatione non rarò ardentiſſimas ad Deum preces fuderit. Sed quòd poſt glorioſam in cœlum aſſumtionem gyrum cœli circuierit, profundum abyſſi penetraverit, & in fluctibus maris ambulaverit, hoc equidem mirabile eſt, & ſenſibus noſtris imperceptibile.

Eccleſ. 24. 8. Gerſon. ſerm. 1. de def. 2. Mach. 12. 46.

Juvat hîc pro argumenti & conceptûs noſtri ſolutione audire S. Bernhardinum Senenſem: „Beata Virgo, (inquit) in regno purgatorii dominium tenet, propterea inquit: Et in fluctibus maris ambulavi; pœna ſiquidem purgatorii ideò dicitur fluctus, quia tranſitoria eſt, ſed additur maris, quia nimirum eſt amara, & ab iis tormentis liberat beata Virgo maximè devotos ſuos, ſcilicet viſitans, & ſubveniens neceſſitatibus & tormentis devotorum ſuorum, imò & omnium, qui ibi exiſtunt, quia filii ejus ſunt, cùm ſint filii gratiæ; & in gratia confirmati, atque de gloria certificati. Hucuſque S. Bernhardinus Senenſis & optime.

S. Bernhardin. Senenſ. ſerm. 3. de nomine Mariæ. c. 2. cap. 3.

Eandem veritatem confirmat memoratus Gerſon, qui aſſerit, Sacratiſſimam Deiparam, cum ad cœleſtem gloriam ſuper omnes Angelorum choros nunc exaltanda à Sacratiſſima Trinitate aſſumeretur, hanc à Filio peculiarem impetrâſſe gratiam, ut totum purgatorium evacueretur: „Piè credo, (inquit Gerſon,) Dei privilegio in Virginis aſſumptione evacuatum eſſe purgatorium: dum enim Princeps coronatur, aperiuntur carceres, quantò magis in coronatione Deiparæ.

Gerſon ſup. Magnificat.

Sed & in aliis principalioribus feſtivitatibus per annum pretioſiſſima Virgo viſitare ſolet purgatorium. Audiatur hîc Dionyſius Carthuſianus: „Beata Virgo, (inquit) ſingulis annis in Feſto Nativitatis Chriſti ad purga- „torii loca cum multitudine Angelorum deſcendit, & multas inde animas „eripit, quoniam in nocte ſolemnitatis illius Chriſtum Regem gloriæ pepe- „rit; etiam nocte Dominicæ Reſurrectionis ſolet deſcendere ad purgatori- „um pro eductione animarum, eò quòd Chriſtus nocte illa Sanctos de lim- „bo eduxit.

Dioniſ. Carthuſ. ſerm. 2. de Aſſumpt. B. V.

3. O ſolicida Mater, quæ tantam ſuorum filiorum ac clientum gerit curam! Jochabed filioli ſui Moyſis peculiarem curam habuit, dum *enim in* fiſcella benè clauſa & bitumine oblita abſcondit, & ne totam familiam impii Pharaonis objiceret furori, eum in Nili ripa in carecto, in loco paluſtri denſis juncis & caricibus ſepto, ne ſtatim infans aquarum impetu abriperetur, expoſuit: „Cumque jam celare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, „& linivit eam bitumine ac pice; poſuitque intus infantulum, & expoſuit „eam in carecto ripæ fluminis. Majorem animarum in purgatorio expoſitarum curam habet pientiſſima Virgo Maria, quas non pœnarum exponit fluctibus, ſed ingenti miſeratione inde eripit: „Ego ſum, inquit ipſa ad S. Brigittam, „Mater omnium, qui ſunt in purgatorio, quia omnes pœnæ, „quæ debentur purgandis pro peccatis ſuis in qualibet hora per preces meas „quodammodo mitigantur.

Exod 23.

S. Birg. lib. 16 Rev. c. 59.

Sunamitis mulier illa honorata, opibus & pietate *celebris*, ubi per immaturam mortem filium ſuum perdidit, nullam ampliùs *requiem* habuit, donec tanto dolori inveniret lenimen: „Cumque veniſſent ad virum Dei in „montem, apprehendit pedes ejus: & acceſſit Giezi, ut amoveret eam, & „ait homo Dei: Dimitte illam, anima enim ejus in amaritudine eſt, quam ubi Eliſæus conſpicatus & contemplatus eſt, ejus miſeriis *condolens*, *filium* mortuum ingenti prodigio ad vitam revocavit. Plus Mater *amoris & doloris* ſpirituales filios ſuos diligit, pro quibus non ceſſat, ſi ad purgatorii ignem juſto Dei judicio ad tempus adjudicantur, apud Divinam Clementiam ſeſe ut Mediatricem interponere, donec eos è tenebris & umbra mortis ad meliorem vitam & lucem perducat ſempiternam.

4. Reg. 4. 27

Eſther omnium Hebræorum tum temporum intervallo ad lanienam & mortem deſtinatorum ſolicita Mater effecta eſt, dum pro eorum ſalute liberè ſeſe Regis furori objecit: „ Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & ſi tibi „placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro „quo obſecro. Plus Maria, quàm Eſther, verè omnium afflictorum, ac præſertim animarum purgantium non tam Conſolatrix, quàm & Mater, dum affectu plus quàm materno ſuis clientibus in ſubſidium venire aſſolet, quod clementiſſima Virgo ſervo ſuo V. P. Hieronymo Carvallio è Soc. Jeſu

Eſther 7. 3.

Ro. Exempl. l. 3. c. 3. n. 24.

dc.

Digitized by Google

de animæ ſuæ ſalute valde anxio intimavit: *Matrem ſe eſſe non ſolùm in hac vita,ſed etiam in altera.*

4. O felix mendice,quem utpote ab utero matris ſuæ claudum quotidie Hieroſolymis ad portam templi ſpecioſam (ita cognominatam, quòd omnium portarum eſſet maxima & elegantiſſima, ex ære Corinthio facta, per quam principalis in templum erat introitus) ſolebant portare,ut ibidem præ foribus ab introeuntibus eleemoſynam peteret,& exciperet. cui exinde Petrus loco eleemoſynæ in virtute Sacratiſſimi Nominis JEſu integram ſanitatem reſtituit: *Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa*,&c. Actor. 3. 2. O animæ purgantes,verè pauperculæ & miſeræ,quæ fortè jam longo tempore ad ſpecioſam templi cœleſtis portam jacetis deſertæ; *claudæ*, quia juvare vos ipſas non valetis; *mendicæ*, quia nihil omnino poteſtis mereri, & alienâ oportet vivere miſericordiâ, *infauſtæ*, quia non in lecto aut plumis cum illo claudo, ſed in ardentiſſimis prunis decumbitis: *Gravior*, inquit S. Auguſtinus, *erit ille ignis, quàm quidquid homo poteſt pati in hac vita.* Hoc ſolùm vobis ſolatio eſt,quia cum illo claudo *ad portam ſpecioſam* vobis licet colligere eleemoſynam; porta hæc ſpecioſa B. Virgo MARIA eſt: *Porta libertatis*, ita eam appellat Doctor Seraphicus: *Porta cœlorum*, ita S.Ephrem: *Porta lucis fulgida*, ita Eccleſia,& alio in hymno: *Felix cœli porta*, quæ pientiſſima Mater vos non deſeret, ſi eam, prout decet, in vita amâſtis & venerati eſtis, vel ipſo Chriſto teſte apud S. Birgittam: „Tu es Mater mea,tu Regina cœli, tu Mater miſericordiæ, tu Conſolatrix eorum, qui ſunt in purgatorio. In cujus veritatis teſtimonium S.Birgitta refert,animam cujuſdam militis,qui in pervigiliis Feſtorum B. Virginis per annum jejunium ſervare,ſæpiusque ſacrum Officium recitare conſueverat,per interceſſionem Sacratiſſimæ Matris DEI à tribus graviſſimis tormentis,quibus in illo igne purgante addicta erat, fuiſſe liberatam, quam animam Chriſtus Dominus dulciſſimæ Matri ſuæ hiſce verbis donavit: „Benedicta ſis Mater chariſſi„ma,tibi nihil negari poteſt, fiat voluntas tua, ut petiſti, ita fiat.

S.Aug. in Pſal. 37.

S. Bonav. in Pſal min. quinq. S. Ephr. loc. cit. Eccleſ in hym. S. Birg. l. 1. Revel. & lib. 6. c. 30.

5. O felix Paralytice! qui triginta & octo annos ad piſcinam probaticam jacebas,hominem auxiliatorem non reperiens,qui cùm aqua ab Angelo movebatur, te in hanc medicinalem miſiſſet piſcinam. Cauſa tanto tempore dilatæ ſanitatis erat, quia *hominem non habeo.* Et ecce, ubi deſinunt humana,incipiunt adeſſe auxilia Divina,dum ipſe DEI Filius huic miſello dignatus eſt ſuccurrere, eò, prout obſervat Gulielmus Tyrius & Cajetanus,quia jacebat ad piſcinam, quæ beatiſſimæ Virginis ac Matris DEI inſignis typus fuit, ibi enim, atteſtante S. Damaſceno, in lucem nata eſt: *In lucem*, inquit, *editur Virgo in domo probatica.* Dic anime mi! quale ac quantum erit tormentum per tot annos detineri in igneo ac flam-

Joan. 5. 5.

S. Joa. Damaſc. l. 4. de fide Orthod.

meo

Matth. 5. 26. meo carcere, & expectare, usque dum „reddatur noviſſimus quadrans? Hinc rectè Venerabilis Beda in illa verba Pſalmi trigeſimi ſeptimi: „Domine, ne „in ira tua corripias me, docet: „Illam correctionem eſſe graviorem, quam „quid unquam paſſi ſunt latrones, vel ſancti Martyres, vel quidquid gravius „excogitare poteſt homo. O tormentum! heu quot miſeræ animæ cum illo Paralytico in hoc loco pœnarum ingemiſcunt: „Hominem non habeo. Verùm conſolamini, dilectæ animæ! conſolamini, inquam, en habetis ipſam DEI Matrem, quæ, ſi aliquando, ut veri clientes illam amâſtis, vobis quantocyùs ſuccurret, commeritámque mitigabit pœnam, ita ipſa ad D. Birgittam: „Nulla eſt pœna in purgatorio, quæ propter me non *remiſſior* „erit, & lenior ad ferendum., quàm aliter eſſet. Joannem Ximenium è Societate JESU conſule, cui in Feſto OO. SS. coram imagine SS. Deiparæ oranti ſcrupulus incidit ob exiguam erga animas in igne purgante lucentes compaſſionem, ad quem apertâ voce B. Virgo: „Ximene! memor „eſto animarum purgatorii; cui cœleſti voci ipſe quantocyùs reſpondit: *Ita faciam*; Et ab illo momento usque ad felicifſimam mortem omnia bona ſua opera in ſuffragium animarum in purgatorio exiſtentium obtulit. O ſi ſimilem effectum apud te obtineret, optime Lector! hæc B. Virginis ac Matris DEI admonitio: „Ximene! memor eſto anima- „rum purgatorii:

S. Birg. Revel. l. 4. c. 10. Vita P. Balt. Alvarez. cap. 45.

6. O felix Jerichuntine! qui quondam in latrones incidiſti, à quibus non duntaxat omnibus ſpoliatus es bonis, ſed & cruentis ac *lethalibus* afflictus plagis. Felix tamen, quia in auxilium tibi venit *mitiſſimus Samaritanus*: „Et appropians alligavit vulnera, infundens oleum & vinum. O charæ animæ in purgantibus exiſtentes flamis, vos per illum Jerichuntinum præſignatæ eſtis, dum pari modo in latrones (dæmones) incidiſtis; ſed *felices* in hoc, quia à cœli Jeruſalem licet nunc extorres, attamen ab illa *excluſæ non* eſtis; & habetis inſuper optimum Samaritanum, Chriſtum *JEſum & hunc* Crucifixum, qui in vulnera veſtra vinum, id eſt, Sacroſanctum Sanguinem ſuum in redemptionem veſtram & lytrum liberaliter infundit, plagiſque ſuis veſtra curat peccatorum vulnera. Habetis & Matrem doloroſam ſub cruce ſtantem, quæ oleum miſericordiæ vobis ſubminiſtrat, quia *oleum effuſum nomen ejus*; & ſicut oleum urinatoribus, bonas margaritas in fundo maris quærentibus, perſpicuitatem afferre, & mare inquietum ſedare ſolet; ita miſericordiæ Mater amaros illos purgatorii fluctus ſedabit, viámque oſtendet, quomodo animæ, pretioſæ illæ margaritæ, ad lucem æternam ſecurè poterint pervenire. O Sodales Mariani! hîc non oportet imitari Sacerdotis illius legalis inhumanitatem, qui horrore plagarum moribundi illius perculſus, retrorſum abiit: Nec Levitæ, qui ejusdem erat farinæ & inhumanitatis, quia, ſi defunctis non datis ſubſidium, vobis ipſis negatis, dum

Luc. 10. 34.

Cant. 1. 2.

dum illi in luſtrali igne morantur, qui veſtram in cœlo apud Deum ſine intermiſſione procuràſſent ſalutem, ſi veſtro beneficio ad immenſam illam gloriam perveniſſent. Proinde ſæpiùs & impenſiùs pro ejusmodi in purgatorii igne detentis orandum erit animabus. *Oremus*, inquit S. Clemens Papa, *pro fratribus noſtris, qui in Ch iſto requieverunt, ut Deus, qui animam defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum.* S. Clemens. Rom. l. 5. Apoſt. Conſtit. c. 4.

Oremus & Matrem miſericordiæ, ut & ipſa ſuam addat efficaciſſimam interceſſionem, ita adhortatur nos S. Mater Eccleſia Catholica, cùm pro defunctis orat, ibi omnes animas fideles, quæ ex hoc ſæculo tranſierunt, SS. Deiparæ commendat: *Intercedente*, ait *B. MARIA ſemper Virgine cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas.* Ita re ipſa expertus eſt V. P. Roboaldus Ord. Prædicatorum, qui, cùm die quadam in ara B. Virginis incruentum miſſæ ſacrificium pro defuncto quodam fratre ex eadem Divi Dominici familia offert, cœlorum Reginam vidit immenſo ſplendore circumdatam, & maternis brachiis ſuis animam fratris ſui geſtantem: *En*, dicebat, *amicum tuum, pro quo ſacrificas, Sacro peracto, adi Priorem, & ea, quæ vidiſti, refer.* Ferd. de Caſtiglio in hiſt ord. libr. 1. c. 34.

Moveat te, Sodalis Mariane! ad ferendam animabus fidelibus opem gratiſſimus illarum animus, quia benefactoris ſui nunquam in cæleſti gloria erunt immemores, & ſalutis illius promovendæ ſemper ſtudioſiſſimæ. Gratus erat Aſſuerus Rex Mardochæo, quia hunc ſuum Principem ab inſidiis Bargathanis & Thares eunuchorum eripuit: „Mardochæus igitur de palatio & de „conſpectu Regis egrediens, fulgebat veſtibus regiis, hiacynthinis videlicet & „aereis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio, atque „purpureo, omnisque civitas exultavit, atque læata eſt. Gratior erit in cœlo anima liberata ſuo benefactori, cui in omni neceſſitate ac præſertim in agone, ex quo pendet æterna ſalus, benignè ſuccurret. Venerabilem P. Cherubinum Spoletanum interroga, cui agonizanti S. Hieronymus glorioſus apparuit, qui ei ſexaginta millia animarum, quas è penoſo iſto carcere liberavit, & quas per vitæ curſum per zeloſas ſuas conciones Deo & cœlo lucratus eſt, ingenti gloriæ ſplendore circumdatas monſtravit, quæ omnes huic moribundo ſuo benefactori venerunt in ſubſidium, ejusque egredientem animam cum jubilo ad cœleſtem patriam comitatæ ſunt. O felices, qui tales ſibi in vita conciliant amicos, ut, cùm aliquando defecerint, ab ipſis ad æterna recipiantur tabernacula. Eſther 8. 15. P. Euſe ch. in arte moriendi Exhort. 19. Luc 16. 9.

Gratus erat Abrahamo Rex Sodomorum, dum ſubditos, ab hoſtibus abductos, & cum illis Lothum ſuum fratrem captivum per vernaculos ſuos trecentos decem & octo reſtituit, quod beneficium tanti Rex ille fecerat, ut omnes redemptorum divitias Abrahamo in ſignum grati animi obtulerit; cui victori ac benefactori, qui tot animas à captivitate in libertatem aſſeruit, & Rex Salem Melchiſedech benè precatus, benedixit.

Gen. 14. 18. *At verò Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creavit cœlum & terram, &c.* Quanto magis erunt gratæ liberatori ſuo animæ Chriſtianæ, à tam miſera captivitate liberatæ, & è tantis erutæ tormentis? in æternum laudabunt nomen ejus, & in omne ævum eum ut patronum venerabuntur, & ut patrem amabunt.

Gratus erat Joſue, omniſque electus Dei populus Rahabæ mulieri Jerichuntinæ ob ſervatos exploratores, cujus domum & omnem familiam in Joſue 6. 25. communi urbis excidio conſervantur immunem; *Domum patris ejus, & omnia quæ habebat, fecit Joſue vivere, &c.*

Gratus erat Joacim ſummus Sacerdos, Ozias princeps & omnis populus Judithæ, benefactrici optimæ, maximæ, imò & Matri patriæ, quod illius ope & induſtria à tanta ſtrage & perditione fuerint liberati, cui ingrati animi teſſeram ex præda collecta, quâ Bethulienſes ditati ſunt univerſi, omnem Judith. 15. 14 Holofernis theſaurum ac pretioſa quæque offerebant: „Porro autem univerſa, quæ Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Judith in „auro & argento, & veſtibus & gemmis, & omni ſupellectili, & tradita „ſunt omnia illi à populo. Non minùs ſuis fautoribus gratæ ſunt animæ è purgatorii flammis exemptæ, quàm fuit ille populus Iſraëliticus Judithæ? quibus longè major grati animi ſenſus ineſſe ſolet: quæ animæ liberatæ, nunc chariſſimæ Sponſæ Regi Regum Chriſto JESU & SS. Matri ejus pro ſuis Salvatoribus & Patribus, qui eas cœlo genuerunt, non ceſſabunt ſupplicare, quatenus & ipſi ex omnibus malis liberati ad immenſam illam & cœleſtem aſſumantur gloriam. Accedit, quia & SS. Deipara cœlitum Regina Matth. 10. 42 valde tenero amore proſequitur purgantes animas, quarum & ipſa Mater eſt? *quod ergo uni ex his minimis feciſtis*, Clientes Mariani! *& MARIÆ feciſtis*; & quemadmodum Deus & Homo Chriſtus Pater miſericordiarum eſt, & Eccl. 26. 1. Deus totius conſolationis, ſic B. Virgo Mater eſt miſericordiæ, cujus amor in purgantes animas omnium matrum excedit amorem. Finio, prout incepi: *Reſpice in nos, & oſtendi nobis lucem miſerationum tuarum.*

EPI-

# EPILOGUS.

## Cum Matre doloroſa per multas cruces & tribubationes oportet nos intrare in regnum DEI.




**Requievit arca ſuper montes Armeniæ.**
*Gen.* 8. 4.

1. NUlla victoria ſine præeunte pugna, nullus honor ſine onere, nulla pax ſine bello: *Non eſt corona*, ait Os aureum, *ſine certamine, non æſtas ſine hyeme, meſſis ſine labore, regnum Chriſti ſine cruce.* S. Chryſoſt. ho 4. ad Caſſ. Quærunt ſacri Doctores, quare mitiſſimus orbis Reparator Chriſtus poſt glorioſam à mortuis reſurrectionem dulcem mellis favum guſtaxerit: *At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis?* In promptu cauſa eſt, ſubintrat hîc Jacobus de Vitriaco, Luc. 24. 24. quia priùs in paſſione & cruce guſtavit amariſſimum fel: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum;* poſt exantlatos au- Math. 27. 34.

 tem

tem tot labores & cruciatus nunc ut glorioſiſſimus de morte Triumphator ſuaviſſimum mel manducabat, ut inſinuaret, quòd

*dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.*

Dic anime mi! quis poſt Chriſtum de hoc amaritudinum calice plus omnibus bibit, quam SS. Virgo & Mater doloroſa? Joſeph Ægyptiorum Pro-Rex omnibus quidem fratribus ſuis tempore famis frumentum & pecunias ſubminiſtravit; ſed Benjamino fratri ſuo juniori etiam calicem ſuum occultè in ſaccum immiti juſſit: *Scyphum autem meum argenteum pone in ore ſacci junioris.* Et quare hoc? Nunquid Joſeph hunc ſuum & germanum & uterinum fratrem plùs cæteris omnibus adamavit? Quare ergo illum reum rapinæ ſtatuit, & duriùs, quàm reliquos, tractavit? Amor hoc fecit, ait S. Ambroſius, hoc ipſo quia plùs ipſum dilexit, plùs eum cruciavit: „Scyphum miſit, ut fratrem „quem diligebat, piâ fraude revocaret; reum ſtatuit rapinæ; ut obſidem tene- „ret gratiæ, O tormenta miſericordiæ, amat & cruciat! Et quis unquam filio- „rum plus dilexit matrem ſuam, quàm dulciſſimus JEſus? An non Cor JEſu erat Cor Mariæ? *Audacter dico*, ait B. Virgo ad S. Birgittam, *quod dolor ejus erat dolor meus, quia Cor ejus erat Cor meum.* Quare ergo hanc Sacratiſſimam & innocentiſſimam Matrem ſuam tam durè in hoc mundo habuit, & calicem paſſionis velle amariſſimo miſtum primò inter omnes huic SS. Genitrici communicavit? *O tormenta miſericordiæ: amat & cruciat!* ut illam magis in cœlo exaltaret, ejusque merita per omnem æternitatem coronanda, in immenſum augeret, ideò plùs omnibus humiliavit, plùs cruciavit.

Gen. 14. 2.

S. Ambr. hîc de Joſeph & S. Gregor. M.

S. Birg. lib. 1. Revel.

Pro Symbolo Arcam Noëmicam conſidera turbulentis hactenus atque decumanis jactatam fluctibus, per quorum tamen impetum non eſt confracta, ſed magis exaltata eſt. Tandem ubi feri illi diluvii fluctus menſe ſeptimo nonnihil decreſcebant, arca in ſummis Armeniæ montibus placidè quieſcere cœpit; proinde rectè illi pro Lemmate inſcribes: *Erigitur, dum concurritur.* Vel illud Picinelli: *Vexavit, & extulit*; aut ſi magis arridet:

## Non mergitur, ſed extollitur.

*Arca Noë ſalutaris*, ait Heſichius. *SS. Deipara eſt*, hactenus per vitam, quaſi in immenſo tribulationum pelago jactata; ſed eò magis nunc exaltata in cœlo, quò plùs in terra fuit humiliata. Juvat hîc audire Mellifluum: „Arca Noë (inquit) ſignificavit arcam gratiæ, excellentiam ſcilicet MARIÆ: „Sicut enim per illam omnes evaſerunt diluvium, ſic per iſtam peccati nau- „fragium. Illam Noë, ut diluvium evaderet, fabricavit: Iſtam Chriſtus, „qui eſt pax noſtra & requies, ut humanum genus redimeret, ſibi prærpara- „vit, Per illam octo animæ tantùm ſalvantur, per iſtam omnes ad æternam „vitam (quæ per octonarium numerum ſignificata eſt) vocantur. Per illam

Heſich. ſer. 2. de Deip.

S. Bernh. ſer. de B. Maria. tom. 2.

„pau-

Digitized by Google

„paucorum facta eſt liberatio, per iſtam generis humani ſalvatio. Illa cen-„tum annorum fabricata eſt ſpatio, in iſta omnium virtutum eſt perfectio, „Illa facta eſt de lignis lævigatis;iſta de virtutibus conſummatis ædificata eſt. Illa ſuperferebatur aquis diluvii, iſta non ſenſit naufragia illius vitii. Adamus nos. Illa poſt ſuperatam tam diuturnam ac horrendam diluvii tempeſtatem tandem placidè in ſummis Armeniæ montibus quievit: *Requievit Arca ſuper montes Armeniæ*; iſta nunc poſt toleratum tam cruentum paſſionis diluvium ſuper omnes Angelorum choros exaltata in ſummis cœlorum montibus & collibus æternitatis Deo proxima in ſempiterna pace placidiſſimè quieſcit, ac triumphat. En *vexavit*, *& extulit*. Gen. 8. 4.

2. Miraberis, Lector prudens, quare SS. Evangeliſtæ, qui tam exactè Chriſti JEſu paſſionem conſcripſere, tam pauca de doloroſa Matre commemorarint; ſolus Joannes hujus afflictiſſimæ Matris Dei aliquam mentionem, ſed quaſi per tranſennam facit, dum aſſerit; *Stabat autem juxta crucem JEſu Maria ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleopha, & Maria Magdalene*. Et quare tam pauca? Obſerva: Probè agnoſcebant Sacri Evangeliſtæ, utpote ſuperiore ſpiritu illuminati, nulla hîc ſibi ſufficientia ſuppetere verba, quæ tantorum dolorum & afflictionum acerbitatem pientiſſimæ Matris Dei pro dignitate poſſent exprimere, proinde ſilere magis, quàm loqui placuit: ſolus autem S. Joannes amantiſſimus ejus cliens futuræ humanæ mortalitati conſulens, hanc doloroſiſſimam Matrem ſub cruce ſtantem Laconico verbo & ſtylo propoſuit: *Stabat autem juxta crucem JEſu Mater ejus*; per quod implicitè & reliquos omnes afflictiſſimæ Matris JEſu dolores abundantiſſimè explicavit, rationem aſſignat Reverendiſſimus Fridericus Fornerus Epiſcopus Hebronenſis & Suffraganeus Bambergenſis: „Nam Vulnera Chriſti patientis, (inquit) erant vulnera etiam Matris condolentis: omneſque ictus Corpus Chriſti cruciantes animam Virginis repercutiebant; & erat veluti cera ſigillata, „in qua ad vivum exprimebantur: erat echo per quem gemitus reſonabant, & „velut copia, in quam ex originali Chriſto omnes illi dolores, nullo dempto transferebantur, &c. Proinde ſufficit S. Joanni hoc unicum verbum *ſtabat*. Ubi ulteriùs obſervandum, quod dilectus hic Chriſti Diſcipulus SS. Virginem primam præ reliquis mulieribus juxta crucem ſtantem nominaverit: *Stabat autem juxta crucem JEſu Mater ejus, & ſoror Matris ejus Maria Cleopha, & Maria Magdalene*, in aliis verò Scripturæ locis Evangeliſtæ ordinariò SS. Deiparam tùm viris, tum mulieribus poſtponunt: *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & MARIA Matre JESU*. Et quare, obſecro, S. Joannes eam primam juxta crucem collocavit? Rationem aſſignat Sylveria: *Ubi ſermo, inquit, eſt de crucis ignominia, quæ à filio in Matrem derivabatur prima Maria ſcribitur, quia præcipuè, & prima opprobriorum ejus erat particeps; extra verò hanc occaſionem eximia humilitas poſterum*

Joa. 19. 25.

Forner. in paradiſ. Spirit. conc. 68.

Jo. 19. 25.

Actor. 1. 14.

Sylveira to. 5. l. 8. c. 17

*mum ſibi elegit locum.* Proinde rectè ſuper omnes creaturas usque ad Dei ſolium exaltata eſt, quia noviſſima.

Pſ. 109. Et quemadmodum de Chriſto dicitur: *De torrente* (hoc eſt paſſionis) *in via bibet: propterea exaltabit caput*; ita & pretioſiſſima Virgo, quia una cum Filio de hoc paſſionis torrente in via bibit, meritò nunc ſuper omnes Angelorum choros exaltat caput; ubi adimpletum eſt illud: *Multiplicatæ ſunt aquæ & elevaverunt arcam in ſublime à terra.* O anima Chriſtiana! diſce cum humili Ancilla Domini humiliari, diſce ſubdi, diſce patienter ferre adverſa omnia, quia his omnibus dignum cœlum eſt: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Gen. 7. 17

Rom. 8. 18.

3. Venit hîc mihi in mentem David cum ſua cithara, quæ illi in omni fortunæ tempeſtate unico erat ſolamini, unico præſidio. Cùm Saul atrâ laboraret melancholiâ, David evocatus *tollebat citharam, & percutiebat manu ſuâ, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Alia vice cùm Saul nunc factus hoſtis infenſiſſimus cum tribus armatorum millibus adventaret, ut Davidem perderet, & mactaret, David absque mora cum hac cithara ſua ad ſpeluncam deſerti Engaddi confugit, ubi in latebris veluti in obſcuro carcere concluſus, generoſo & alacri animo Deo T. O. M. laudem decantabat: *Cantabo, & pſalmum dicam: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara.* Quid agis David? Ubique te mala premunt; foris pugnæ, intus timores, & tu ludis citharâ.

1. Reg. 16. 23.

Pſ. 56. 8.

Per hanc citharam S. Bonaventura SS. Deiparam intelligit, quæ ab illo *cithara S. Spiritûs* appellatur, ſemper in omni fortuna cum Divina concordans voluntate, & licet hæc cithara myſtica, cùm Filius tam indigna pro homine indigno pateretur, in luctum verſa ſit, & organum in vocem flentium; ſupra quod eleganter Reverendiſſimus Fornerus: *Organum iſtud Angelicum prorſus conticuit, & in vocem flentium degenerans, nil aliud quàm gemitus, ſuſpiria, ſingultus & lachrimas reddidit, & profudit*, &c. In glorioſa tamen Filii reſurrectione & ipſa quoddamodò de novo reſurrexit: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo:* Quæ gloria pretioſiſſimæ Virgini non alia, quàm dilectiſſimus Filius erat, nunc in corpore glorioſo, immortali & impaſſibili regnans in cœlo, qui priùs inter latrones pependit in ligno. O qualis eſt hæc rerum metamorphoſis!

S. Bonav. in carmine V.

Job. 30. 31. Forner. in paradiſ. Spirit. conc. 69.

Pſal. 56. 9.

O anima Chriſtiana! attolle pauliſper mentis tuæ oculos in cœlum, & conſidera, quàm immensâ nunc gloriâ & ineffabili gaudio piiſſima perfundantur viſcera dulciſſimæ Virginis MARIÆ; tranſiit nunc hyems, imber paſſionis abiit & receſſit. Nunc ſol & luna ſtant in habitaculo ſuo; ſtellæ lætatæ ſunt & lucent ei cum jucunditate, qui fecit illas, & SS. Matri ejus. O Mater non ampliùs doloroſa, ſed gaudium univerſæ terræ, mare dulcedinis & torrens lætitiarum; Mulier amicta ſole, gaudium Angelorum, & corona cælitum

Digitized by Google

tum, tantam ac tam immenſam gloriam tibi crux peperit, priùs compaſſa patienti Filio, nunc cum eo regnans in æternum. Anime mi! vide nunc finem tribulationis patienter cum doloroſa Matre exantlatæ S. Symphorianum adoleſcentem & glorioſum pro Chriſto Martyrem ſic Mater heroica, cùm ad ſupplicii locum raperetur, adhortata eſt: „Fili, ô Fili mi, eſto vitæ „illius memor, quæ tibi parata eſt in cœlo; vide ibi, & te ad æternam glo„riam invitantem Deum, neque enim vita tibi ſuppliciis eripietur, ſed in „meliorem beatiorémque commutabitur. Hoc & tibi inculcat Mater doloris & amoris, Sodalis Mariane! age igitur, & certa bonum certamen. Vita 21. Auguſti.

4. Davidi ovium paſtori, antequam gener Regis factus eſt, priùs cum Golia decertandum fuit: *Quid* inquiebat generoſus ille juvenis, *dabitur viro, qui percuſſerit Philiſtæum hunc, & tulerit opprobrium de Iſrael.* Cui milites in caſtris Saul reſpondebant: *Virum, qui percuſſerit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei.* Hæc promiſſio Davidi animos addidit, ut contempto omni vitæ periculo, generoſo cum gigante pugnare duello, de quo victoriam nullis unquam ſæculis ſatis decantandam reportavit. Homo Chriſtiane! plùs dabitur tibi, ſi egregiè in hac vita cum animæ tuæ hoſtibus decertaveris, & doloroſam Matrem, ſaltem pro tuo poſſe, imitatus fueris: *Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi Filius.* 1. Reg. 17. 20 Apoc. 21. 7

Jacob, priusquam formoſam illam Rachelem in ſponſam ſibi acquireret, duram Labano ſervitutem ſervire debuit: *Servivit ergo Jacob pro Rachel ſeptem annis; & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Intuere cœlum, anime mi! & in adverſis tuis æternam illam conſidera beatitudinem. Ecce plus hîc in SS. Dei Matre, quàm in formoſa Rachel. Quoties ergo tibi durus videtur iſte labor ac ſervitus temporaria, te ipſum cum S. Auguſtino ſolare: *Quanto labore digna eſt merces, quæ non habet finem?* Geneſ. 29. 02 S. Auguſt. in Pſ. 29.

Joſeph per meras tribulationes ad tantam in Ægypto evectus eſt dignitatem. Priùs *humiliaverunt in compedibus pedes ejus.* Et quid ſequitur? „Miſit Rex & „ſolvit eum, Princeps populorum, & dimiſit eum; conſtituit eum Dominũ „domûs ſuæ & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. O quanta merces te manet, amice Lector! ſi nunc exiguo tempore cum doloroſa Matre patienter ſuſtinueris labores ac tribulationes, &c. quæ *æternum* in te *gloriæ pondus* operabuntur; imò ipſe Deus erit *merces tua magna nimis.* O quanta tunc erit felicitas, pientiſſimæ Matris Dei & cœlorum Imperatricis potentiſſimæ eſſe Filium & Cohæredem, atque cum Filio Dei & Virgine Matre gaudere in æternum! *Quid tibi*, ſubinnrat hîc ſanctus Antiſtes Hiponenſis, *deeſſe poteſt ubi Deus, cui nihil deeſt?* Addamus nos: Ubi Mater Dei, Mater amoris & pulchræ dilectionis eſt, quid tibi deeſſe poteſt Sodali & clienti, imò filio Mariano? Et nunquid & ipſi *poteſtas data eſt in cœlo & in terra*? O quàm felix tunc eris, ſi familiari ejus frui poteris colloquio, ab ea amari, & cum ea in Pſ. 104. 18. 2. Cor. 4 17 Gen. 15. 1. S. Aug. l. 1. de Spir. & anima. Matth. 28. 18.

poſ-

Exod. 33. 19. poſſeſſione omnibus boni lætari in omnem & per omnem æternitatem: *Oſtendam omne bonum tibi.* Et quid ultra requiris?

Exod. 15. 23. 5, Lignum illud, quod Deus quondam Moyſi in deſerto Sur oſtendit, omnem aquarum amaritudinem mirum in modum indulcoravit: „Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd eſſent amaræ: Et murmuravit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? At „ille clamavit ad Dominum, qui oſtendit ei lignum, quod cùm miſiſſet in „aquas, in dulcedinem verſæ ſunt. Per lignum iſtud non crux tantum Dominica, ſed & Virgo ac Mater doloroſa congruenter poteſt intelligi, quæ omnem noſtrarum miſeriarum amaritudinem tunc indulcoravit, dum Deum genuit & Hominem, & dum juxta crucem Mater, Advocata & Mediatrix noſtra facta eſt: *Ecce Mater tua.* Proinde rectè ab Eccleſia vocatur: *O dulcis Virgo MARIA.*, ſubjicit Mellifluus: *O verè lignum vitæ, quod ſolum fuit dignum portare fructum ſalutis*; & ſi illud dulce vitæ lignum (prout vult Cornelius & alii) vi ſua innanata homini poterat prorogare vitam in æternum, quantò magis mitiſſima Virgo & Mater doloroſa, ſed nunc glorioſiſſima in cœlo, impetrare nobis poterit vitam ſempiternam, omnemque noſtram amaritudinem in optatam vertere dulcedinem? O Sodalis Mariane! cole impenſiùs hanc SS. Matrem tuam, & in fine cernes, quod inſinuat Mellifluus: *A Domina noſtra rei habent veniam, juſti gratiam, Angeli lætitiam,* &c.

Jo. 19. 27. S. Bernh. ſer. 2. de Advent. Cornel. in Exod. 15. 23. S. Bernh. ſer. de B. V. fol. 352.

Gen. 3. 9. Et quid ulterius dico de te, ô pientiſſima! Ferculum Salomonis es, de quo in ſacro Epithalamio: „Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum pur- „pureum: media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem. Per hoc inquam ferculum, ô Sanctiſſima! tu præſignata fuiſti, quia verum Salomonem & pacificum Regem Regum, Chriſtum JEſum in utero & ulnis tuis quaſi in ferculo geſtâſti. Columnæ argenteæ duo fuerunt brachia, quibus dilectiſſimum Filium tuum in infantia; ac tunc demum poſt ejus cruentam mortem ſedens ſub cruce ſtrinxiſti. Reclinatorium erat virgineus ſinus ac pectus tuum, in quod ſe reclinavit amantiſſimus Filius vivens & mortuus. Aſcenſus purpureus fuit martyrium tuum, quia plus quàm Martyr fuiſti, imò omnium Regina martyrum toties in ſanguine Filii tui purpurata. Media charitate conſtravit propter filias Jeruſalem; textus Hebraicus vertit: *Et medium tenet ipſe incenſus amore,* hoc eſt, Chriſtus, ait Cornelius, qui totus eſt amor & ardor, medium cordis tui occupat, in eoque quaſi in ſolio regali conſidet, ſuamque charitatem diffundit propter filias Jeruſalem, id eſt, propter animas devotas, ad te veluti ad SS Matrem ſuam in quavis difficultate recurrentes, quibus tanquam Mediatrix Dei & hominum pia Mater benignè aſſoles ſubvenire: *Ipſa* inquit Mellifluus, *Mediatrix noſtra, ipſa eſt, per quam ſuſcepimus miſericordiam tuam Deus.* Proinde decet, ut totis medullis cordium, totis præcordiorum affe-

ctibus

Digitized by Google

ctibus hanc cœli terræque Reginam veneremur, *quia ſic eſt voluntas ejus*, ait iterum Mellifluus, *qui totum nos habere voluit per Mariam.*

6. O mortales omnes, ac vos præſertim Sodales Mariani! quid agitis? Si Maria fons ille paradiſi eſt, de quo Moyſes commemorat: „Fons aſcendebat de terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ: ſupra quod B. Albertus Magnus: „Fons, (ait) „Maria eſt, aſcendens in aſſumptione de terra „miſeriæ & tenebrarum, & irrigans gratiâ, veniâ, gloriâ univerſam ſuperficiem terræ, quare ergo non ad hunc gratiarum & benedictionum fontem properarit? Gen. 2. 6. B. Albert. M in Bibl. Mariana lib. Geneſ.

Si Maria eſt illa limpidiſſima ciſterna juxta portam Bethlemiticam ſita, abundans ſaluberrimis ac puriſſimis aquis, quam David quondam tanto ardore concupivit: „O ſi quis mihi daret potum aque de ciſterna, „quæ eſt in Bethlehem juxta portam! ſupra quod S. Methodius: „Tu B. „Virgo, Bethlemica illa ciſterna es, quam veluti vitæ refocillatricem David deſideravit, ex qua immortalitatis poculum cunctis emanavit. Cur ergo, ô mortales miſeri, non pari affectu, amore & deſiderio cum Davide ad hanc ſaluberrimam anhelatis ciſternam? 4. Reg. 23. 15. S. Method. orat. in hypapantem.

Si Maria eſt arbor illa præcelſa Danielis in medio terræ ſita: „Magna „arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum: aſpectus illius erat „uſque ad terminos univerſæ terræ, &c. Quare ergo, clientes Mariani! non ſub umbram hujus myſticæ arboris confugitis? „Arbor in medio „terræ, (inquit S. Bernardinus Senenſis,) „Maria eſt in medio omnis „creaturæ, &c. De cujus benedicto fructu participant univerſi, cœlum & terra, Angeli & homines, juſti & peccatores: „Omnibus, (ait Mellifluus,) „Miſericordiæ ſuæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant „univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator gratiam, Angelus lætitiam. O pientiſſima! quis te non ſincero corde diligat? Quis non veneretur, & æſtimet te? Si ex fructu cognoſcitur omnis arbor, atteſtante hoc ipſa veritate; an ergo melior fructus eſſe poteſt, quàm JEſus benedictus fructus ventris tui? Verè dixiſti Poëta; Dan. 4. 8. S. Bernardin. ſerm. 1. de nom. Mariæ a. 1. c. 2. S. Bernh. ſer. 4. de Aſſumpt. V. Matth. 7. 16.

*Non venit ad veniam; qui neſcit amare MARIAM.*

7. Finem huic tenuiſſimo opuſculo noſtro imponat S. Jacobus Diſcipulus & Frater Domini, qui ut afflictos fideles ad patientiam animaret, exemplum Jobi & aliorum Prophetarum, ac tandem ipſius Chriſti Domini eis propoſuit, ut in illos, velut ſpeculum intuentes, ſuam corrigeret, & juxta normam conformarent vitam: „Ecce Judex, (inquit,) ante januam aſſiſtit; exemplum accipite fratres, exitus mali laboris & patientiæ. Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini; ecce beatificamus eos, qui ſuſti- Job. 5. 9.



Digitized by Google

„nuerunt. Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam „miſericors Dominus eſt & miſerator.

Hoc & ego vobis & mihi inſinuo, animæ Chriſtianæ! En Judex, qui peccatorum acerrimus eſt vindex, jam ante januam aſſiſtit, qui veſtram coronabit patientiam: *Sufferentiam Job audiſtis*, (ubi mox S. Jacobus typum cum antitypo jungit) *Et finem Domini vidiſtis*, hoc eſt, vitam, paſſionem & mortem Chriſti in cruce conſumatum, atque compaſſionem SS. Matris ejus ſub cruce ſtantis: *Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt.* Agite igitur, fideles animæ! ſi ita oportuit Chriſtum, Judicem veſtrum, & SS. Matrem ejus pati, & ita & ita & ita & ita, & non alia via ad æternam intrare gloriam, certè nec vobis Deus, ſi amat vos, aliam ad cœlum viam pinget: „Patientes igitur eſtote fratres, uſpue ad adventum Domini: Ecce agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum; patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda „veſtra, quoniam adventus Domini appropinquabit. O quàm felices, ô quàm beati tunc eritis, ſi JEſum patientem & SS. Matrem ejus compatientem imitati fueritis, &c.

Idem S. Jacob.

Gen. 28. 11.

Jacob nonniſi ſuper duros indormiens lapides cœlum apertum vidit: *Tulit de lapidibus, qui jacebant, & deponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco, &c.* Tu ſuper dulcem indormiens culcitram cœlum non videbis apertum. Moyſes antequam ad Deum in rubo ardente & non combuſto apparentem accederet, priùs calcamenta de pedibus ſuis exuere debuit: *Ne appropies huc, ſolve calcamentum de pedibus tuis*; cauſa erat, quia locus ille deſertus ſpinis erat & tribulis abundè refertus, ut omnes exinde colligerent, qui ad Deum vult venire, etiam pedibus cruentatis per ſpinas ambulare non gravetur. Tobiæ oculos nonniſi amarum fel illuminavit & reſtituit, ubi ſubjungebat Angelus, *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Obſerva hanc lectionem pro te, prudens Lector! ſi acceptus es Deo, neceſſe eſt, ut tentatio probet te. Finio cum devotiſſimo Kempenſi, qui novitiis hanc lectionem præſcripſit: „Si conſolari in omni tribulatione quæritis, accedite ad Mariam Matrem JEſu, & omnia gravamina noſtra, aut „citò recedent, vel leviora fient. Eligite hanc benigniſſimam Matrem „JEſu præ cunctis parentibus & amicis veſtris in Matrem ſpecialem, & „Advocatam ante mortem, ſalutate tam ſalutatione Angelica frequenter, „quia hanc vocem audit valde libenter; Maria libenter pro vobis orabit „pro ſua clementia, & JEſus Matrem ſuam libenter audiet pro ſua „reverentia, Amen. Ita fiat.

Exod. 3. 5.

Tob. 12. 13.

IN-

# INDEX

## Rerum memorabilium, Conceptuum prædicabilium, Figurarum Biblicarum, ac materiarum notabilium in hoc Volumine comprehenſarum, ubi primus Numerus Conſiderationum, & ſecundus initialem Numerum in Margine cujuslibet Conſiderationis indicat.

### A.


AAron pretioſâ coronatus tiarâ typus Chriſti. Conſiderat. 30. n. 5.

Aaron quomodo in ſponſum Synagogæ eſt electus? conſid. 9. n. 1.

Abel, Noë, Iſaac, Moyſe, David &c. typus Chriſti. conſid. 32. n. 5.

Abiathar arcam geſtans quare ab interitu ſervatus? conſ. 13. n. 7. & conſ. 68. n. 8.

Abigail inſignis typus B. Virginis Mariæ. conſ. 22. n. 7.

Abneri occiſo cur Rex David lachrymis ſuis parentavit? conſ. 43. n. 3.

Abraham ſolùm per triduum gladium portabat in manibus, Maria autem per omnem vitam in corde ſuo. conſ. 18. n. 5.

Abraham in peregrinos beneficus. conſ. 14. n. 1.

Abraham cur petræ comparatur, ex qua exciſi ſumus? Parænef. n. 2.

Abraham Filium Deo offerens à Deo benedictus. conſ. 42. n. 5.

Abſolon tribus lanceis transfixus typus Chriſti. conſ. 46. n. 3.

Abyſſus abyſſum invocans, quid? Conſ. 34. n. 1.

Achab Rex mutans habitum in prælio, typus Chriſti. conſ. 15. n. 5.

Achis Rex occiſus quomodo à Matre Regina deplanctus. conſ. 49. n. 3.

Achitohpel typus Judæ Iſcar. conſ. 26. n. 3.

Achitophel typus fallacis mundi. conſ. 61. n. 6.

Adam quare poſt lapſum in medio ligni Paradiſi ſe abſcondit? conſ. 35. n. 6.

Adonias mortis reus quare fugiens ad altare ſervatus eſt? conſ. 36. n. 5.




Digitized by Google

Adjutorium ſimile ſibi B. Virgo eſt, conſid. 12. n. 4. & conſid. 63. n. 4.
Ægyptus regio quare ad fugam à Chriſto electa? conſid. 19. per totum.
Agar non poterat videre Filium Iſmaëlem morientem. conſid. 40. n. 3.
Ager plenus, cui benedixit Dominus, Maria eſt. conſid. 9. n. 6.
Agno cur toties Chriſtus aſſimilatur? conſid. 27. n. 1.
Agnum ad lanienam raptatum S. Franciſcus prece & pretio redimit. conſid. 27. n. 1.
Agnus inter vepres hærens typus Chriſti ſpinis coronati. conſid. 30. n. 5.
Agnus à lupo aſportatus typis Chriſti capti. conſid. 27. n. 1.
Agnus à S. Clemente Papa conſpectus pedibus fontem excitat conſ. 51. n. 4
Agnus quare olim in lege non una die cum Matre fuit immolatus? conſid. 52. n. 2.
Alapam à Malcho Chriſto inflictam audit Mater doloroſa. conſid. 27. n. 6.
Altare olim ſepties ſanguine victimæ aſperſum typus Matris Doloroſæ. conſid. 50. n. 2. & ſeq.
Altare animatum Cor Matris Doloroſæ conſid. 36. n. 5.
Alphonſus Rex quare Filium in victimam obtulit? conſid. 37. n. 4.
Amaſa conſperſus ſanguine in terra jacens, typus Chriſti. conſid. 32. n. 3.
Aman ab Eſther nihil impetravit. conſid. 13. n. 6.
Aman mundi typus. conſid. 61. n. 6.
Amicitia mundi fallax, quod patet in Joab, Aod & aliis, conſid. 26. n. 1.
Aminadab primus poſt Moyſen mare rubrum ingreditur. conſid. 37. n. 3.
Ammon mundi typus. conſid. 61. n. 6.
*Amo* Sanguine in ſtrophiolo ſcriptum, Amorem excitat. conſid. 44. n. 7.
Amor Doloroſæ Matris fortis ut mors conſid. 32. n. 5.
Amatores veri Doloroſæ Matris ſunt pauperes Paræneſ. n. 4.
Ana primas thermas invenit. conſid. 22. n. 5.
Analogia Nativitatis & Paſſionis Chriſti. conſid. 15. n. 3.
Anima hominis Naviculæ comparatur. conſid. 36. n. 1.
Animæ purgantes aſſimilantur piſcibus in tenebris ad lucem venientibus. conſid. 70. n. 1.
Ancilla Naami Principis typus B. V. humilis ancillæ Chriſti. conſid. 8. n. 7.
Ano Regina quomodo Abiam Filium ſuum mortuum deplanxit. conſid. 43. n. 4.
Apis argumentoſa Mater Doloroſa. conſid. 48. n. 1.
Apum naturam oportet nos imitari. conſid. 48. n. 1.
Apicula ſedula B. Virgo in templo commorans. conſi. 6. n. 5.
Apis quare lapillum contra venti furias portare aſſolet? conſid. 14. n. 3.
Apis flores viſitat, non vitiat. conſid. 14. n. 4.
Aquila typus Chriſti in cœlum aſcendentis. conſid. 54. n. 1.
Aquila eclipſatum ſolem contemplans ſymbolum Matris Doloroſæ. conſid. 54. n. 1.

Aqui-

Aquila typus animæ Deum meditantis & contemplantis. conſid. 60.n.3.

Arbor Danielis omnes protegens, typus Matris Doloroſæ. Epilog. n. 6.

Arbor ex fructu cognoſcitur. conſid. 3. n. 6.

Arca Noë Doloroſa Virgo eſt. conſid. 35. n. 4.

Arca Jordanem tranſiens, typus B. V. Mariæ. conſid. 14. n. 2.

Arca Noëmica figura B. V. conſid. 9. n. 7.

Arca Noë in diluvio ſine damno ſervata, typus Immaculatæ Virginis. conſid. 2, n. 5.

Arca fœderis quâ pompâ Hieroſolymam deducta eſt? conſid. 62. n. 6,

Arca ſuper montes per fluctus exaltata B. Virginis Doloroſæ umbra: conſid. 63. n. 4. & in Epilogo pro Emblemate.

Arca mira patrans prodigia typus B. V. conſid. 41. n. 4.

Arcam Dei portantes quare ſolvati? conſid. 65. n. 5.

Arcus Cœli Chriſtus crucifixus. conſid. 51. n. 2.

Arrha & dos B. Virginis crux & cladius. conſid. 15. n. 1.

Argia Regina Græciæ ſuper cadaver Polynicis conjugis expirat. conſid. 49. n. 5.

Aſcenſio Chriſti quomodo facta? conſid. 54. n. 3.

Aſcendentis Chriſti in cœlum typus Elias, Enoch & alii. conſid. 54. n. 4.

Aſcendentis & in cœlo exaltati JEſu figuræ Joſeph, Mardochæus, Samſon, David, Job &c. conſid. 54. n. 5.

Aſcenſio Domini quale gaudium cauſavit in corde Mariæ. conſid. 54.n.7

Aſſuerus quare virgam ſuper Eſther extendit? conſid. 2. n. 2.

Aſſuero cur ſola Eſther placuit? conſid. 3. n. 4.

Aſſuerus quare ex omnibus puellis ſolam Eſther in reginam elegit? conſid. 8. n. 1.

Aſſuerus cur dimidiam regni ſui partem Eſther obtulit? conſid. 35, n. 5.

S. Auguſtini Ep. tria vota. conſid. 64. n. 1.

Ave & cur non ſalve Angelus ad B. Virginem dixit? conſid. 12. n. 2. item conſid. 3. n 5.

Avicula incubans pullis quare olim in lege libera dimiſſa? Conſid. 52.n.2.

Aurora conſurgens quomodo B. Virgo in ſua nativitate? conſid. 4. per totũ.

Aurora luctam inter Jacob & angelum finiens, typus B. V. conſid. 4, n. 5.

Aurora cur aurea hora? conſid. 4. n.6.

# B.

Baculus & virga Davidem conſolantur. Cur? conſid. 36, n.6. & conſid. 42. n. 3.

Baculus quomodo Jacobo in tranſitu Jordanis fuit auxilio? conſid. 24 n.3.

Bajulatio ponderoſæ Crucis quomodo à Chriſto facta? conſid. 32. n. 3.

Baguritha Jonatam & Achimam defendens pallio, typus B. V. conſid. 36. n. 4.

S. Barula puer & M. quomodo ab ipſa Matre in montem præſentatus? conſid. 24. n. 6.

Belo idolo ſimilis eſt mundus. conſid. 61. n. 7.

Benjamin Chriſto S. Joannes. c. 38.n.4.

Benoni, id eſt filii doloris ſunt omnes

Chriſtiani reſpectu Doloroſæ Matris. conſid. 39. n. 4.
Berzellai Davidi fideliſſimus typus S. Joannis Evang. conſ. 38. n. 1.
Bethſabea quàm pretioſâ coronâ ſuum coronavit filium. conſid. 30. n. 3.
Bethſabea Regina in throno exaltata typus B. V. Mariæ. conſid. 65. n. 2.
Botrus Cypri expreſſus JEſus & hic crucifixus. conſ. 59, n. 1.
Brutus erga Cæſarem amicus ingratus. conſ. 26. n. 1.

## C.

Calix ut tranſeat, quare Chriſtus in horto dixit? conſ. 25. n. 5.
S. Calliopi Mater, dum Flium crucifixum amplexatur, præ dolorum magnitudine expirat. conſ. 43. n. 4.
Calculus ignitus Verbum incarnatum & forceps aurea B. Virgo. Cur? conſ. 13. n. 7.
Candela una in candelabro trigono quare in hebdomate Sancta non extinguitur? conſ. 42. n. 1.
Candelabrum ſeptifidum typus doloroſæ Matris. conſ. 42. n. 1.
Canis atrociter percuſſus movet ad commiſerationem, & cur non Chriſtus flagellatus? conſ. 28. n. 5.
Capilli B. Virginis quare ſicut greges caprarum? conſ. 19. n. 4.
Captivitas Chriſti B. V. & Matri quam doloroſa? conſ. 26. n. 2.
S. Carolus Borromæus quotidie Matrem Doloroſam invocabat. conſ. 36. n. 4.
Caſtrum mentium laus, figuræ & encomia. conſ. 7, per totum.
Charitas B. Virginis in DEum & proximum. conſ. 66. n. 3.
Cherubini duo Chriſtus crucifixus & Mater doloroſa. Paranæſ. n. 5.
Cherubinus ante portam Paradiſi quomodo ſublatus? conſ. 34. n. 5.
Cherubini duo aurei typus B. Virginis & S. Joſephi. conſ. 9. n. 6.
Chriſtus quare Sol juſtitiæ? conſ. 13. n. 1.
Chriſtus quare ſimul & ſemel faſciculo Myrrhæ & Cypri botro comparetur? conſ. 13. n. 5.
Chriſtus in cruce carnem & Maria immolabat animam. conſ. 33. n. 5.
Chriſtus majorem crucis partem portavit, pedem nobis reliquit. conſ. 32. n. 5.
Chriſtus non humi, ſed in aëre erat cruci affixus. conſ. 33. n. 2.
Chriſtus ex compaſſione ergo SS. Matrem ſuam in cruce flevit. conſ. 34. n. 2.
Chriſtus quare capite inclinato in cruce expiravit? conſ. 36. n. 7. & conſ. 43. n. 6.
Chriſtus quare non ad poſtulationem Judæorum de cruce deſcendit? conſ. 41. n. 4.
Chriſtus quare in cruce dixit: Conſummatum eſt? conſ. 43. n. 3.
Chriſtus quare dixit: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum? conſ. 43. n. 5.
Chriſtus quare clamans in cruce expiravit? conſ. 43. n. 5.
Chriſtus quare Paſſionem ſuam cum SS Matre ſua diviſit? conſ. 44. n. 1.
Chriſtus quomodo venit in profundum maris? conſ. 52. n. 1.

Chri-

Chriſtus cur ſitiens tradidit ſpiritum? Conſid. 61. n. 6.
Chriſtus in cruce moriens quorſum faciem ſuam direxit? conſid. 69. n. 6.
Chriſtus cur primùm poſt paſſionem favum mells comedit? Epilog. n. 1.
Chriſtus Pelicanus, bortus & myrrha, Quomodo? conſid. 25. n. 4.
Chriſtus à SS. Matre nunquam faciem avertit. conſid. 3. n. 1.
Chriſti incarcerati typus Jeremias, Joſeph, Daniel, &c. conſ. 28. n. 5.
Chriſtus quare ad Patrem dixit: *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre Matris meæ?* conſid. 7. n. 3.
Chriſtus ſummè ſibi complacebat in SS. Corde Mariæ. conſid. 7. n. 3.
Chriſtus crucifixus & Mater Doloroſa afflictis mentibus optimum ſolamen. conſid. 44. n. 4.
Chriſtus quomodo laverit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum? conſid. 29. n. 4.
Chriſtus crucifixus, plagatus & totus cruentatus quàm lamentabile Matri doloroſæ ſpectaculum. conſid. 33. per tot.
Chriſtus crucifixus optimum meditationis noſtræ objectum. conſid. 33. n. 5.
Chriſtum Filium crucifixum quomodo Mater doloroſa meditata eſt? conſid. 33. n. 5.
Chriſtus quomodo crucis palmam aſcendit? conſ. 33. n. 2. & ſeq.
Chriſti crucifixi figuræ variæ adducuntur. conſ. 33. n. 2. & ſeq.
Chriſtus à mortuis reſurgens primo SS. Matri ſuæ apparuit. conſid. 53. per tot.
Circumcidi quare Chriſtus voluit? conſ. 16. n. 1. & ſeq.
Circumciſus eſt Chriſtus ad inſtar vitis. conſ. 16. n. 1.
Circumciſio Chriſti duplicem fontem elicuit & ſanguinis & aquæ. conſid. 16. n. 2.
Circumciſio Chriſti puelli fuit gladius in Corde Doloroſæ Matris. conſid. 16. n. 2.
Circumciſo de Filio Mater ſanguinem & præputium ſibi reſervavit. conſ. 16. n. 3.
Circumciſio Filii quomodo conſiderata à SS. Deipara. conſ. 16. n. 4.
Circumcidendus nunc Filius infans votum patiendi ad Patrem renovat. conſid. 16. n. 5.
Circumciſionis Chriſti cauſæ morales referuntur. conſ. 16. n. 6.
Cithara Davidica typus B. Virginis. Epilog. n. 3.
Cithara quare in luctu à Davide pulſata? Conſid. 29. n. 1.
Citharæ duæ myſticæ Chriſtus patiens & Mater compatiens. conſid. 29. n. 2.
Civitas refugii Virgo Doloroſa. conſ. 35. n. 14.
Civitates ſex refugii. Cur? conſ. 63. n. 5.
Claudia Virgo veſtalis ſola navim traxit onuſtam. conſid. 6. n. 5.
Clotildis lineum ſanguine ſuo conſperſum fratri transmittit. Cur? conſ. 29. n. 6.

S. Co-

S. Coletæ Mater Doloroſa filiolum ſuum in fruſta conciſum exhibet. Conſid. 18. n. 6.

Columba amata & caſtigata typus Doloroſæ Matris. conſid. 20. n. 2.

Columba in foraminibus petræ Virgo Doloroſa poſt Filii reſurrectionem. conſid. 62. n. 6.

Columba una dimiſſa & altera immolata, typus JESU & MARIÆ. conſid. 24. n. 5.

Columba in medio accipitrum Mater Doloroſa. conſid. 35. n. 3.

Columba Neë quare non invenit ſibi locum in terra? conſid. 6. n. 5.

Columba Noëmica typus pacis & Chriſti reſurgentis. conſid. 53. n. 1.

Columba nubis & ignis typus Matris Doloroſæ. conſid. 4. n. 6. Item conſid. 3. n. 3. & conſid. 66. n. 1.

Conſtantia Matris Doloroſæ juxta crucem Filii. conſid. 45. per totum.

Cor Matris Doloroſæ quomodo ſpeculum paſſionis Chriſti. Parænef. n. 5.

Cor ſuum B. Virgo jam trimula Deo in holocauſtum conſecravit. conſid. 6. n. 4.

Cor Matris Doloroſæ altare, in quo ignis ſemper ardens conſervabatur. conſid. 6. n. 2.

Cor B. Virginis ſedes Spiritûs Sancti. conſid. 7. n. 2.

Cor B. Virginis arca fœderis intus & foris deaurata. conſid. 7. n. 2.

Cor B. V. vas electionis, aula DEI, civitas DEI, fons, iris, natatoria Siloë, & mare inexhauſtum conſid. 7. n. 5.

Cor Mariæ luna plena. conſid. 10. n. 5.

Cor Mariæ propitiationis ara. conſid. 10. n. 6.

Cor B.V. altare, in quo ſe Filius Patri in ſacrificium obtulit. conſ. 12. n. 4.

Cor Mariæ miſericordia pleniſſimum. conſid. 13. n. 6.

Cor B.V. in reſurrectione Filii imenſo gaudio repletum. conſid. 53. per tot.

Cor Mariæ in Filii aſcenſione ad cœlum ingenti ſolatio affectum. conſ. 54. n. 7.

Cor B.V. Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes novis replet gratiis. conſid. 55. per tot.

Cor Mariæ ſimile telæ candidæ. Cur? conſid. 19. n. 1.

Cor Matris Doloroſæ ſimile furno Chymico. conſid. 49. n. 1.

Core, Dathan, & Abiron à terra vivi abſorpti. conſid. 26. n. 5.

Coronatio Regum quibus olim facta ceremoniis? conſid. 30. n. 2.

Coronatio Chriſti quàm diſſimilis? conſid. 30. n. 2.

Coronationi Chriſti præſens adſtat Mater Doloroſa. conſid. 30. n. 3.

Coronari ſpinis quare Chriſtus voluit? conſid. 30. n. 4.

Coronato Filio tam cruento ſerto quid Mater ſenſit? conſid. 30. n. 5.

Coronatio B. V. in Cœlo quomodo facta? conſid. 64. per totum.

Coronatio Davidis, Salomonis, Mardochæi & arcæ fœderis. conſid. 64. n. 4.

Coronatio Sereniſſimæ Eleonoræ, Magdalenæ, Thereſiæ S.R.I. Imperatricis Auguſtæ Vind. peracta. conſid. 64. n. 5.

Coro-

Coronatio B. Virginis à tota SS.Trinitate facta eſt. conſid. 64. n. 5.
Coronata eſt Maria coronâ Stellarum duodecim. conſid. 64. n. 4.
Coronata in cœlis DEI Genitrici omnes cœlites homagium præſtabant. conſid. 64. n. 4.
Corvus quare poſt diluvium invenit ſibi locum, & non columba? conſid. 7. n. 2.
Crocodilus plorat, & hominem devorat, typus Judæ & fratrum ejus. conſid. 26. n. 1.
Crux Chriſti navis noſtra ad cœlum. Paræneſ. n. 1. & conſid. 35. n. 2.
Crux per omnem vitam in corde Doloroſæ Virginis fuit conſid. 21. n. 2.
Crux recta ad cœlum via. Epilog. per tot.
Cultor Mariæ in peccatis vivens mortalibus, in Virginem injurius eſt. conſid. 10. n. 6.
Cultus qui Matri Doloroſæ defertur, DEO gratiſſimus. conſid. 34. n. 1.
Cultus B. Virgini ab Eccleſia Catholica exhibitus contra hæreticos defenditur. conſid. 65. n. 1.
Cultus quinam debetur Magnæ Dei Matri? conſid. 65. per totum.
Cultus præcipuus Magnæ Dei Genitrici impenſus, eſt ſedula ejus virtutum imitatio. conſid. 66. per totum.
Cypreſſus ſymbolum conſtantiæ, conſid. 45. n. 1.

## D.

Dagon idolum quare ad præſentiam arcæ corruit in terram? conſid. 65.
Dalila mundi immundi typus. conſid. 61. n. 6.
Darius Rex quare pro ſalute Danielis tantum laboraverit? conſid. 31. n. 5.
David Rex quare totis viribus coram arca Dei ſaltavit? conſid. 14. Item conſid. 4. n. 3.
David quales impenſas pro templo Dei ædificando paraverit? conſ. 6. 6.
David gradiens ante arcam cur tot victimas immolavit? conſid 19. n. 6.
David Goliam occidens à nobis imitandus, & quomodo? conſid. 17. n. 5.
David afflictis & anguſtias refugium ſingulare, conſid. 22. n. 6.
David è faucibus leonum oves eruit. conſid. 35. n. 6.
Davidem quid ad pugnam animavit cum Golia ineundam? Epilog. n 4.
David prædam belli quare æqualiter etiam inter non pugnantes dividi voluit? conſid. 63. n. 7.
David Cedron pertranſiens in fuga, typus Chriſti. conſid. 27. n. 4.
Dathan, Core & Abiron quare vivi deſcenderunt in infernum? conſid. 69. n. 4.
Debbora heroina quomodo typus Matris Doloroſæ? conſid. 45. n. 5. & conſid. 69 n. 3.
Denudatio Chriſto, antequam cruci ſuffigeretur, doloroſiſſima. conſid. 33. n. 3.
Deſponſatio B. Virginis cum S. Joſepho quomodo peracta? conſid. 9. per tot.
Deſponſationis Mariam inter & Joſephum plures ceremoniæ. conſ. 9. n. 2.
Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? quàm doloroſum Matri Doloroſæ? conſid. 43. n. 2.

Deus quomodo hominem amat, & ſimul caſtigat? conſid. 20. per tot.
Deus non inter delitias, ſed inter ſpinas quærendus. conſ. 20. n. 3.
Deus apparens in monte Sinai quare terribilis, in monte autem Horeb & in rubo totus placabilis? conſid. 14. n. 6.
Diabolus imitatur Holofernem, aquæ ductum incidentem. conſid. 65. n. 2.
Diabolus quomodo leo rugiens. conſid. 2. n. 1.
Diſmæ latronis miranda in cruce converſio. conſid. 36. per totum.
Dolores Matris Doloroſæ frequenti memoriâ recolendi. Parenæſ. n. 6. & per totum.
Dolores Filii patientis Matri compatienti fuerunt communes. conſid. 47. n. 2. & ſeq.
Dolores Matris Doloroſæ explicari non poſſunt. conſid. 49. n. 5.
Dolor Virginis ex viſis & auditis tot injuriis Chriſto Filio illatis. conſid. 23. per totum.
Dolores omnes Virgo Doloroſa æquiſſimo tulit animo. conſid. 23. n. 4. &c.
Dolores Virginis Doloroſæ in reſurrectione Filii in ſummam animi verſi ſunt dulcedinem. conſid. 53. per totum.
Domus Obededom, Labani, Putipharis & Zachæi quare benedicta? conſid. 14. n. 6.

## E.

Ecce homo quàm lamendabile Matri Doloroſæ ſpectaculum. conſid. 31. per tot.
Elephas viſo ſanguine animatur ad prælium. conſid. 59. n. 1.
Elias Thesbites à vidua ſuſtentatus, Matris Doloroſæ typo. conſi. 22. n. 5.
Elias ab Angelo confortatus typis Chriſti in Oliveto agonizantis. conſ. 25. n. 6.
Eliæ mulier Sarephtana ſuccurrens, typus B. V. conſid. 68. n. 7.
Eliezer quare Rebeccæ in aures ſuſpendit? conſid. 15. n. 1.
Eliezer in ſiti potatus à Rebecca, B. Virginis typo. conſid. 22. n. 1.
Eliſabetha Regina ad conſpectam crucifixi iconem ſe emendat. conſid. 58. n. 4.
Elogia varia B. Virgini à SS. Patribus atttibuta. conſid. 12. n. 1. & conſ. 53. n. 7.
S. Elzeario Mater Doloroſa commendatur in Matrem. conſid. 38. n. 6.
Emplemata plura de Immaculata Virgine. conſid. 3. n. 8.
Emblemata de B. Virgine in lucem nata. conſid. 4. n. 5. de SS. Scapulari B. V. conſ. 68. n. 3.
Emblemata patientiæ. conſid. 44. n. 1.
Ephebus Mauritio Saxoniæ Duci vitam conſervat. conſid. 44. n. 4.
Epiſcopus animarum noſtrarum Chriſtus, quomodo in ara crucis ſacrificavit? conſid. 33. n. 5.
Eſau pulmento lentis primogenita vendit conſid. 26. n. 5.
Eſther conſervans populum ſuum ab interitu, typus B. V. Mariæ. conſid. 36 n. 4.
Eſther ſummitatem aureæ virgæ tenens typus B. Virginis. conſid. 10. n. 5.

Eſther

Digitized by Google

Eſther pretioſis injuncta unguentis, typus B.V. Mariæ. conſ. 6. n. 6.
Eſther duos famulos ſecum accipiens, figura B. Virginis. conſ. 5. n. 3.
Eſther coronata quomodo typus Mariæ. conſid. 64. n. 3.
Eva vas perditum; Virgo doloroſa vas in honorem. conſid. 3. n. 2.
Eva, Sara, Rebecca, Rachel, Judith, & aliæ Fæminæ quare non in Dei Matrem fuerunt electæ? conſ. 8. n. 1.
SS. Evchariſtiam accipiens etiam carne & ſanguine MARIÆ reficitur. conſid. 12. n. 2.
SS. Evchariſtia Mater Doloroſa ante Filii paſſionem refecta, confortata eſt. conſid. 25. n. 6.
Evangeliſtæ quare tam pauca de Matre Doloroſa ſcripſerunt? conſ. 1. n. 2. Item in Epilog. n. 2.
Ezechias quare in infirmitate ſua orans faciem ad parietem convertit? conſid. 11. n. 6.
Ezechias moribundus, ubi ſolem ad gradum X. retrogredientem vidit, ſubitò ſanatus eſt. Cur? conſid. 34. n. 1.

# F.

Faſciculus Myrrhæ Doloroſæ Virgini fuit ipſe dilectus Filius. conſid. 17. n. 1. & 58. n. 5.
Ferculum Salomonis typus Mariæ, & quomodo? conſ. 14. n. 5. Epil. n. 5.
Ficus infructuoſa ſymbolum peccatoris, pœnitentiæ fructus procraſtinantis. conſid. 65. n. 6.
Fidejuſſor optimus Chriſtus JEſus & hic crucifixus. conſid. 59. n. 1.
Figuræ de B. Virgine ſunt potiſſimùm arca deurata, menſa panum propoſitionis, propitiatorium, thronus, candelabrum ductile, lucerna fulgens, &c. conſid. 66. n. 3.
Filius Sunamitidis typus clientis Mariani in ſinu Matris morientis. conſ. 69. n. 8.
Flagellationis Chriſti cauſæ variæ. conſid. 29. n. 3.
Flagellatio quàm infamis apud Romanos. conſid. 29. n. 3.
Flagellationi Chriſti interfuit Mater Doloroſa. conſid. 29. n. 3.
Flagellatio Chriſti quàm horrenda & cruenta. conſid. 29. n. 4.
Flagellatio Chriſti cruenta piſcina ſalutifera. conſid. 29. n. 4.
Flos campi quare Chriſtus? conſid. 30. n. 1.
Fluctus omnes induxit DEſus ſuper Matrem Doloroſam. conſ. 37. n. 3.
Fœmina circumdans virum quomodo B. Virgo? conſid. 12. n. 4.
Fons parvus creſcens in fluvium Chriſtus in Circumciſione. conſid. 16. n. 2.
Fons duplex in morte S. Canuti Regis & Martyris exortus. conſ. 16. n. 2.
Fons aſcendens in medio terræ typus Mariæ eſt. Epilog. n. 6.
Fons pietatis quomodo Virgo Doloroſa. conſid. 35. n. 3.
Fortiſſimum rerum omnium eſt charitas. conſid. 51. n. 1.
Fortitudo heroinarum Jahelis, Judith, Mulieris Thebanæ, Joañæ & Salomæ, Matris Machabæorum. conſ. 37. n. 2.

Fratres Joſeph quàm crudeles. conſid. 31. n. 7.
Fuga Chriſti & Matris Doloroſæ in Ægyptum. Conſid. 19. per tot.
Fuga quare à Chriſto in Ægyptum & non in aliam regionem facta? conſ. 19. n. 3.
Funiculus coccineus à Rahab in feneſtra ſuſpenſus, quid? conſid. 2. n. 3.
Funiculus coccineus typus Sanguinis Chriſti. conſ. 46. n. 4.

## G.

Gabriel B. Virginem de futura Chriſti paſſione meliùs, quàm olim Danielem informavit. conſ. 15. n. 1.
Gaudium omne B. Virginis in hoc mundo triſti abſynthio erat permiſtum. conſ. 21. per tot.
Gaudium B. Virginis in reſurrectione Filii inenarrabile. conſid. 53. per totum.
Generationem Chriſti quomodo Ezechias Rex in Solario prævidit? conſ. 12. n. 1.
Geneitrix Dei utpote Domina totius univerſi libera eſt ab omni tributo. conſid. 3. n. 6.
Genitricem Dei eſſe excedit omnem humanam & Angelicam celſitudinem. conſ. 65. n. 4.
Gaudium Simeonis Doloroſa Mater ſemper in corde ſuo portavit. conſ. 18. n. 3. & ſeq.
Gaudium Simeonis quis fecit? conſ. 18. n. 6.
Glaudius Cherubini, Aod, Samuelis & Abrahami, qualis? conſ. 18. n. 5.
Gladius Joab uſque ad internecionem deſæviens quid? conſid. 18. n. 6.
Granadilla flos paſſionis explicatur. conſid. 21. n. 1. & ſeq.
Grano frumenti quare ſe ipſum Chriſtus aſſimilavit. conſ. 50. n. 1.
Gratia plena quomodo B. Virgo? conſid. 10. per tot.
Gratiam invenit Abigail apud David, Ruth apud Booz, Eſther apud Aſſuerum, ſed B. V. apud Deum. conſ. 10. n. 2.
Gratia Dei à nobis per Mariam quærenda eſt. conſid. 10. n. 7.
Gratiarum actio longè major à nobis Chriſtianis debetur Doloroſæ Matri, quàm olim Judithæ à Bethulienſibus. conſid. 37. n. 6.
Gratulatio ad Matrem Doloroſam de invento in templo Filio. conſ. 20. n. 8.
S. Gregorius Magnus *conſiderans Magdalenæ lacrymas in amarum* fletum prorumpit. conſ. 44. n. 2.
Guiſcardus Comes cor ſuum Sigiſmundæ poſt cruentam mortem offert. conſ. 46. n. 1.

## H.

Hædera Jonæ mundi typus. conſ. 61. n. 1.
Hædos quomodo paſcat Virgo Doloroſa? conſid. 36. n. 3.
Hamus ineſcatus carnis & mundi typus. conſid. 61. n. 1.
Heli audiens arcam Dei eſſe captam, ſubitò exſpirat. conſ. 26. n. 6.

Helii

Heli cur retrorſum cadens extinquitur? conſ. 61. n. 1.
Heliotropio Doloroſa Mater aſſimilatur. conſid. 60. n. 2. & conſid. 19. n. 1.
Henricus Angliæ Rex mortuus ad præſentiam filii perduelis ſanguinem ſudat. conſid. 49. n. 6.
Herodes cur ſtatuit Chriſtum infantulum tam citò è medio tollere. conſ. 19. n. 1.
Herodis amentia, dum ob ſaltum filiæ dimidium regni ſui obtulit. conſ. 35. n. 5.
Heroinæ plures, inter quas præeminet Mater amoris & doloris. conſid. 37. n. 2.
Hirundo mirabili induſtria ſtans ſuper bacillum per mare navigat. conſid. 35. n. 1.
Holda Prophetiſſa typus B. V. Mariæ. conſid. 10. n. 4.
Holocauſtum Noëmi Deo acceptum, plus SS. Cor B. V. Doloroſæ. conſ. 6. n. 1.
Homo quomodo jumentum apud Deum? conſid. 15. n. 6.
Honor Matri Doloroſæ impenſus Chriſto graviſſimus. conſid. 34. n. 1. Item in Parænesi n. 4.
Hora ſecunda pro articulo mortis optanda & à Matre Doloroſa impenſiùs exoranda. conſ. 69. n. 1. & ſeq.
Horæ Paſſionis Chriſtus etiam in nuptiis Canonæis memor. conſ. 12. n. 1.
Horologium Achaz quare typus B. V. Mariæ? conſid. 12 n. 1.
Hortus Gethſemani cur à Chriſto pro Paſſionis initio electus? conſid. 25. n. 2. &c.
Hortum Gethſemani an Mater Doloroſa intraverit, & ſanguineo Filii ſudori an præſens fuerit? conſid. 25. n. 2. & ſeq.
Humilitas virtutum omnium ſtabile fundamentum. B. V. ad tantam dignitatem evexit. conſ. 8. per tot.
Humilitas vera valde rara inter homines. conſid. 8. n. 6.

# I.

Jacob cur munera Ægyptiorum Pro-Regi miſit? conſid. 6. n. 4.
Jacob quare ſuper lapides ſomnum capeſſit? conſid. 17. n. 5.
Jacob Jordanem cum baculo tranſiens typus Chriſti. conſid. 54. n. 3.
Jacob revixit, ubi Filium Joſephum vidit. conſid. 53. n. 2.
Jacob ſuper lapides indormiens typus patientiæ. Epilog. n. 7.
Jacobi ardens deſiderium videndi Joſephum in Ægypto regnantem. conſid. 61. n. 4.
Jabel mundi figura. conſid. 61 n. 6.
Jeremias cur ad domum figuli juſſus eſt accedere? conſid. 3. n. 2.
Jeremias quomodo ruinam Hieroſolymæ deploravit? conſid. 45. n. 3.
Jeruſalem urbi non poterat nocere Sennacherib. Conſid. 3. n. 4.
Jepthias quare tanto cum luctu virginitatem ſuam deploravit? c. 7. n. 1.
Jezabel mundi immundi typus. conſ. 61. n. 3.
S. Ignatius Ep. & M. Romæ in amphitheatro ſpectaculum factus. conſid. 33. n. 1.

S. Ignatius Soc. JESU Fund. imaginem Doloroſæ Matris jugiter in pectore ſuo portavit. Paræneſ. n. 2.
Imago Abrahami filium ſuum immolantis Sanctos ad lacrymas & compaſſionem movet. conſ. 58. n. 4.
Imitari nos oportet Virginem Doloroſam, ut armiger Jonatham, & Ethai Davidem. conſid. 66. n. 2.
Imitari ſi non ſtudes Doloroſam Matrem, fruſtra eam colis. conſ. 66. n. 5.
Imitari debet Chriſtianus Matrem Doloroſam, ut pica Romæ buccinatores, ut oves Jacobi virgas, ut umbra corpus, ut Ruth meſſores, ut pictor ſuum exemplar. conſid. 66. n. 6.
Impatientia Jacob Patriarchæ, Jobi & Matris Siſaræ belli ducis. conſid. 41. n. 2.
Impatientia Eliæ, Eliſæi, filiorum Zebedæi, Pauli & Epirotinæ. conſ. 41. n. 3.
Impatiens Doloroſa Mater nunquam extitit. conſid. 41. per tot.
Incarnatio Verbi per Scalam Jacob adumbrata. conſid. 11. n. 1.
Incarnatio Verbi an facta fuiſſet, ſi Adam non pecâſſet? conſ. 11. n. 2.
Incarnatio & paſſio ſingulariter meritis B. Virginis attribuenda. conſid. 11. n. 2.
Incarnatio Verbi revelata Adamo in ſomno. conſid. 11. n. 3.
Incarnationem Verbi agnoverunt Lamech, Noë, Abraham & alii. conſ. 11. n. 3.
Incarnatio Verbi per rorem cœli adumbrata. conſid. 11. n. 5.
Incarnationis typus erat Deus in rubo. conſid. 11. n. 6.
Incarnati Verbi typus, Angelus in camino ignis ardentis. conſ. 11. n. 6.
Incarnatio ſummum generi humano beneficium. conſid. 11. n. 6.
Incarnatio Verbi omnia prodigia & miranda ſuperat, quod per varias figuras demonſtratur. conſ. 11. n. 7.
Incarnatio Dei Filio mox B. Virgo gladium doloris ſenſit. conſ. 12. per tot.
Incarnationem Verbi Maria de congruo meruit. conſid. 12. n. 5.
Incarnatus antequam Deus fuit, erat orbi terribilis, quod per varias probatur figuras. conſ. 13. n. 1.
In incarnatione Verbi Sapientia ædificavit ſibi domum. conſ. 12. n. 3.
Intentio Virginis Doloroſæ ſemper ad Deum erat directa. conſid. 60. n. 7. & 8.
SS. Innocentium ſtrages SS. Cor Virginis Doloroſæ profundè ſauciabat. conſid. 19. n. 6.
S. Joannes Bapt. quare in utero matris exultavit præ gaudio? conſid. 4. n. 6.
S. Joan. Evang. cur fugit *in captivitate* Chriſti, & econtra conſtans *in* Calvariæ monte perſeveravit? conſid. 45. n. 2.
S. Joan. Ev. cur cum Bercelai comparetur? conſid. 38. n. 1.
S. Joan. Ev. quomodo facta eſt hæreditas præclara? conſ. 38. per tot.
S. Joan. Ev. quare Chriſtus SS. Matrem ſuam & non S. Petro, aut alio Diſcipulorum comendavit? conſ. 38. n. 2.
S. Joan. Ev. cum Ethai quare aſſimiletur? conſi. 38. n. 3.

S. Joan.

S. Joanni Ev. quomodo & qualiter à moriente JEſu Mater Doloroſa fuit recomendata? conſid. 38. n. 3.
S. Joan. Ev. cum armigero Jonathæ comparatur. conſid. 38. n. 4.
S. Joan. Ev. verus Chriſti Benjamin. conſid. 38. n. 4. & 5.
S. Joan. Ev. potens interceſſio apud Deum. conſid. 38. n. 5.
S. Joan. Ev. indefeſſus obſequiis Matri Doloroſæ inſerviit. conſid. 39. n. 1 & ſeq.
S. Joan. Ev. videt Jeſum & Mariam in cœlo de preterita paſſione peramicè colloquentes. conſid. 69. n. 8.
S. Joan. Ev. quomodo in ultimo teſtamento, & in quem finem SS. Matrem ſuam legavit? conſ. 39. n. 3.
S. Joan. Ev. quare Diſcipulus Chriſti morientis appellatus? conſid. 40. n. 2.
Joan. Pechamus à Chriſto JEſu crucifixo mirè conſolatur. conſid. 44. n. 5.
Joab apprehendens cornu altaris mori voluit. Quid hoc? conſid. 43. n. 4.
Joas inter principes pueros occiſos cur ſolus ſervatus? conſid. 19. n. 6.
Job quare quotidie pro peccatis filiorum Deo holocauſta immolavit. conſ. 59. n. 6.
Jonas typus Chriſti. conſ. 15. n. 5. ac præſertim. conſid. 31. n. 1.
Jonathas quomodo mundanorum typus? conſid. 61. n. 6.
Jordanis ad præſentiam arcæ quare converſus eſt retrorſum? conſ. 2. n. 4.
S. Joſephus quare in patrem nutritium Chriſti electus? conſid. 21. n. 6.
S. Joſeph dignior Sponſus Mariæ, quàm olim Aaron Synagogæ. conſid. 9. n. 1.
S. Joſephus quo ætatis anno conjugium cum B. V. inierit? conſid. 9. n. 4.
S. Joſephus mulierem fortem invenit, de qua Salomon commemorat. conſid. 9. n. 3.
S. Joſephus Sponſam ſuam Nazarethum ducit. conſid. 9. n. 3.
S. Joſephus quare Sponſam ſuam ſanctiſſimam voluit dimittere? conſid. 9. n. 4.
S. Joſephus verè fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. conſid. 9. n. 5.
S. Joſepho ſpecialis benedictio & hæreditas à Deo relicta fuit. conſid. 9. n. 6.
Joſeph Patriarcha filius accreſcens, typus Chriſti per omnem vitam, conſid. 48. n. 2.
Joſeph 20. argenteis venditus typus Chriſti in mortem venditi. conſid. 26. n. 4.
Joſeph quàm decorus aſpectu. conſid. 31. n. 1.
Joſeph per meras tribulationes ad Pro-Regem in Ægypto exaltatus eſt. Epilogus. n. 4.
Joſeph ab Arimathæa quomodo Corpus JEſu à Pilato impetravit? Paræneſ. n. 3.
Joſephus à Leoniſſa Doloroſæ Matris cultor & amator eximius. conſid. 44. n. 5.
Joſias Rex corde ſaucius typus Chriſti in pectore tranſfixi. conſid. 46. n. 2.
Iris in circuitu throni Mater Doloroſa eſt: & quomodo? conſid. 35. n. 3.
Iris occidente ſole in lachrimas deſinens, typus Doloroſæ Matris conſ. 44. n. 1.
Iſaac quare non fuit immolatus? conſid. 59. n. 2.



Digitized by Google

Iſaac quomodo typus Chriſti in oratione mentali? conſid. 59. n. 2.

Judas quare crocodilo comparatur? conſid. 26. n. 1.

Judas Iſcar. pluris unguentem Magdalenæ, quam ipſum Chriſtum æſtimavit, quod plures etiamnum faciunt conſid. 26. n. 5.

Judæi, ſi Dominum gloriæ cognoviſſent, eum non crucifixiſſet. conſ. 46. n. 6.

Judæi licet Chriſticidæ, à Doloroſa tamen Matre amabantur. conſid. 44. n. 3.

Judith ob ſalutem civium non parcens animæ ſuæ, typus Matris Doloroſæ. conſid. 37. n. 6.

Judith ſola in cubiculo orans, ac meditans, typus B. V. Mariæ. conſid. 56. n. 2.

Julia viſis veſtimentis Pompeji conjugis ſui cruentatis, ſubitanea morte extinguitur. conſid. 44. n. 4.

# L.

Laborandum juxta exemplar Matris Doloroſæ, dum tempus eſt. conſ. 57. per totum.

Labyrinthus Creticus typus mundi. conſid. 67. n. 1.

Lac B. Virginis durum ſaxum emollit. conſid. 19. n. 4.

Lacrymæ Doloroſæ Matris quantùm nos movere debeant? conſ. 29. n. 6.

Lacrymæ Matris Doloroſæ quàm pretioſæ. conſid. 49. per tot

Lacrymæ Sunamitidis Agar, Reſphæ, Annæ, Evæ, & aliarum mulierum evanidæ. conſid. 49. n. 2.

Lacrymæ Matris Doloroſæ plures fuerunt in paſſione Filii ſanguineæ. conſid. 45. n. 1. & 2.

Lacrymæ pœnitentis Magdalenæ quàm efficaces. conſid. 51. per tot.

Lacrymas quare Chriſtus moriens in cruce profudit? conſid. 45. n. 8.

Lagena Gedeonis confracta quomodo typus Chriſti in cruce morientis? conſid. 43. n. 2.

Lamenta Doloroſæ Mat. conſ. 28. n. 5. Item conſ. 49. n. 3. & in pluribus loc.

Lancea Longini quomodo clavis paradiſi? conſid. 34. n. 5.

Lanceæ dolorem Cor Matris Doloroſæ abunde excepit. conſ. 46. per tot.

Latro per interceſſionem Matris Doloroſæ veniam & gratiam invenit. conſid. 35. n. 1.

Latro bonus ſimilis ſciuro, vel hirundini, & quomodo? conſ. 35. n. 2.

Latro plus impetravit à Chriſto, quàm unquàm petere auſus fuit. conſid. 35. n. 5.

Latroni converſo qualis fuit patria? conſid. 35. n. 5.

Lectulus Salomonis quomodo typus B. Virginis? conſid. 2. n. 5.

Leones duo ſepulchrum S. Pauli primi Eremitæ effodiunt. conſ. 50. n. 2.

Leproſi in obſidione Samariæ ad caſtra hoſtilia fugientes nobis, & quomodo imitandi? conſ. 46. n. 6

Liber generationis Chriſti quomodo B. V. Maria? conſid. 1. n. 1. & ſeq.

Liber ſcriptus ſtylo ferreo Mater Doloroſa eſt. conſid. 1. n. 1.

Liber

Digitized by Google

Liber hic myſticus (doloroſa Mater) quomodo legendus? conſ. 1. n. 3.
Liber dulcis & amarus quomodo Virgo ac Mater doloroſa? conſid. 1. n. 3.
Liber regnante Joſia inventus omnibus terrorem incuſſit. Cur? conſ. 1. n. 4.
Liber decalogi pretioſiſſimus periit, de quo nec una littera ſuperſtes, conſid. 1. n. 4.
Liber utiliſſimus Mater doloroſa eſt, ex cujus ſedula lectione & meditatione omnes poſſunt fieri docibiles Dei. conſid. 1. n. 5. & 6.
Liberalitas B. Virginis, quæ etiam non rogata ſuccurrit. conſid. 22. per totum.
Lignum aquas amaras ſanans, quid ſignificat? conſid. 46. n. 5.
Lignum ferrum ad ſe aqua trahens, quomodo typus doloroſæ Matris? conſid. 35. n. 3.
Lignum vitæ in paradiſo quomodo Mater doloroſa? conſid. 35. n. 4.
Lignum in medio paradiſi quomodo Virgo doloroſa? conſid. 35. n. 6.
Lignum aquam amariſſimam indulcorans, typus Chriſti crucifixi & SS. Matris doloroſæ. Epilog. n. 5.
Lilium convallium quare Chriſtus? conſid. 30. n. 1.
Lilium inter ſpinas cur Mater doloris & amoris? conſid. 30. n. 1.
Litteræ quas B. Virgo propria manu exaravit. conſid. 52. n. 6.
S. Lucianus Martyr & Presbyter ſuper cor ſuum ante martyrium pro Chriſto ſubeundum ſacrificat. conſid. 50. n. 4.
Luctus ingens doloroſæ Virginis Filium perditum per triduum quærentis. conſ. 20. n. 2.
Luctus Iſraelis, Viduæ in Naim, Rachelis & Sunamitidis &c. conſ. 24. n. 2.
Luminare minus quomodo Virgo doloroſa? conſid. 35. n. 4.
Luna pallida & eclipſata quomodo doloroſa Mater? conſ. 43. n. 1.
Luna plena quomodo B. Virginis Mariæ figura? conſid. 10. n. 1.
Luna nova Judæis per Eſther orta, figura B. Virginis in lucem natæ. conſ. 4. n. 2.
Luna, an ſole ſtante in pugna Joſue, & ipſa ſtetit? conſ. 45. n. 3.

## M.

S. Magdalena comes indivulſa Matris doloroſæ. conſ. 51. n. 3.
S. Magdalena nubes rorida. conſ. 51. n. 2.
S. Magdalenæ lachrymæ ſalutares. conſ. 51. & per totum.
S. Magdalena in paſſione conſtantior, quàm Diſcipuli. conſ. 51. n. 3.
S. Magdalena oſculando, & lachrymis rigando pedes JEſu, de cruce depoſiti, non poterat ſatiari. conſid. 51. n. 4.
S. Magdalenam, velut ferrum, Chriſtus crucifixus ut magnes ad ſe attraxit. Conſ. 51. n. 5.
S. Magdalena cerva ſitibunda, Chriſtus crucifixus fons vivus, ad quem ſpiravit. conſ. 51. n. 5.

S. Magdalena margaritha perdita, Chriſtus mercator eam inveniens. conſid 51. n. 5.
S. Magdalena ovis perdita, Chriſtus Paſtor bonus. conſid. 51. n. 5.
S. Magdalena aqua craſſa, ChriſtusSol Juſtitiæ illam accendens. conſ. 51. n. 6.
S. Magdalenæ lacrymas quare Chriſtus non prohibuit, prout fecit cum Vidua in Naim. conſid. 51. n. 6.
SS. Magi à B. Virgine in fide orthodoxa fuerunt inſtructi. conſid. 17. n. 6.
Malleus quare in ædificatione templi non fuit auditus? conſid. 3. n. 4.
Mare amarum quomodo SS. Cor Matris doloroſæ? conſid. 47. n. 4.
Maria prima votum virginitatis emittit. conſid. 7. per totum.
Maria amat diligentes ſe. conſ. 3. n. 8.
Maria cur toties terræ comparatur? conſid. 8. n. 3.
Maria quare perturbata fuit in ſalutatione Angelica? conſ. 8. n. 4.
Maria quare myſterium incarnationis Verbi S. Joſepho, caſtiſſimo Sponſo ſuo non aperuit? conſid. 8. n. 4. & conſid. 9. n. 5.
Maria ob ſummam humilitatem omnibus creaturis poſthaberi voluit. conſid. 8. n. 5.
Maria quomodo paradiſus, lectulus Salomonis, planta virginitatis, crater tornatilis, theſaurus ſanctitatis, & microcoſmus gratiarum. conſ. 12. n. 1.
Maria medium terræ, in quo Deus ſalutem noſtram operatus eſt. conſ. 12. n. 6.
Maria quare non Filium ſuum, ſicut olim Anna ſuum Samuelem in templo reliquit? conſid. 18. n. 1.
Maria quare non in ſtabulo Bethlemico, ſed juxta crucem in Matrem nobis deſignata eſt? conſid. 39. n. 4.
Maria quare dicatur, quòd Filium ſuum primogenitum & non unigenitum pepererit? conſid. 39. n. 5.
Maria quomodo iratum Deum fecit placabilem. conſid. 13. per tot.
Maria in templo commorata quotidie præſens interfuit ſacrificio matutino & veſpertino. Et cur? conſ. 6. n. 7.
Maria ingrediens cœlum longiſſimè Sabæ Reginæ pompam transgreſſa eſt. conſid. 63. n. 3.
Maria arca animata, quomodo in Sanctum Sanctorum illata? conſid. 63. n. 5.
Maria quare ad pedem montis Olivetani ad cœlum aſſumpta eſt? conſid. 63. n. 5.
Maria cur triplici corona in cœlo à SS. Trinitate coronata? conſid. 64. & ſeq.
Maria quare comparatur cum throno Salomonis, Ezechielis & Iſaiæ? conſid. 65. n. 4.
Maria in corpore & anima in cœlo regnat. conſid. 63. n. 4.
Maria interponit ſepem inter Chriſtum Judicem & peccatorem. conſ. 65. n. 6.
Maria quare amet nos, plus quàm Eſther ſuum populum? conſid. 65. n. 7.
Maria benigniſſima eſt, per miſericordiam ſuam omnes in Veteri lege mulieres longè ſuperans. conſ. 65. n. 5.
Mariæ omnes creaturæ cur meritò debeant aggratulari? conſid. 65. n. 8.
Maria Virga Moſaicâ viam ad cœleſtem Palæſtinam adaperiens. conſ. 6. n. 1.



Digitized by Google

Maria exemplar, quod in monte nobis monſtratum eſt. conſid. 66. n. 2.

Maria devotè invocata clientibus ſuis in agone ſuccurrit. conſid. 69. per totum.

Maria cur juxta thronum Dei ſtans dicitur, & non ſedens? conſ. 69. n. 5.

Maria ſingularis Patrona animarum purgantium. conſid. 70. per totum.

Maria prima juxta crucem in aliis negotiis ultima ponitur. Cur? Epilog. n. 2.

Maria an præſens in aſcenſione Filii. conſ. 54. n. 2.

Maria poſt Filii in cœlum aſcenſionem quare tanto tempore adhuc in terris relicta. conſid. 54. n. 2.

Mariæ mens in aſcenſione Filii. conſ. 54. n. 6.

Maria docet nos optimum orandi modum. conſid. 56. per totum.

Maria quomodo ſemper de Chriſto Filio cogitavit? conſid. 58. n. 5.

Maria qua ratione & maximum & minimum in hoc mundo dici poteſt? conſid. 8. n. 2.

Maria ſoror Moyſis quomodo typus B. Virginis? conſ. 7. n. 4.

Maria Ægyptiaca per doloroſam Matrem quomodo converſa? conſid. 26. n. 6.

SS. Martyres ibant gaudentes ad dolores, non ſic doloroſa Mater. Cur? conſid. 47. n. 3.

Mathathiæ dolor ob templum devaſtatum. conſid. 26. n. 6.

Mater doloroſa cum Sara comparatur. Quare? Paræneſ. n. 2.

Matris doloroſæ amor in genus humanum. Paræneſ. n. 3.

Mater doloroſa plus quodammodo paſſa eſt, quàm Filius. Paræneſ. n. 6.

Mater doloroſa quomodo roſa, oliva, luna pallida &c. conſid. 25. n. 4.

Matris doloroſæ dolor & amor in captivitate Filii. conſ. 26. n. 6.

Mater doloroſa quomodo filium, crucem bajulantem ſecuta? conſid. 32. n. 2.

Mater doloroſa quomodo vale ultimũ dixit dilectiſſimo Filio, crucis patibulum ad Calvariuni montem ferenti; ubi plures enumerantur figuræ. conſid. 32. n. 4. & ſeq.

Mater doloroſa, quomodo fidelem Ethai & alios in aſcenſu Calvariæ imitata eſt? conſid. 32. n. 5.

Mater doloroſa, quomodo ſe habuit in cruenta Filii crucifixione? conſid. 33. per totum.

Mater doloroſa, an fuit in aula Caiphæ? conſid. 28. n. 4.

Mater doloroſa quomodo Cooperatrix noſtræ ſalutis? conſid. 28. n. 4.

Mater doloroſa Sacroſancto Filii Sanguine abundè proluta eſt. conſ. 34. n. 2.

Matrem doloroſam cur voluit Deus, ut Filio patienti ferè in omnibus doloribus aſſiſteret? conſid. 34. n. 3.

Mater doloroſa ſub ligno crucis reparavit, quod Eva quondam per lignũ paradiſi deſtruxit. conſ. 34. n. 3.

Mater doloroſa cur primò ex parte ſiniſtra ad crucem ſtetit? conſ. 34. n. 3. item conſ. 36. n. 3.

Mater doloroſa ſtans juxta crucem omnibus ſingulare refugium. conſ. 34. n. 4.

Maria doloroſa quos affectus ſtans ad pedem crucis elicuit? conſi. 34. n. 4.

Mater doloroſa, quare non eminus, ſed proxima juxta crucem ſtetit? conſid. 34 n. 4.
Mater doloroſa à Chriſto crucifixo S. Mechtildi Virgini in Matrem legata & commendata. conſid. 34. n. 4.
Mater doloroſa modum docet, quomodo nos oporteat Chriſtum JEſum & hunc Crucifixum meditari. conſid. 34. n. 4.
Mater doloroſa, quod non ſub cruce mortua ſit ingens prodigium. conſid. 34. n. 4.
Mater doloroſa flexis genibus cum Filio in cruce patiente orabat: *Pater dimitte illis &c.* conſ. 35. n. 3.
Mater doloroſa quomodo latroni Paradiſum impetravit? conſ. 35. n. 5.
Matris doloroſæ affectus, dum Filius latroni pœnitenti Paradiſum promiſit. conſ. 35. n. 5.
Mater doloroſa verè Martyr charitatis. conſ. 37. n. 3.
Mater doloroſa quare S. Joanni fuit à Chriſto commendata? conſ. 38. per totum.
Mater doloroſa Scala candida in cœlum, & quomodo? conſid. 38. n. 7.
Mater doloroſa non tantùm S. Joanni, ſed & omnibus Chriſtum colentibus in Matrem commendata eſt. conſ. 39. per totum.
Mater doloroſa valde potens eſt ad intercedendum pro nobis. conſ. 38. n. 7.
Mater doloroſa cur præſens in omni ferè paſſione unigeniti ſui? conſ. 37. n. 4.
Mater doloroſa Mater ſolicita eſt pro noſtra obtinenda æterna ſalute. conſid. 39. n. 7.
Matrem doloroſam Chriſtus moriens omnibus in matrem dedit. conſid. 40. n. 2.
Mater doloroſa quare ſub umbra crucis mater noſtra effecta eſt? conſ. 40. n. 4.
Mater doloroſa cur proximè cruci adſtiterit? conſid. 41. n. 4.
Mater doloroſa quomodo à ſole decolorata? conſ. 41. n. 4.
Mater doloroſa agonizantium fidelium fideliſſima Mater. conſ. 42. per totum.
Mater doloroſa arca ſecuriſſima, per quam æternum animæ poſſumus evadere naufragium. conſ. 42. n. 4.
Mater doloroſa ob Filium oblatum plùs quàm Abraham benedicta. conſ. 42. n. 5.
Mater doloroſa clientem fidelem non deſeret. conſ. 42. *n. 6.*
Mater doloroſa exemplar conſtantiæ in omni adverſitate. conſ. 45. per totum.
Mater doloroſa cor cordi *JEſu* rependit, & quomodo? conſ. 46. per totum.
Mater doloroſa ſanguinem Filii crucifixi in vaſculo colligit. conſ. 46. n. 4.
Mater doloroſa rectè ab Eccleſia Regina Martyrum appellatur. conſ. 47. per totum.
Mater doloroſa, tanquam civitas Dei olim ſub typo Hieroſolymæ exciſæ, ab Hieremia deplorata. conſid. 47. n. 3.
Mater doloroſa ſtans ſub cruce oſculando pedes Crucifixi amoris ſui non pote-

poterat exſatiari. conſ.. 48. n. 1. & ſeq.
Matris doloroſæ cura pro ſepulturâ Filii in cruce extincti. conſ. 50. n. 2.
Matris doloroſæ conſolatio, dum Filium mortuum in gremio recepit c. 50. n. 2.
Mater doloroſa quare non una cum Filio fuit immolata? c. 52. per totum.
Mater doloroſa quomodo per mergulam adumbratur? conſ. 52. n. 1.
Matris doloroſæ animi contritio magna, velut mare. conſ. 52. n. 1.
Mater doloroſa poſt Filium ſuperſtes unicum Eccleſiæ primitivæ erat ſolatium. conſ. 52. n. 2.
Mater doloroſa per omnem vitam Chriſtum JEſum, & hunc crucifixum meditabatur. conſ. 59. per totum.
Mater doloroſa quare toties montem olivarum & Calvariæ poſt Filii in cœlum aſcenſionem viſitavit? conſ. 59. n. 2.
Mater doloroſa quomodo cum Filio ſuo de torrente in via bibit? Epilog. n. 2.
Mater Machabæorum ſepties Martyr, typus Matris doloroſæ. conſ. 34. n. 2.
Mater Chananæa typus Matris doloroſæ. conſ. 39. n. 6.
Matres ſolicitæ ſolent eſſe in proles, ut Jochabed & aliæ &c. conſ. 39. n. 7.
Meditandi modum oportet nos à doloroſa Matre addiſcere. conſ. 59. n. 3.
Meditationis fructus denotantur per figuras varias. conſ. 59. n. 4.
Mel quare Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam comedit? conſ. 52. n. 1.
S. Melitonis Martyris mater commendatur. conſ. 45. n. 2.
Membro uno in corpore patiente, compatiuntur omnia. conſ. 23. n. 1.
Metellus quomodo Patri ſuo vitam conſervavit? conſ. 42. n. 6.
Miraculum ingens, quòd in paſſione & morte Filii Doloroſa Mater non fuerit extincta. conſ. 43. n. 4.
Mons pietatis quomodo Mater Doloroſa? ? conſ. 35. n. 4.
Moribundi hominis explicantur anguſtiæ. conſ. 27. n. 3.
Mors in olla indulcoratur per Matrem Doloroſam. conſ. 69. n. 7.
Mors bona exoptanda, mala timenda, conſ. 62. n. 1.
Mors quàm amara memoria ejus. conſ. 42. n. 2.
Mors dulcis & optata redditur per Matrem Doloroſam. conſ. 42. n. 2.
Mors crucifixi JEſu quàm lamentabile Matri doloroſæ ſpectaculum. conſ. 43. per totum.
Mors Doloroſæ Matris quàm pretioſa in conſpectu Domini. conſ. 62. n. 3.
Mors B. Virginis Mariæ quare non fuit deplancta, ut mors Jacobi, Moyſis, Judæ Machabæi, S Stephani, &c. conſ. 62. n. 7.
Mortificatio valde nobis eſt neceſſaria. conſ. 17. n. 4.
Mortificationem Virgo Doloroſa per omnem vitam habuit. conſ. 17. n. 4.
Moyſes de longè Palæſtinam vidit, ſed non eam intravit. conſ. 61. n. 5.
Moyſes cur nudis pedibus ad rubum ardentem debuit accedere? Epilog. n. 7.
Moyſes infantulus in ſcirpea fiſcella expoſitus, typus Chriſti naſcentis. conſ. 15. n. 5.



Digitized by Google

Moyſes cur ſolus inter pueros Hebreos ſubmerſos ſervatus? conſ. 19. n. 6.

Mulieres plerumque ſunt philocoſmæ, ut patet in Judith Eſther, Ruth, & vidua oleo ſe inungente. conſid. 61. n. 3.

Mulier Serephtana colligens duo ligna typus Matris doloroſæ viduæ. conſ. 58. n. 6.

Mulier abſcondens fermentum in farinæ ſatis tribus, typus B. V. conſ. 57. n. 3.

Mulier ſapiens ædificat domum: tales fuerunt plures, ſed potiſſimum Virgo doloroſa. conſid. 59. n. 2. & ſeq.

Mulier, cui datæ ſunt alæ, typus B. Virginis. conſid. 6. n. 7.

Mulier drachmam perditam inveniens typus Matris doloroſæ. conſid. 52. n. 3.

Mulier parturiens in Apocalypſi, typus Doloroſæ Matris. conſid. 15. n. 3.

Mulierem fortem qualem Salomon olim quæſivit? conſid. 37. n. 1.

Mulier fortis, imò omnium fortiſſima Mater Doloroſa eſt. conſid. 37. per totum.

Mulier an jure poſſit laudari? conſid. 47. n. 1.

Mundum & terrena deſpicere docet nos Mater doloroſa. conſ. 51. per tot

Mundi inconſtantis & fallacis variæ figuræ. conſid. 61. n. 1. Item n. 6. & 7.

Mundi contemptor inſignis fuit S. Paulus. conſid. 61. n. 3.

Mundus ſitim non ſatiat. conſ. 61. n. 7.

Munera SS. Trium Regum pro omni hominum ſtatu explicantur. conſid. 17. n. 6.

Murus & antemurale Virgo doloroſa nobis eſt. conſid. 35. n. 4.

Myrrha quare olim à matronis è collo & in pectore geſtata? conſid. 17. n. 1.

Myrrhum relicto auro & thurre, elegit ſibi Virgo Doloroſa. conſid. 17. per totum.

Myrrham quare SS. Magi Chriſto & SS. Matri ejus obtulerunt? conſid. 17. n. 3.

Myrrha Chriſtum ad ſepeliendum fecit. conſid. 17. n. 3.

Myrrha mortificationem pulcherrimè adumbrat. conſid. 17. n. 4.

# N.

Naam quomodo à lepra mundus? conſid. 3. n. 4.

Nabuchodonoſor ſelectiſſimos pueros ad ſuum obſequium elegit. conſid. 3. n. 4.

Nata eſt B. Virgo juxta piſcinam probaticam in Jeruſalem. Cur? conſid. 4. n. 7.

Nativitas B. Virginis per auroram adumbrata. conſid. 4. n. 1.

Nativitas B. Virginis præſignata eſt per diverſas figuras. conſid. 4. n. 3. & ſeq.

Nativitas Chriſti diſcribitur. conſid. 15. per tot.

Navis inſtitoris quomodo Mater & Virgo doloroſa? conſid. 14. n. 6. item conſid. 57. n. 3.

Nicodemus & Joſephus lacrymis doloroſæ Matris fuerunt commoti. ut corpus JEſu de cruce depoſitum ſepelirent. conſid. 50. n. 2.


Nobili

Nobili perſonæ major accreſcit injuria, ſi contemnitur, quàm ignobili. conſid. 28. n. 2.
Nocticorax in domicilio, typus Chriſti capiti, illuſi & incarcerati. conſ. 28. n. 4.
Nomen JESU B. Virgo in circumciſione genu flexo Filio impoſuit. conſid. 16. n. 7
Nomen JEſu quomodo SS. Virgini dulce & amarum? conſid. 16. n. 7.
Nomen JEſu quia Angeli apoſtatæ noluerunt agnoſcere, & adorare, è cœlo fulminati ſunt. conſ. 16. n. 7.
Nomen JEſu ex Saulo Paulum fecit; mendicum ſanavit; Goliam ſtravit Jobum erexit, & Martyres confortavit. conſid. 16. n. 7.
Nomen Mariæ per 5. lapides Davidis, quibus Goliam ſuperavit, adumbratum. conſid. 69. n. 6.
Nomen Mariæ cur B. Virgini impoſitum, cur non nomen Evæ, Saræ, Rachel, Eſther, Annæ &c. Conſid. 5. n. 1.
Nomen Mariæ ſimile aurantio, malo dulci & amaro. conſid. 5. n. 1.
Nomen Mariæ cur Angelus non pronuntiavit in ſalutatione? conſ. 5. n. 2.
Nomen Mariæ quid propriè ſignificat? conſid. 5. n. 4.
Nomen Mariæ quomodo Stella maris? conſid. 5. n. 5.
Nomen Mariæ turris fortitudinis. conſid. 5. n. 5.
Nomen Mariæ myrrha maris. conſid. 5. n. 6.
Nomen Mariæ quinque pretioſiſſimæ gemmæ. conſid. 5. n. 7.
Novitio Virgo doloroſa panem crudum in latere Filii intingit. conſid. 56. n. 7.
Nox in Paſſione quàm amara Chriſto & SS. M. Doloroſæ. conſ. 28. per tot.
Nubecula parva ſuper mare oriens, typus B. Virginis. conſ. 4. n. 3.
Nubecula quomodo typus Chriſti? conſid. 16. n. 4.
Nubes levis quare dicatur Virgo doloroſa? conſid. 35. n. 4.
Nuditas Adami, Noëmi, legatorum Davidis, Filii prodigi, & arcæ fœderis. conſid. 33. n. 3.
Nuptiæ Canonææ quomodo B. Virgini acciderint doloroſæ? conſ. 22. n. 3. & conſid. 46. n. 5.
Nuptiis in Cana quare Chriſtus & SS. Mater ejus interfuerunt? conſ. 22. n. 2.

# O.

Obedeom quare benedictus propter arcam? conſid. 65. n. 3.
Obedientia doloroſæ Matris fuit exactiſſima. conſ. 66. n. 2.
Oceanus paſſionem erat cor afflictiſſimæ Matris JEſu. conſ. 52. n. 1.
Oculi doloroſæ Matris quare ſicut piſcina in Heſebon? conſid. 44. n. 1.
Oliva cur ſola inter arbores in diluvio intacta & ſemper vireſcens permanſit? conſ. 2. n. 5.
Oliva campi quomodo typus doloroſæ Matris. conſid. 35. n. 4.
Olivarum torcular quare in monte Oliveti? conſ. 25. n. 2.
Oliveti hortum an & Mater doloroſa ſit ingreſſa, dum Filius Sanguinem ſudabat? conſid. 25. n. 3.



Digitized by Google

Onias Summus Sacerdos quomodo typus Chriſti? conſ. 32. n. 2.
Oratio quomodo debet eſſe conſtituta, ut à Deo exaudiatur. Conſid. 56. per totum.
Oratio noſtra quare ſubinde tam tepida? conſid. 56. n. 2 & 5.
Oratio Matris doloroſæ poſt Filii reſurrectionem quænam? conſ. 56. n. 4.
Orandi forma à Chriſto & doloroſa Matre nobis diſcenda. conſ. 56 n 4.
Orantium benè ad Deum afferuntur figuræ variæ. conſid. 56. n. 6.
Orare quomodo ſemper poſſumus, & nunquam deficere? conſid. 57. n. 1.
Oratio Matris doloroſæ quomodo erat aſſidua? conſid. 60. n. 7.
Oratio Joſue, Ezechiæ, Eliæ, Jonæ, Suſannæ &c. efficaciſſima. conſid. 67. n. 5.
Oratio eſt tuba Joſue, quâ Jericho expugnatur. conſid. 67. n. 7.
Oza, Heli, Ophni & Phinees, an ſint æternum damnati? conſid. 65. n. 5.

# P.

Pallium Mariæ quomodo per Eliæ pallium præſignatum? conſid. 69. n. 2.
Palma pacis & amicitiæ ſymbolum. conſid. 14. n. 1.
Palmam crucis quare Mater doloroſa pro ſe elegit? conſid. 45. n. 5.
Paradiſus quare à Deo conditus eſt? conſid. 21. n. 7.
Paſſere uno in lege immolato, quare alter vivus dimiſſus. conſid. 52. n. 2.
Paſſio Filii erat ſemper in recentiſſima memoria doloroſæ Matris. conſid. 23. per tot.
Paſſionis ſuæ futuræ Chriſtus ſæpiùs mentionem ad SS. Matrem ſuam fecit. conſid. 23. n. 2.
Patientiæ Chriſtianæ Symbola. conſ. 41. n. 1.
Patientia doloroſæ Matris juxta crucem ſtantis, conſid. 41 per tot.
Patientia probatur homo, ut Tobias, Job, David, Eleazarus, Machabæi & omnes S. Dei. conſid. 41. n. 5.
Patientia eſt porta ferrea, ducens nos ad cœleſtem Jeruſalem. conſid. 41. n. 5.
Patientia doloroſæ Matris per omnem vitam. conſid. 66. n. 4.
Patientia nobis neceſſaria eſt, ut reportemus repromiſſiones. Epilog. n. 7.
Patriarchatum encomia, quibus Matrem doloroſam in Chriſti reſurrectione honorabant. *conſ.* 53. n. 6.
S. Paulus ſemper cum Chriſto crucifixus, quantò magìs SS. Mater? conſ. 58. n. 4.
Paupertas doloroſæ Matris in exilio ſeptennali. conſid. 19. n. 5.
Peccatorum ſingulare refugium Mater doloris & amoris eſt. conſid. 45. per tot.
Peccatorum verè pænitentium benigna Mater doloroſa Virgo. conſid. 36. per tot.
Perſeverantia à Matre doloroſa nobis addiſcenda. conſid. 45. per tot.
Petra inter decumanos fluctus ſtans immobilis, doloroſa Mater. conſid. 37. n. 1.

S. Pe-

Digitized by Google

S. Petrus Apoſtolus cur ſolus in monte Oliverio à Chriſto increpatus? conſ. 57. n. 6.

S. Petrus poſt lapſum per Matrem doloroſam benignè conſolatur. conſid. 52. n. 5.

Pharus & portus omnibus periclitantibus eſt Mater doloroſa. conſ. 36. n. 1.

S. Philippus Benicius cum ſacro Ordine ſuo cultor & amator B. V. ac Matris doloroſæ ſingularis conſid. 66. n. 7.

Pica imitatrix buccinatorum Romanorum. conſid. 66. n. 6.

Pincerna in aula Pharaonis quare ſervatus, & cur piſtor ſuſpenſus? conſ. 13. n. 6.

Piſcandi diverſi modi cum doctrina morali & accomoda. conſid. 70. n. 1.

Piſcina probatica typus Sanguinis Chriſti. conſid. 25. n. 4.

Plagas omnes quare Deus miſerit ſuper Cor Mariæ? conſid. 47. n. 4.

Porta ſemper clauſa, & ſanguine Agni aſperſa Virgo doloroſa eſt. conſ. 3. n. 1.

Porta aurea in templo, ad quam mendicus paralyticus eleemoſynam collegit, typus inſignis B. V. M. conſ. 12. n. 7.

Præſentia Dei cũ doloroſa Matre ſemper & in omni occaſione nobis eſt proponenda, conſid. 60. per totum.

Præſentiam Dei exterminantes miſerè perierunt, & pereunt. conſid. 60. n. 5.

Præſentia Dei conſiderata à lapſu in peccatum præſervat. conſid. 60 n. 6.

Præſentis ubique Dei memoria Abrahamum ſanctum effecit, conſid. 60. n. 1.

Præſentis Dei oblivio Petro cauſa lapsûs fuit, item filio prodigio, & Judæis faciem Chriſti velantibus. conſid. 60. n. 4.

Præſentis Dei memoriam quia Adam Cain, David & alii non habebant, ideo tam turpiter lapſi ſunt. conſ. 60. n. 6.

Præſentis Dei memoria Eliam, Eliſæum, Enoch, Jeremiam & Tobiam viros effecit perfectos. conſid. 68. n. 8.

Præſentat. B. Virginis quomodo in templo fuerit peracta. conſid. 6. per totum.

Primitiæ frugum cur olim Deo oblatæ? conſ. 6. n. 2.

Proceſſio luctuoſa Chriſti crucem ad mortem Calvariæ bajulantis. conſ. 32. n. 3.

Pulchritudo Mariæ omnium pulchritudinem ſuperavit, de qua re variæ figuræ. conſid. 7. n. 5.

Purgantium animarum patrona fideliſſima Mater doloroſa. conſ. 70. per tot.

Purgantibus animabus plus prodeſt Maria quàm Jochabed ſuo Moyſi, Sunamitis filio, & Eſther ſuo populo. conſ. 70. n. 3.

Purgantes animæ piſcibus, de nocte ad accenſum lumen venientibus, comparantur. conſ. 70. n. 1.

Purgantis animæ typus, menticus ad portam templi ſedens, & mendicans conſ. 70. n. 4.

Purgantis animæ figura paraclytus ille, qui 38. annis ad piſcinam probaticam jacens aquæ motum exſpectavit. conſ. 70. n. 5.

*Mater doloroſa.* Yyy Pur-

Purgantis animæ alius typus Jerichuntinus in latrones incidens. conſ. 70. n. 6.

Purgantes animæ à pœnis liberrtæ, ſuis benefactoribus gratiſſimæ, quod per varias figuras probatur. conſ. 70. n. 7.

Purgatorium B. Virgo etiamnum ſæpius viſitare aſſolet. conſ. 70. n. 2.

Purgatorii pœnæ quotidie luentibus fiunt leviores propter interceſſionem B. V. Mariæ. conſid. 70. n. 5.

## Q.

Quærere quomodo JEſum cum Matre doloroſa nos oportet. conſid. 20. per tot.

Quærere ubi debemus JEſum cum Matre doloroſa. conſid. 20. n. 3. ubi plures reperies figuras.

Quærentis doloroſæ Matris duodennem Filium ſuum figuræ ſunt Anna Sponſa, Paſtor bonus, Mulier drachmam quærens, Ruben &c. conſid. 20. n. 4.

Querelæ doloroſæ Matris erga peccatores. conſid. 18. n. 6.

Quærelæ Matris doloroſæ contra Judam proditorem. conſid. 26. n. 3.

Querelæ doloroſæ Matris contra Judæos ingratiſſimos deicidas. conſ. 49. n. 3.

## R.

Rachel plorans filios ſuos, typus Matris doloroſæ. conſid. 27. n. 2.

Rachel Deos aureos ſub ſtramine abſcondens typus B. V. M. conſid. 15. n. 2.

Rachel quomodo typus B. Virginis parturientis conſid. 15. n. 2.

Rachelis pulchritudo conſolatur, & animat Jacobum. Epilog. n. 4.

Rebecca filium hædorum pelliculis contegen, typus doloroſæ Matris. conſid. 15. n. 4. & conſid. 68. n. 4.

Rebecca in peregrinos officioſa typus B. V. Mariæ. conſid. 22. n. 1.

Rebecca conſervans Jacob filium, ne ab Eſau occideretur, typus B. V. Mariæ. conſid. 36. n. 4.

Regina Martyrum doloroſa Mater eſt ex pluribus titulis. conſ. 47. per totum.

Regina cœli lætare prima vice Angeli in reſurrectione Chriſti in honorem doloroſæ Matris cantârunt. conſid. 53. n. 4.

Regina SS. Roſarii plùs quàm Eſther & Bethſabee impetrat. conſid. 67. n. 8.

Regnum diviſum Chriſtum inter & Mariam, tum dolorum, tum gaudiorum. conſid. 5. n. 4

Regnum Chriſti in ligno crucis. conſid. 32. n. 6.

Reſignatio doloroſæ Matris in Divinam voluntatem. conſid. 19. conſid. 23. conſid. 32. & aliis pluribus in locis.

Reſurrectio Filii à mortuis doloroſæ Matri gaudium inexplicabile. conſ. 53. per totum.

Rete diaboli ſola evaſit Virgo doloroſa. conſid. 3. n. 7.

Ros in ſolo vellere, quid? conſid. 3. n. 4.

Roſarium B. V. filum Ariadnæ. conſid. 67. n. 1.

Roſarium plures peccatores ad Deum reducit. conſid. 67. n. 2.

Roſa.

Digitized by Google

Roſarium funiculus Rahab. conſid. 67. n. 2.
Roſarium funiculus triplex, quod difficile rumpitur. conſid. 67. n. 2.
Roſarium lapis mulieris Thebanæ, gladius Judithæ, funda Davidis, clavus Jahel, lancea Job. &c. conſid. 67. n. 2.
Roſarium arcus tricolor. conſid. 67. n. 3.
Roſarium rubus ardens. conſid. 67. n. 4.
Roſarium cithara Davidica. conſid. 67. n. 5.
Roſarii tria myſteria per Abraham, Iſaac & Jacob pulchrè adumbrata. conſid. 67. n. 6.
Roſarium tuba Joſue. conſ. 67. n. 7.
Ruth ſpicas colligens typus Matris doloris & amoris. conſid. 58. n. 2.

## S.

Saba & Eſther perculſæ, quomodo typus Matris doloroſæ? conſ. 31. n. 6.
Saba Hieroſolymam cum pompa ingrediens, typus B. V. conſ. 63. n. 3.
Saba Salomoni aurum & aromata præſentans typus B. V. conſ. 6. n. 4.
Sacrificia omnia olim in templo oblata, præſignabant Chriſtum crucifigendum. conſ. 20. n. 1.
Sacrificium Abrahæ cur Deo acceptiſſimum, & non Ducis Jephte? conſ. 6. n. 3.
Sacrificium Deo ſumme acceptabile erat Cor doloroſæ Virginis. conſ. 6. n. 3. & ſeq.
Salome vidua & Mater filiorum Zebedæi quare per orationem ſuam nihil à Chriſto impetravit? conſ. 56. n. 1.
Salomon integros ovium & taurorum greges immolavit. conſ. 6. n. 4.
Samſon plures hoſtes occidens mortuus quàm vivus, typus Chriſti. conſ. 43. n. 5.
Samſon ligatus vincula diſrupti, & quare non Chriſtus? conſ. 17. n. 4.
Samſon portas æreas confringens & in montem aſportans, typus Chriſti à mortuis reſurgentis. conſ. 53, n. 2.
Samſon quare auſus eſt cum leone in vinea pugnare? conſid. 2. n. 1.
Sanctimonialis Ordinis ſui deſertrix à Matre doloroſa increpatur, & à Chriſto graviter punitur. conſ. 35. n. 6.
Sanguis JEſu melius loquitur, quàm Abelis. conſ. 16. n. 3.
Sanguis agni omnem lapſum à B. Virgine longè avertit. conſid. 3. n. 1. & 4.
Sanguis Chriſti quàm efficax. conſ. 34. n. 2.
Sanguis Chriſti animæ infirmæ plus medicinalis, quàm Jordanis fluvius Naamo leproſo, piſcina paralytico. conſid. 46. n. 4.
Sara quantùm gaviſa eſt, ubi Iſaac filium ſuum, quem mortuum credidit, vivum conſpicata eſt. conſ. 53. n. 6.
Sarephtana mulier quare typus B. Virginis doloroſæ? conſ. 22. n. 5.
Sciurus quomodo flumen trajicere ſoleat conſid. 35. n. 1.
Scala & porta cœli Maria eſt. conſid. 65. n. 3.
Scala Jacob typus crucis. conſ. 38. n. 7.
Scapulare B. V. clypeus in adverſis. conſid. 68. per totum.
Scapulare adumbratum per peram Davidis. conſid. 68. n. 1.



Digitized by Google

Scapulare clypeus Arcturi & Joſue contra Hai conſ. 68. n. 1.
Scapulare clypeus Davidis. conſ. 68. n. 1.
Scapulare cum diverſis comparatur clypeus, de quibus plura lemmata. conſ. 68. n. 3.
Scapulare B. Simoni Stok Carmelitarum Generali à B. Virgine traditum conſ. 68. n. 4.
Scapulare purgantibus animabus proficuum. conſid. 68. n. 5.
Scapulare funiculus & pannus, quibus mediantibus Jeremias è lacu extractus eſt. conſ.. 68. n. 5.
Scapulare hamus, quo capiuntur animæ. conſid. 68. n. 5.
Scapulare per pallium Eliæ adumbratum. conſ. 68. n. 6.
Sedecias Rex captus, & ab omnibus deſertus typus Chriſti. conſ. 27. n6.
Sedes David qualis ab Angelo B. Virgini promiſſa? conſ. 32 n, 6.
Sella Heli non habens reclinatorium, mundi figura. conſ. 61. n. 1.
Sententia in Chriſtum lata, qualis? conſ. 31. n. 5.
Sententiam mortis in Chriſtum latam audivit Mater doloroſa. conſ. 31. n. 5.
Sepulturæ quomodo Chriſtus à doloroſa Matre mandatus? conſ. 50. n. 5.
Serpens in deſerto exaltatus, Chriſti typus. conſ. 33. n. 1.
Serpens cur hominis calcaneo inſidiatur? conſ. 69. n. 1.
Servi Mariæ veſtiti ſunt duplicibus. conſ. 69. n. 2.
Simeon quare Matri doloroſæ futurâ Filii paſſionem prædixit? conſ. 18. n. 3.
Simeon quare viſo Chriſto infantulo, mox mortem ſubire optavit? conſ. 18. n. 2.
Simulacra quare Chriſto in Ægypto adventante, corruerunt? conſ. 19. n. 2
Sindon, in qua Chiſti corpus involutum eſt, mirè animum ſpectantis movet. conſ. 29. n. 7.
Sol in decimo gradu conſiſtens, typus Chriſti crucifixi. conſ. 33. n. 1.
Sol in ſigno Virginis temperat calorem, quid? conſ. 13. n. 1.
Sol in meridie occidens, eſt Chriſtus crucifixus. conſ. 43. n. 1. & conſ. 44. n. 1.
Specula ſibi oppoſita ſunt Chriſtus crucifixus & Mater doloroſa. conſ. 34. n. 4.
Spes ingens in Patrocinio B. V. Mariæ collocanda. conſ. 65. n. 7.
Spiritus S. lætificat in Adventu ſuo SS. Cor Virginis doloroſæ. conſ. 55. per totum-
Spiritus S. introduxit poſt tot exantlatos dolores B. Virginem in cellam vinariam. conſid. 55. n. 3.
Spiritus S. per digitum in ſanguine holocauſti intinctum, olim adumbratus. conſ. 55. n. 4.
Spiritûs Sancti gratia eſt guttula, quam epulo in inferno flagitat. conſ. 55. n. 5.
Spiritus Sanctus ſub diverſis figuris cur apparuit? conſ. 55. n. 6.
Spiritus Sancti ſeptem dona quomodo Matri doloroſæ communicata? conſ. 55. n. 7.
Sponſa quærens dilectum ſuum, typus B. V. doloroſæ. conſ. 20. n. 3. conſ. 28. n. 1.

Sponſa

Sponſa quare dixit: Trahe me: poſt te curremus? conſ. 52. n. 4.

Sponſa dilectum in hortum invitans, quomodo typus B. Virginis? conſ. 12. n. 5.

Sponſa ſignaculum Sponſi ſuper cor & ſuper brachium ſuum portans, typus doloroſæ M. conſ. 56. n. 1.

Sponſus quare paſcens, & cubans in meridie à Sponſa quæſitus? conſ. 45. n. 6.

Spuere in JEſum quanta ignominia! quod per plures figuras explicatur. conſ. 28. n. 3.

Statuta Nabuchodonoſoris mundi typus. conſ. 61. n. 1.

Stare Matris doloroſæ ſub cruce quid ſit? conſ. 45. n. 5.

Stella matutina, maris, & veſpertina doloroſa Virgo eſt. conſ. 32. n. 1.

Stella maris quare Mater doloroſa dicatur? conſ. 45. n. 4.

Stella polaris quomodo doloroſa Mater? Parænef. n. 1.

Struthio typus inſipientium peccatorum. conſ. 60. n. 2.

Sulamitis quomodo typus B. V. conſ. 6. n. 1.

Sunamitis figura Matris doloroſæ, & quomodo? conſ. 48. n. 1.

Symbolum Leopoldi I. Roman. Imperatoris911glorioſiſſimi. conſ. 60. n. 3.

Sympathia perfectiſſima Chriſtum inter & doloroſam Matrem fuit. conſ. 23. n. 1. Item conſ. 27. n. 5.


# T.


Tela aranearum mundi figura. conſ. 61. n. 1.

Tempus pretioſum B. Virgo & Mater ſemper optimè impendit. conſid. 57. per tot.

Tempus ſalutis, quia neglexerunt Virgines fatuæ, ideò reprobatæ conſ. 57. n. 5.

Temporis bene locandi typus formica. conſ. 57. n. 7.

Tempus ſalutis M. Magdalena citò & bene impendit. conſ. 57. n. 7.

Tempus ſalutis optimè obſervârunt duo cæci in Jericho. conſ. 57. n. 7.

Tempus quia Eſau neglexit, à benedictione Patris reprobatus. conſid. 57. n. 4.

Tempus quia Sponſa non attendit, ideò ab ea dilectus declinavit. conſ. 57. n. 4.

Tempus qui perdit, fur maximus eſt. conſid. 57. n. 5.

Tempus, quia Petrus non rectè impendit, ideo à Chriſto increpatus. conſid. 57. n. 6.

Tenebræ in Ægypto mundi ante adventum B. V. in hunc mundum. conſ. 4. n. 1.

Tenebræ & eclipſis ſolis & lunæ unde oriantur? conſ. 43. n. 1.

Terra Sacerdotis ſola à tributo immunis. conſ. 3. n. 5.

Teſtamentum Chriſti in cruce quale? conſ. 39. n. 1. & ſeq.

Teſtamenta varia, Eliæ, Jacobi, Davidis, Jonathæ & Mathathiæ. conſ. 39. n. 2.

Teſtamentum Chriſti in cruce morientis deſignat unumquemque fidelem. conſid. 2. n. 3.

Thecuitis mulier prudens typus B. V. M. conſid. 22. n. 5.

Thecuitis Davidem placans figura B. V. conſid. 35. n. 1.
Theoclia filium amplexans in cruce ſuſpenſum, mortis cadit victima. conſid. 49. n. 2.
Theſſaurus ſine fundo eſt SS. Cor JEſu. conſ. 48. n. 7.
Thronus Salomonis typus B. V. conſid. 65. n. 4. Item thronus Ezechielis, Iſaiæ &c. ibid.
Tobias quare cæcus effectus? Epil. n. 7.
Tobias moriens filio matrem impensè commendat. Parænes. n. 6.
Toga Julii Cæſaris in Senatu occiſi populum Romanum ad lachrimas & compaſſionem movet. conſ. 44. n. 3.
*Tolle, Tolle*, quam luctuoſus clamor in auribus & corde doloroſæ Matris. conſid. 31. n. 4.
Torcular paſſionis & Mater doloroſa calcavit cum Filio, conſ. 25. n. 1. & ſeq.
Tria videbantur Salomon difficilia, & quartum penitus ignorabat. Quid hoc? conſid. 54. n. 1.
Tulipa flos ſole recedente langueſcens conſid. 28. n. 2.
Tunica polymita Joſephi Chriſto & Matri doloroſæ accomodatur. conſ. 21. n. 3.
Turtur figura doloroſæ Virginis. conſ. 20. n. 2. & conſ. 58. n. 1.

# V.

Valedictio doloroſæ Matris. conſ. 24. per totum.
Valedictio Tobiæ, Iſaaci, Davidis, Jacobi, Pauli &c. conſ. 24. n. 1.
Valedictionis verba Chriſtum inter & Matrem doloroſam. conſ. 24. n. 3.
Valedictio Thomæ Mori. conſ. 24. n. 4.
Valedictio duarum ſororum nobilium. conſid. 24. n. 5.
Valedictio S. Barulæ pueri ac Martyris à ſua dilecta Matre. conſid. 24. n. 6.
Vaſthi Regina cur repudiata? conſid. 66. n. 2.
Venter Virginis quomodo acervus tritici, vallatus liliis. conſid. 7. n. 1.
Velum capitis doloroſæ Matris Chriſti crucifixi ſanguine conſperſum adhuc hodie aſſervatur in Bohemia. conſ. 41. n. 4.
Veſtis doloroſæ Matris erat ex lana nativa cinerei coloris. conſid. 61. n. 3.
Villicus iniquitatis quare dixerit: Fodere non valeo? conſ. 48. n. 6.
Vinum nobiliſſimum ſanguis Chriſti. conſ. 46. n. 5.
Victima immaculata olim Deo erat immolanda. conſ. 3. n. 4.
Virga vigilans Jeremiæ monſtrata, typus B. V. M. conſid. 69. n. 4.
Virga Moyſis Maria & *quomodo*? conſid. 30. n. 4.
Virga Aaron ſola florens typus B. V. M. conſid. 2. n. 5.
Virga duces Moab percutiens Virgo doloroſa eſt. conſid. 41. n. 3.
Virgis diverſis Virgo doloroſa comparatur. conſid. 60. n. 8.
Virginitatis & pudici cordis encomia. conſid. 7. n. 3.
Virginitatis conſervandæ remedia. conſid. 7. n. 6.
Virginitatis pulcherrima aureola. conſid. 7. n. 6.

Virgi-

Digitized by Google

Virginitas quantùm à Deo amata? conſid. 7. n. 6.
B. Virgo quomodo futuram Chriſti paſſionem meditata eſt. conſid. 18. n. 3. & ſeq.
B. Virgo quare tam durè à Deo habita? conſid. 20. n. 6. & ſeq. plures figuræ.
B. Virgo quomodo ſummè à Deo amata & tamen caſtigata. conſid. 20. n. 5.
B. Virgo poſt Filii aſcenſionem in cœlum præfuit 120. Virginibus. conſid. 61. n. 3.
B. Virgo, quæ habere potuit, pauperibus erogavit. conſid. 61. n. 2.
B. Virgo ſtigmate Filii jugiter in Corde ſuo portabat. conſid. 61. n. 4.
B. Virginis ardens deſiderium videndi Deum. conſid. 91. n. 5.
B. Virgo mortem non timuit, ſed optavit. conſ. 62. n. 1.
B. Virgo cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. conſid 62. per totum.
B. Virgo præ amore in dilectum languefcit viribus. conſid. 62. n. 4.
B. Virgo moriens præſentes habere voluit SS. Apoſtolos, quibus maternam benedictionem impertiit. conſid. 62. n. 5.
B. Virginis anima quo jubilo & pompâ in cœlum fuerit aſſumpta? conſid 62. n. 6.
B. Virgo quomodo ſepulta? conſid. 62. n. 8.
B. Virgo quare in valle Joſaphat ſepeliri voluit? conſid. 62. n. 8.
B. Virginis corpus ab omni corruptione præſervatum, quod per plures probatur figuras & rationes. conſid. 63. n. 1.
B. Virginis anima quomodo de novo corpori fuit unita. conſid. 63. n. 1.
B. Virgo quanto cum applauſu omnium Cœlitum fuit excepta. conſ. 63. n. 2.
B. Virgo cur non in curru igneo, aut in nube, ſed innixa ſuper dilectum in cœlum aſcendit? conſ. 63. n. 2.
Virgula fumi ex aromatibus typus B. V. Mariæ. conſ. 6. n. 1.
Vitis pereleganter cum Chriſto comparata. conſ. 16. n. 1.
Umbra Sacratiſſimæ crucis nobis viatoribus in vita & in morte tutiſſima conſ. 40. per totum.
Umbra Juniperi Eliæ ſalutaris. Cur? conſid. 40. n. 4.
Umbram Therebinthi Jacob elegit, ſub qua idola infodit. Cur? conſ. 40. n. 4.
Umbram Moyſes Paſtor in meridie cum ovibus ſuis quærit. Cur? conſ. 40. n. 4.
Umbra arboris Danielis hominibus & jumentis proficua. Cur? conſ. 40. n. 4
Umbram deſideratam Sponſa quærit in meridie. Cur? conſid. 40. n. 5.
Umbra crucis quomodo requies doloroſæ Matris, ſub qua non ſedit, ſed ſtetit. Cur? conſid. 40. n. 1. & n. 3.
Umbra mali Evæ & generi humano nociva, ſed ſub umbra crucis Mater doloroſa reparat, quod Eva deſtruxit. conſ. 40. n. 3.
Umbra crucifixi Salvatoris quomodo ſit omnis homo vivens. conſid. 40. n 3.
Umbra tutiſſima Julio II. Pont. Max. erat crucifixus JEſus. Conſid 40. n 1.
Umbra hederæ Jonæ inſtabilis; ſic & mundanorum. conſid. 40. n. 6.
Umbra Petri ægros ſanat. conſid. 40. n. 6.

Um-

Digitized by Google

Umbra dextri brachii Chriſti in cruce pendentis, latroni ſaluberrima. conſid. 40. n. 6.
Voluntas divina doloroſæ Matri prima regula in omnibus eventibus. conſid. 19. n. 1.
Urbanus III. Pont. Max. captâ urbe Hieroſolymâ ſubitò expirat. conſid. 27. n. 2.
Urſula Benincaſa quàm mirabili arte Chriſtum crucifixum pinxit. conſid. 58. n. 6.
SS. quinque Vulnerum Chriſti prima cultrix fuit Mater doloroſa. conſ. 48 per totum.
SS. quinque vulnera Chriſti per varias figuras adumbrata; per 5. ſiclos; 5. lapides Davidis; 5. civitates refugii; 5. rubinos Judithæ; 5. panes; 5. talenta; 5. porticus in piſcina; 5. lampades ardentes &c. conſid. 48. n. 4. & ſeq.
Uxor Phinees parturiens & moriens Cur? conſid. 49. n. 4.

## X.

Ximenius S. J. admonetur à B. Virgine, ut animabus purgantibus ſuccurrat. conſid. 30. n. 5.

## Z.

Zacharias quomodo B. Virginem in domo ſua excepit. conſid. 14. n. 1.

Laus DEO, Deiparæque Virgini, nobis autem confuſio faciei.

# Finis hujus libri.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google